Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Stephan Klotz

Tractatus De Angelolatria, h.e. Religiosa, ut vocant, adoratione & Invocatione B. Angelorum : In quo Errores Angelolatrarum, cum primis Monachorum & Jesuitarum in hoc puncto censentur ... ; Una cum Praefixa Dissertat. de Natura & ratione Idololatrias in genere

Rostochi: Rostochi: Hallervordius: Pedanus, 1636

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958736

Druck Freier Zugang

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958736/phys_0001
DFG

Dec. 435 p. 7 nd

52. 6

F. g — 1539.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn729958736/phys_0002
DFG

TRACTATUS
De
ANGELOLATRIA,

h. e.

Religiosâ, ut vocant, adoratione & Invocatione B. Angelorum,

In quo

Errores ANGELOLATRARUM, cum primis Monachorum & Jesuitarum in hoc puncto censentur, discutiuntur, & loca scripturæ eo pertinentia à Sophisticationibus adversariorum vindicantur,

Una cum

Præfixa Dissertat. de Natura & ratione Idololatrias in genere,

ADORNATUS Operâ & Studio

STEPHANI CLOTZ, SS. Th. D.
Prof. in Acad. Rostochiensi, & Templi Cathedr. ad D. Jacob. ibidem Ecclesiastis,

Et Procurante Joh. Hallervordio Bibl. Rostochiensi,
Litteris Joachimi Pedani, Acad. Typogr. Viduæ exscriptus.
ANNO M. DC. XXXVI.

Valentinus Ehringius Thur. Rostochij sibi comparavit p 2½ f Anno 1637. 27 Maij &c

F. g - 1539.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958736/phys_0003
DFG

B. Lectori.

PRæcursorias aliquot dissertationes tibi exhibeo amice Lector, & tuum judicium experiri volo in materia de Idololatria, à nemine, quod sciam, absolute hactenus elaborata. Ego, si Deus volet, & vires vitamq; suffecerit, integram justamq; Idololatriæ Tractationem methodicè digestam tibi exhibebo: Interea hac qualicunq; ejus *particulâ* utere, & meos conatus tuis ad Deum precibus fove.



V.

GENEROSO NOBILI &
Magnifico Viro

Dn. DETLEFF Reventlowen in Zieſendorff & Reetz Hæreditario, Sereniſſimæ Dan. R. M. Cancellario,

Dn. & Patrono ſuo colendo.

EX quo Generoſe, Nobilis & Magnifice Dn. Cancellarie, meis te primùm auribus & oculis uſurpavi, cum nomine juſſuq; Sereniſſimæ Dan. Reg. Maj. coràm mecum communicares, admirabilis quidam generoſæ tuæ M.iæ cultus animum meum ſubito ſubivit, & ab eo tempore totum me ita pervaſit, ut nulla unquam oblivione nullave temporis injuriâ deleri

posse confidam. Quicquid Heroicæ virtutis humanitas hæc nostra capere, quicquid divinæ sortis largâ manu natura in plures divisisse videtur, illud in te unum confertim effusum video & admiror ad stuporem usq;. Non Thracius quidam Orpheus suâ lyrâ saxa feraſque sic permovere, neq; Gallicanus aliquis Hercules catenulis ex ore prodeuntibus integras hominum catervas auribus suspensas sic ad sese invitare potest, quam tua verè nobilis atque divina virtus, & quæ in te virtutis comes est, sincera pietas ad tui cultum & venerationem bonas mentes alliciunt. Palpum non obtundo, sed dico candidè, quod sentio, & dicent mecum omnes, quibus tua conversatione, vitæque consuetudine hactenꝰ innotuisti. Proinde

inde cum animo mecum repeterem, quis tandem Patronus pro more seculi nostri his chartis inter eos, quorum venerationem in summis colloco, seligendus esset, tu mihi primus occurristi, &, cum admirabili tua humanitate, quantum me amares, satis testareris, animum adjeciſti, ut hoc quicquid est chartularum tuæ N. & M. eâ, quâ decet veneratione sisterem, confisus fore, ut si quid audaciæ meæ hîc asscribi mereatur, illud omne insignis tua humanitas & in me propensio excuset & mitiget. Enixè itaque contendo, ut levidense isthoc & chartaceum munus (quod gratæ tamen mentis memoriæqve Symbolon est) T. M. æqvâ fronte admittere, mihiq; & meis porrò benignè favere dignetur. Faxit Deus Opt.

Dedicatio.

M. ut T. N. & M. bono Ecclesiæ & Reip. diutissimè perennet, quod animitùs voveo, & vovere porro non desinam.

Rostochij d. 1. Augusti Anno M. DC. XXXVI.

Vestram G. N. & M.

Studiosè & devotè

observans & æstimans

Steph. Clotz D.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958736/phys_0008
DFG

Reverendo Clarissimo Doctissimoq; Viro

Dn. STEPHANO CLOTZIO, S.S. Th.D.
Professori Collegæ colendo.

ILle Deus solus rerum moderatur habenas
Cunctarum, Cœlum, Terra, & cui militat æther,
Hic unus precibus nostris in vota vocandus.
Supplice voce unum hunc supera infera cuncta salu-
Non superas mentes hunc dividit inter honorem, (tant
Nec poscunt illæ cultum hunc, mandata paratæ
Illius exsequier, cui sese poplite flexo
Submittunt cuncti. Hæc monstras Clarissime Clotzi,
Da similes porro partus, Templisq;, Scholisq; libellis
Prodesto ingenij promptis de divite penu

F.

Johannes Quistorpius D. &
Theol. Facult. Senior.

EXercent hodie tot nostra pericula secla
Per mala quæ passi pernicioſa sumus.
Nec quisquam putet his se emergere posse procellis,
Auxilium præsens nî Deus ipse ferat.
Non Uriel, Raphaël, Gabriel, non ipse Michaël
Sollicitis precibus voce rogandus erit.
Id cùm ritè doces scripto hoc clariſſime Clotzi,
Quis non conatus comprobet ore tuos?

Ita ex animo gratulari volui Dn. Collegæ, populari ac Amico meo dilectiss. & honorando.

Johannes Cothman S.S.Th.D.
& P. Profess.

MAximus ille Deus, rerum moderatur habenas
Solus, diviſum nec tenet imperium:
Cum nullis ſummos Divis partitur honores,
Qui terrà & cœlo neſcit habere parem.
Quí feret ergo alios lateri ſibi jungier, æquo
Vel Dominos cultu participare ſuo?
Et tamen id Papæ venerans deliria plebes
Audet, tam ſanctè Numina mille colens.
Hanc contra CLOTZI decus indelebile Jovæ
Aſſeris æterni, dexteritate gravi.
Perge beare piis nos ſcriptis, donaq; rara
Ingenij authori reddere perge Deo.

I. m. q;. f.

Thomas Lindeman. SS. Th. D. & Prof.

CUI lux tecta bono? quid Gaza recondita prodeſt?
Utilitatis habent utraque clauſa nihil.
Illa viam monſtrat, levat hæc in rebus egentes,
Sic utriusq; ſuus maximus uſus erit.
Ergò rectè facis, non abſcondendo talentum,
Quod tibi JOVA dedit, quem pia terra colit.
Perge tui ingenij, CLOTZI, dare ſymbola multa,
Perge placere Deo, perge placere bonis.

φιλοφροσύνης ἕνεκα

Dn. Collegæ & amico ſuo honorando
f.

M. Lucas Bacmeiſterus, SS. Theol. Prof.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958736/phys_0010
DFG

ביהוה

DISPUTATIO I.

De Idololatria in genere.

Ἄνευ προοιμίου καὶ παθῶν.

I.

Resp. Ericus Winde.

IDololatria (vox ἔγγραφος Gal. 5. 20. Colos 3. 5. 1 Pet 4. 3.) dicitur quasi τῶν εἰδώλων λατρεία, Imaginum cultus: εἴδωλον ineptè derivant Græcæ linguæ ignari *ex dolo* quasi dolis & artibus Satanæ sit introductum: Melius alii, quia Græca vox est, παρὰ τὸ εἶδος, quod latinè forma, facies, species est, unde diminutivum εἴδωλον *formula* vel *Imaguncula* quæ rem vel rei apparentiam repræsentare potis. λατρεία *Bezæ* est παρὰ τὸ λα, particula αὐξήσεως, & verbo τρεῖν, tremere, ut ita λατρεία servitutem cum reverentia & tremore conjunctam notet, qualis servorum est, qui ad jussa Dominorum tremere & timere solent. Alii λατρείαν volunt esse δουλείαν ἐπὶ μισθῷ, servitutem mercenariam, παρὰ τὸ λῶ, quod ad mercedem respiret & respiciat mercenarius: Sic λάτρον, conducta merces, & λάτρις qui ob precium condictum voluntariè servit, vel qui voluntariam servitutem servit. Et hinc forte non incommodè religiosa servitus, qua voluntariè & ex condicto veluti fædere Deo servitur, nomine λατρείας designata venit: Alioquin & hujus vocis, uti mox videbo, commune significatum est.

II.

Voces autem istæ, Idolum, latria, Idololatria, sunt ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων: I Idolum dicit *vel* (1.) *in sensu Grammatico*, aut si mavis, usitato apud prophanos autores, quamvis imaginem, formam, speciem, *interdum non subsistentem*, apparentem, e-

 vanidam,

vanidam, ut *Plato* εἴδωλον cogitationis ait esse in voce *in Theæt. p. (mihi) 142.* & in Sophista *p.155.* εἴδωλα λεγόμενα vocat pictas imagines, & paulo post *pag 157.* δῆλον οὖν φήσομεν τά τε ἐν τοῖς ὕδασι καὶ κατόπτρῳς εἴδωλα, ἔτι καὶ τὰ γεγραμμένα, καὶ τὰ τυπωμένα, καὶ τἆλλα, ὅσα τῶν τοιούτων ἕξιν ἕπεται, &c. Manifestum quod Idola dicamus esse illa quæ in aquis & speculis offeruntur picta, quoq; & typis expressa, & hujus generis alia. *Et statim:* Τι δῆτα ὦ ξένε, εἴδωλον ἂν φαίμεν εἶναι πλὴν γε τὸ τοῖς πάληθινὸν ἀφωμοιωμένον ἕπεσθαι τοιοῦτον: Quid aliud, ô hospes, Idolum esse dicamus quam quod ad similitudinem accedit quodammodo, cum sit ipsum aliud: Sic *Arist. l. de sensu & sensil. c. 2.* εἴδωλα vocat species visivas, Αἰσθάνεται ὁ ὀφθαλμὸς ὁρᾷ μόνον τῶν δὲ ἄλλων ἀδὲν ἐν οἷς ἐμφαίνουσι τὰ εἴδωλα: *Et l. de Insomn. c.* 3. si moveat quis (aquam) quandoq; non apparet εἴδωλον: Paulo post appellat εἴδωλα φαινόμενα καθεύδοντα, Item! φαίνεται εἴδωλα πολλὰ κινούμενα: Item εἴδωλα λεχθέντα &c. Videtur etiam hæc significatio τῶν εἰδώλων esse apud 70. Nam quædam exemplaria Græca verba illa *Ezech. 36. 17.* Polluerunt eam (viam) בְּעֲלִילוֹתָם in consiliis, studiis & adinventionibus (Tremell.) actionibus suis: sic vertunt: ἐμίανον αὐτὴν ἐν τοῖς εἰδώλοις αὐτῶν, ubi mentis cogitata sive νοήματα videntur dici εἴδωλα: *Interdum verò significat imaginem subsistentem,* v.g. statuam, licet non prostet ad venerationem, *uti Herod. in Clio* εἴδωλον mulieris appellat; & in *Erato* dicit Regi Lacedæmoniorum post obitum erectum esse εἴδωλον &c. Quam significationem apud *Plutarch. Xenophont. Ælian. & alios, &c.* reperias.

III.

Vel (2.) Idolum dicit *in sensu Biblico, aut* (1.) *ipsum Numen,* cui opinio divinitatis religiosè, sed tamen superstitiosè, aliter quam illi potest competere, confertur, quomodo v.g. omnes Dii gentium dicuntur εἴδωλα *1. Chr. 16. 26.* qui tamen non omnes erant simulacra sive picta, sive ficta, velut de Persis refert *Herodot.* quod non solum simulacra Deorum non statuerint ipsi, sed etiam eos, qui statuerent, stultitiæ damnarint, & de Romanis testis est *Varro,* quod

quod plus quam 170. annos, Deos suos sine simulacris coluerint, quod etiam refert *Aug. l. 4. de C. D. c. 31. Plut. in vita Numæ Pompil. &c.* aut (2.) *numinis simulacrum* sive imaginem, quo sensu dicitur Israelitas fecisse vitulum & obtulisse hostiam τῷ εἰδώλῳ *Actor. 7. 41.* sic *Ap. 9. 20.* memorantur εἴδωλα τὰ ἄφωνα &c. quæ significatio in SS. est frequentissima! aut (3) *opinionem divinitatis sive excellentiæ* religiosæ de numine aliquo confictam interius in mente nostra, cum subjectione voluntatis &c. Quomodo *Idolum* (h.e. opinio illa divinitatis, aut cultus religiosi, quæ huic vel illi defertur) dicitur *esse nihil* h.e. nihil valere, nihil efficere, nihil prodesse, fictitium, putatitium, mendacium, esse, Es ist ein Einbilden der thörichten Menschen/ *1. Cor. 8. 4.* Hoc sensu idola dicuntur esse הֶבֶל & שֶׁקֶר falsitas & vanitas, *Ierem. 16. 19.* הַבְלֵי שָׁוְא vanitates vani (mendacii) *Ion. 2. 9. Ps. 31. 7.* הַבָלִים vanitates absolutè *Deut. 32. 21. 2. Reg. 17. 15.* quia nil nisi *vanitas & mendacium* est, quod animus sibi de eorum divinitate, potentia, auxilio, promittit: Hoc sensu dicuntur induci sive erigi *in Animis* גִּלּוּלִים *Ezech. 14. 7.* (70. vertunt ἐνθυμήματα cogitationes sicut & alibi hanc vocem sæpius *cap. 14. 5. c. 16. 36. c. 20. 16. 24. 31 c. 22. 3. 4. c 23. 7. 30. 37. 49. c. 44. 10.* Ubi vulgatus unum si excipias, legit Idola) per vanam nempe divinitatis opinionem, quæ huic vel illi ab animo mendaciter conciliatur.

IV.

II. λατρεύω, λατρεία &c. cum cognatis, apud profanos auctores quamvis servitutem, quodvis famulitium promiscuè sonat, uti ex Xenophonte, Sophocle &c. ante observarunt alii, Vid. *Ludov. Vivem comment. ad l. 10. de C. D. c. 1.* quod idem fassus est, *Bellarm. l. 1. de Sanct. Beat. c. 14.* quando duliam & latriam secundum profanos auctores ait significare prorsus idem: *Chrysost. etiam hom. 2. in Epist. ad Rom. p. 14.* edit Commel. τὸ λατρεύειν usurpat non pro ipso cultu divino, se pro vocatione sive ministerio in qua Deus operis nostris variè utitur, quando ait ὁ παῦλος ἦν ἐν τῷ τὸ κήρυγμα διαγγελίζεσθαι λατρεύων καὶ ἔτος ἦν ὁ τῆς δουλείας αὐτὸς τόπος; Quo sensu etiam dicere videtur Apostolus οἱ τῇ σκηνῇ λατρεύοντες *Ebr 13. 10.* (quamvis hic alii aliud sapiant;) Apud scri-

ptores item Biblicos significat λατρεία. Et (1.) *servitutem officiosam*, humanam, civilem, uti de humana servitute dicit Moses וְעָבַדְתָּ & servies inimicis tuis, pro quo Græci, λατρεύσεις τοῖς ἐχθροῖς σου *Deut. 28.48.* sic, omnem functionem מְלָאכָה non facietis, pro quo 70. πᾶν ἔργον λατρευτὸν οὐ ποιήσετε *Exod. 12.16. Levit. 23.3. 8.21.25.35.36. Num. 28. v. 18.25.26. c. 29. 1.7.12.35.* Temeritas ergo Bellarmino digna est, quando tam confidenter asserit in *Versione Græca Levitici SEMEL haberi nomen latriæ pro servitio humano:* Item *scriptores sacros vocem latrias nunquam usurpare nisi pro cultu Dei, l. 1. de Beat. Sanct. c. 12.* quod tamen post emollit, quando *fere* nunquam, ait, latriam secundum usum scripturæ accipi pro cultu qui exhibetur creaturæ, *l. 1. de Beat S. c. 14. §. 6.*

V.

Et (2.) *servitutem religiosam soli Deo* debitam: quomodo hæc vox in scripturis Græcis Deo aut cultui divino vendicata sæpiusculè legitur, *Exod 3.12. cap. 4.23. c. 7.16. c. 9 1.14. c. 10. 3.7.8.11.24.26. c. 12 31. cap. 20 5. c. 23. 24.25. Deut. 4.19. 28. c 5. 9 c. 6.13. c. 7 4.16. c. 8.19 c. 10.12.20 cap. 11 13 16. c. 12. 2. c. 13. 2. 6. 13. c. 17. 3. cap. 28 14. 36. 47. c. 29. 18. 26. cap. 30. 17. c. 31. 20. Ios. 22. 5. 27.* (λατρεύειν λατρείαν κυρίῳ) *cap. 23. 7. 16. c. 24. 2. 14 15. 18. 20. 21. 22. 24. 31. Iud. 2 11. 13 19. cap. 3 6. 7. c. 10. 6. 10. 16. 2. Sam. 15. 8. 2 Paral. 24. 18* ubi in Hebr. est radix עבר. Alibi sic 70. vertunt Chald. פלח *Dan. 3. 12. 14. 17. 18. 29. cap 6. 16 20.* & verbum שָׁרַת *Num. 16. 9. Ezech. 20 32.* In N. T. sæpius sed non nisi de cultu divino usurpata eadem vox recurrit: λατρεία quidē, *Ioh. 16. 2.* itē *Rō. 9. 4.* (ubi nomine λατρείας peculiariter intelligi putatur lex Ceremonialis in qua modum, prout Deus in V. Test. coli voluit, præscripsit) *c. 12 1.* (τὴν λογικὴν λατρείαν, *Luth.* einen vernünfftigen Gottesdienst/ h. e. sinceram integram non corruptam, spititualem, sicuti Petro lac dicitur λογικὸν, h. e. purum, sanum, non infectum, *1. Petr. 2. 2.*) *Ebr. 9. 1.* (δικαιώματα λατρείας, Vulg. justificationes culturæ, Erasm. justificationes cultus, sed nimis obscurè: Appellantur ita *cultus rituales* sive ceremoniæ legales quibus Deus in V. Test. colebatur: Alibi δικαιώματα σαρκὸς, ritus carnales, *Ebr. 9. 10.* quia in rebus crassis & terrenis positi animam ipsam non attingebant.

& non

& non poterant perfectum reddere cultorem *v. 9.*) *cap 9.6.* Sic & λατρεύειν, *Luc.1.74. cap.2 37.cap.4.8.Matth 4.10 Act 7.7.42.c.24.14.c. 26.7.c.2723.Rom.1 9.25.Phil.3.3.2.Tim.1.3.Ebr.8.5.c.9 9 14.cap.10.2 c.12. 28. Apoc. 7.15. cap.22.3.*

V I.

III. Idololatria, vel γενικῶς notare potest omne peccatum per quod à Deo receditur: Quemadmodum avaritia est εἰδωλολατρεία *Col 3.5.* à qua tamen alibi distinguitur *1.Cor.6. 9.* vel εἰδικῶς illud peccatum per quod à *Dei cultu* in SS. præscripto ita receditur, ut ad alium colendum vel ipsum non rectè colendum accedatur, de quo me videbo paulo post.

V I I.

Epitheta sive Synonyma Idololatriæ in SS. sequentia reperies: Dicitur. I. *Fornicatio: 2 Reg.9.22.2.Paral.21.13.Jerem.c.3.2.6.8. 9.c.1.27 Ezech.16.15.c.20.30.c.23.3.27.3.43.c.43 7.9.Os.c.2.2.c.4.10.12.Nah.3.4.* Sic *Sap.14.12.* ἀρχὴ γὰρ πορνείας ἐπίνοια εἰδώλων, Luth. Götzen auffrichten ist die höchste Hurerey. Ita & in N. Test. *1.Cor. 10.8.Apoc.2.14. 20.21.c.9.21.c.14.8.c.17. 2.4.5.c.18.3.c.19 2.* Et *Adulterium. Jerem. 13.27. Ezech.23.43.&c.* Hinc *Synagoga Idololatrarum* dicitur terra plena adulteris, *Jerem.23.10.* urbs quæ facta est meretrix *Esa.1.21.* Babylon mater fornicationum, *Apoc.17.5.c.18.2.* lupanar, *2. Reg. 23.7.* domus meretricis, *Jerem.5.7. Spiritus Idololatrarum* dicitur spiritus fornicationis, *Ose.4 12.c.5.4.* Spiritus impuritatis, *Zach.2.13.* πνεῦμα ἀκάθαρτον *Apoc. 16.13. Merces,* ornatus, fructus Idololatrarum est merces meretricis, *Mich. 1. 7. Os.2.12.c.9.1.Idololatræ,* Scortatores, *1.Reg.14.24 c.15.12.c.22.47.* adulteri, *Jerem.9.2.c.23.10.* semen adulterum, *Esa.57.3* filij scortationum, *Ose.2,4.* Scorta, *Ezech.16 35.Apoc.17. 15.* meretrix oblivioni tradita, *Es.23.16.* Mulier meretrix pervicacissima Ertzhuer/ *Ezech 16. 30.* scortum pollens gratia magna, ein schöne liebe Hure/ *Nah 3 4.* Meretrix magna, *Apoc.17.1.* quæ corrumpit terram *c.19.2. Idololatriam committere* est fornicari post Deos alienos, *Exod. 34. 15. Lev. 20. 5. 6. Deut. 31. 16. Jud. 2. 17. &c.* fornicari post Baal, *Iud. 8. 33.* fornicari post spurcitias, *Ezech. 20. 30.* fornicari cum Idolis, *Ezech. 23. 37.* prophanare terram in fornicationibus suis, *Jerem. 3. 2.* Adulterium com-

mittere *Jerem.3.8.9.c.5.7.Ezech.23.37. Oſe.7.4.* Idolum dicitur Idolum Zelotypiæ, *Ezech. 8.5.* Zelotypia eſt affectus amoris pariter & juſtitiæ quo maritus ob violatam conjugii fidem uxori adulteræ irascitur: Ita Deus ex eo, quo erga nos eſt, amore ferre nequit, ut honorem & amorem ſoli ſibi debitum Idolis tribuamus, & animas noſtras proſtituamus Dæmonibus: Eſt ergo Idolum Zelotypiæ quod nos à Deo animæ noſtræ ſponſo & marito abducit, & ad alienos amores alieni Dei invitat, ipſum vero Deum quaſi legitimum maritum & zelotem, *Exod.34.14.* ad iram juſtiſſimam provocat. *Dicitur* & II. *Abominatio*, res abominanda Jehovæ, *Deut. 7.25.26.c.12.31.c.27.15. Jerem 16,18.* abominanda iniquitas, *Pſ.53 2.* abominatio malorum *Ezech.6.11.* abominatio oculorum *Ezech.20.7.8.* verbum abominationis, *Jerem.44.4.* ἀθέμιτα, abominanda, nefanda, *1.Petr.4.3.* שִׁקּוּצִים ſpurcitiæ, deſolationes, abominationes, res immunda & ſpurca, *1.Reg.11.5.7. Ezech.* 20.30. III. רִשְׁעָה *malitia* κατ' ἐξοχὴν, *Deut.9.4.5. Zach.5.8.* ἀσέβεια καὶ ἀδικία, *Rom.1.18.c.11 26. Jud. Epiſt.18.* Malitia actionum *Deut.28.20.* Malum ſtudiorum *Eſa.1 16. Jerem. 21.12.c.23.22.c.25.5.c.26.3 Oſe. 9.15. Mich. 3.4.* Via mala *Ezech.13 22.c.20.44.c.33.11. c.36.31.* Via ſceleris *Ezech. 16.27.* Studium non bonum *Ezech. 36.31, Zach. 1. 4.* adinventiones peſſimæ *Neh.9.35.* IV. *Vanitas Ezech. 13.23. Pſal. 119 37.* cogitationes injuriæ *Jerem. 4.14.* eruditio vanitatum *Jerem.10 8. Vanitas vanitatum, Pſal.31.7.* μάταιος ἡ θρησκία, *Jac.1.26.* ψεύδος, *Apocal.21.27 c.22.19. &c.* V, *Veneficium, Nahum.3.4. Apoc.18.23. &c.*

VIII.

Idololatriam committere in SS. eſt (1.) *Ire poſt Deos alienos* incurvare ſe eis, *Jud.2.12. Jerem.7 6.9. c.11.10. c.13. 10. c.22. 9. c.35. 15.* corrumpere ſeſe ad eundem poſt Deos alienos *Jud.2.19* Ire poſt Deos alienos & non cuſtodire quæ præcepit Dominus *1.Reg.11.10.* projicere Deum poſt tergum, ire & facere Deos alienos, *1. Reg. 14 9.* (2.) *Servire Diis alienis Jud. 10. 6.13. 1 Sam. 8.8.* ambulare ad ſerviendum ijs, *Ierem.35.15.* ſervire Diis juxta judicium gentium, *2 Reg. 17.33.* ſervire ſculptilibus *2. Reg. 17. 41.* derelinquere præcepta & ſtatuta Dei & ſervire Diis alienis, *2. Chron.7.19. 22.c. 34. 25.* ſervire ſculptili & glorificare ſe in Elilim *Pſal. 97.7.* (3.) *Fornicari poſt Deos alienos*

alienos Exod. 34 15. Lev. 20. 5. 6. Deut. 31. 16. Iud. 2. 17. fornicari post Baal & ponere sibi in Deum Idola, *Iud. 8. 33.* fornicari post spurcitias *Ezech. 20. 30.* fornicari cum Idolis *Ezech. 23. 37.* prophanare terram in fornicationibus suis, & in malitia sua, *Ierem. 3 2.* fornicari in adinventionibus suis *Psal. 106. 37.* mœchari, *Ierem 3 8. 9. c. 5 7. Ezech. 23. 37. Os. 7 4.* (4.) *Inclinare cor suum post Deos alienos 1. Reg. 11 2.* (5.) *Derelinquere Deum & incurvare se Diis, Ierem. 1. 16. c. 16. 11. c. 19. 4. 1. Reg. 11. 33.* (6.) *Timere Deos alienos* & ire in decretis gentium, *2. Reg. 17. 7. 35.* fidere in sculptili & dicere conflatili, vos dii nostri *Esa. 42. 17.* expandere palmas suas ad alienum Deum, *Psal. 44. 21.* aspicere ad Deos alienos *Ose. 3. 1.* (7.) *Facere sibi Deos, 2. Reg. 17. 29.* statuere sibi Deos alienos *2. Chron. 25. 14.* apprehendere Deos populi *2. Chron. 7. 22.* quærere Deos alienos *2. Chron. 25. 15.* (8.) *Suffire Diis alienis 2. Reg. 22. 17. 2. Chron. 28. 25. Ier. 44. 5. 8. 15. c. 48. 35.* libare libamina diis alienis *Ierem 7. 18. c. 19. 13. c. 32. 29.* (9.) *Mutare Deum*, mutare gloriam suam in (idolum) inutile *Ierem. 2. 11.* Mutare honorem suum in formam bovis *Psal. 106. 20.* (10.) *Facere secundum abominationes gentium, 1. Reg. 14, 24.* facere abominationes eundo post idola *1 Reg 21 26* polluere sanctuarium propter abominationes & contaminationes, *Ezech. 5. 11.* polluere nomen sanctitatis Jehovæ in abominationibus *Ezech. 43. 8.* pollui in Idolis, *Ezech. 20 31.* facere abominationes & mendacia, *Apoc. 21. 27.* operari mendacium, *Ose. 7. 7.* facere blasphemias magnas *Neh. 9. 18.* (11.) *Prævaricari in Deum* & spargere vias suas Diis alienis *Ierem. 3. 13. &c.*

IX.

Idololatræ dicuntur filii & filiæ Dei alieni *Malach. 2. 11.* filii in quibus non est fides, *Deut. 32. 20.* filii scortationum *Ose. 2. 4.* filii præstigiatricis, semen adulteri, nati prævaricationis, filii falsitatis *Esa. 57. 3. 4.* semen maleficorum filii corruptores *Es. 1. 4.* viri generationis pravæ *Deut. 1 35.* generatio perversa &c. *Deut. 32. 5. 20.* Adulteri, *Ier. 9, 2. c. 23. 10.* Scortatores, *1. Reg 14. 24. c. 22. 47.* alienigenæ, præputiati corde & carne *Ezeh. 44. 7. 9. Act. 7. 51.* populus rebellis, qui ambulat in via non bona sequendo cogitationes suas, *Esa. 65. 2* populus pessimus, qui renuit auscultare verbis Dei, qui ambulat in aspectu cordis sui (ex sententia animi sui) & ambulat post Deos alienos *Ier. 13. 11. &c.*

X. *Idola*

X.

Idola in SS. dicuntur, 1. אֱלֹהִים *Gen. 31. 32. Ex. 18. 11. c. 32. 1. Ios. 24 14. 15. 1. Reg. 19. 2. c. 20. 10.* sic Elohe Mizraim, *Exod. 12. 12.* sic *c. 22. 20.* immolans לָאֱלֹהִים excindetur, *vid* & *Num. 25. 2. 1. Reg. 11. 2. 8. 33. 2. Reg. 17 33. Es. 37. 19.* ubi 70. Elohim verterunt per εἴδωλα: Ab Idololatris enim in locum Elohim sive veri Dei substituuntur. 2. אֱלֹהִים אֲחֵרִים (אֵל אַחֵר reperitur, *Exod. 34. 14.*) *Exod. 20. 3. cap 23. 13. Deuteronom. 5. 7. cap. 6. 14. cap. 7. 4. c. 8. 19. cap. 11. 16. 28. c. 13. 2. 6 13 c. 17. 3. c. 18. 20. c. 28. 14 36. 64. c. 29. 26. c. 30. 17. c. 31. 18. Ios. 23. 16. c. 24 2. Iudic. 2. 12. 17. 19. &c.* hoc est Dii posteriores, Dii alii à vero Deo, falsi, fictitij: sicut in vulgata latina ignis dicitur alius, *Num. 3 3. Lev* 10. 1. suffimentum aliud, *Exod. 30. 9.* Et Paulo Evangelium aliud, *Gal.* 1. 6. hoc est, peregrinum, alienum, aliud ab eo, quod Deus præcepit; Ita dicuntur זָרִים Dii alieni, extranei, ἀλλότριοι, juxta 70. *Ier. 3 13. c. 5. 19.* אֵל זָר *Psal. 44. 21.* Dii novi, *Deut. 32. 17.* Dii quos non norunt, *Deut. 29. 26. c. 32. 16.* 3. אֱלִילִים *Lev. 19. 4. 1. Paral. 16 26 Psal. 96. 5 Psal. 97. 7 Esa. 2. 8 18. 20. c. 10. 11. c. 19 1. c. 31. 7. &c.* Götterchen / Deunculi, Deastri, Deilli &c. quod nomen derivare solent vel ab אל nihil nihilum, quod Idola sint res nihili, *1. Cor. 8. 4.* & לֹא אֱלֹהַּ *Deut. 32 16.* לֹא אֵל non Deus, *Deut. 32 21.* לֹא אֱלֹהִים non Dii ipsi *2. Reg 19. 18. 2. Paral 13. 9 Ierem. 2. 11. cap. 5. 7. c. 16. 20. Ose. 8. 6.* μὴ φύσει ὄντες θεοὶ, *Gal. 4. 8.* ἃ κ ὄντες θεοί, *Baruch. 6. 14. 22. 49. 50. 64. 71.* vel ab אֵל Deus, quasi Deillos dicas: vel ab אַל אֵל non Deus, vel ab אֵל לַיִל Deus noctis, lucifugus &c. vel ab אָלָה execratus est, quia Idola sunt abominatio, res abominanda &c. Quas derivationes num exactæ sint, viderint Grammatici: 70. verterunt hanc vocem vel per εἴδωλα, vel per χειροποίητα vel per βδελύγματα, vel per δαιμόνια, vel per μάταια, vel per ὀιονίσματα, vel per μεγιστᾶνες. (4.) גִּלּוּלִים stercora, excrementa (satanæ) Dii stercorarij, sordes quæ conspurcant, Dreckgötter / *1. Reg. 15. 12. 2 Reg. 17. 12. Ezech. 20. 31. cap. 16. 36. c. 36. 18. Ierem. 50. 3. Deut. 29 17. &c.* per contemtũ ita dicti, nicht eines Dreckes werth: 5. צִרִים tormina, cruciatus, dolores gravissimi, quales parturientium, *Esa. 45. 16.* Angst-

Götter

Götter/ quia conscientiis cultorum nil nisi tormina & dolores pariunt: 6. תֹּהוּ indigestio, inanitas, res informis, wüste/ leere Götter/ τὰ μηδὲν ὄντα, ut legunt 70. *1.Sam.12.21. Esa. 41.29. c.44.8.* quæ nihil prosunt, *Esa. 44. 9.* Ita & dicuntur עַצַּבִּים dolores, terricula, quod terreant animos magis quam erudiant, *1.Sam 31. 9. 1. Chron. 10.9. 2.Chron.24.17. 2.Samuel.5.21. Psal.106. 36.38. Psal.115.4.Psal.135 15. Esa.10.11.c.46.1.&c.* (7.) אֵל נֵכָר *Deut.32.12.* אֱלֹהֵי הַנֵּכָר Dii alienationis, extranei, alienigenæ, quos non agnoscimus, Dii alieni populi, Tremell. Dii spurii (sicut filius alienationis *Genes.17. 12.*) Bastarte/ Luth. frembde Götter/ *Gen.35.2.4. Deut.31.16. Ios.24.20. Iud. 10.16. 2.Chron.33.15. Ierem.5.19.Malach.2.11.&c.* & נֵכָר absolute, *Nehem.13 30.* Et הַבְלֵי נֵכָר vanitates alienationis, *Ierem.8.19.* Luth. frembde vnnütze Gottesdienste/ (8.) Aurum & Argentum, *Psal.115.4. Psal 135.15.* Dii auri, *Exod 32.31.* Dii argenti & auri, *Exod.20. 23.* Dii fusionis, fusiles, *Exod. 34. 16. Lev. 19.2.* Dii auri, argenti, æris, ferri, &c. *Dan.5 4.* Dii, opus manuum hominis, *Deut.4.28.2.Reg.19.18. Psal.115.4.Psal.135 15.* Θεοὶ χειρῶν γινόμενοι, *Act.19.26.* ἔργα χειρῶν ἀνθρώπων, *Sap.13.10.* εἴδωλα χειροποίητα, *Dan.14. 4.* (9.) Sculptilia Deorum, *Deut.12.3.* פֶּסֶל sculptura, *Deut.4.16. Exod.20.4.&c.* סֶמֶל simulacrum, *2.Chron.33. 15. Ezech. 8. 5.* vel פֶּסֶל הַסֶּמֶל sculptile simulacri, *2.Chron 33.7.* מַסֵּכָה fusio, *Deut.9.12. c.27. 15. 1.Reg. 14.9.&c.* Vel פֶּסֶל וּמַסֵּכָה sculptile & fusile, *Deut. 27. 15.* בְּיוֹן aptatio figurarum, (ut quidam vertunt hanc vocem) *Amos. 5. 6.* תְּמוּנָה similitudo, *Exod.20.4.Deut.5.8. cap.4.16. 23. 25.&c.* Item, תְּרָפִים Imagines *Gen.31.19.34.35.Iud.17.5.c.18.14.17.18.20.1.Sam.15 23. (c.19.13.16.) 2 Reg.23.24. Os.3.4. Ezech.21.21. Zach.10.2.* Quid vox illa significet variant Interpp. Quidam dicunt intelligi simulacra sive oracula quæ responsa dabant, & domi uti penates habebantur; quo forte respexere 70. qui uno loco *Zach. 10. 2.* Teraphim vertunt per ἀποφθεγγόμενοι: Alii, instrumenta ærea ad cognoscendum partes horarum, vel regiones, stationes, & gradus astrorum, unde postea de futuris eventis, ex Astrologica peritia divinari possent: De quo dubito, an satis verè! De Michol enim dicitur,

תְּרָפִים varia

veris interpretes

1.Sam.19. 12. seqq. quod Teraphim posuerit in lecto, simulans ibi cubare Davidem, quem tamen ipsa clam emiserat, quæ fraus fieri nõ potuisset, nisi Teraphim humanã habuissent effigiem. Alii igitur Imagines intelligunt humana facie, de quo alibi, Ité צְלָמִים figuræ, simulacra, *Num 33.52. &c.* figuræ abominationum, *Ezech.7. 20.* figuræ auri, *Dan.3.5.7.10. &c.* (10.) Abominatio, res abominanda Jehovæ, *Deut.7.25.26.c.13.14. c.18.9 c.27 15. Ier.16.18. Ezech.7,20.* Abominatio oculorum, *Ezech.20.7.8.* abominatio malorum, *cap.6.11.* Dii stercorei abominationum, *Ezech.16.36.* Sic שִׁקּוּצִים spurcitiæ, desolationes, *1.Reg.11.5.7. Deut.29.17.2.Chron.15.8. 2.Reg.23.24. Ierem. 4. 1.c.32.34.c.7.30. Ezech.11.18. cap.37.23. &c.* ἀλισγήματα εἰδώλων *Act.15. 20.* coinquinationes gentium, *Esdr.6. 21. c.9. 11.* (11.) הֶבֶל Vanitas *Ier.10.3.* שֶׁקֶר falsitas *Ierem.10.14.* שֶׁקֶר & הֶבֶל falsitas & vanitas in quib. nihil utile est, *Ier.16.19.c.10.15.c.51.17* הַבְלֵי שָׁוְא vanitates vanitatum (mendacii) vanissimæ, & vanitatem docentes, Luth. das Nichtige! *Ion.2.9.* הַבְלֵי נֵכָר vanitates alienationis, *Ier.8 9.* eruditio vanitarum, *Ierem.10 8.* μάταια, *Actor.14. 14.* μάταιοι θεοὶ *Sap.15 8* qui non possunt auxiliari, *Esa.45.20. Deut.32.37. 2. Chron.32. 17.* nec fecere cœlum & terram, *Ier.10.11.* nec possunt futura prædicere, *Esa. 41. 22.* nec è loco suo recedunt si quis clamat, *Esa. 46. 7.* omnino portandi quia non possunt recedere, &c. *Ier.10.5.* os habent & non loquũtur &c. *Deut.4 28. Psal.115.5.seq. Psal.135.15. Sap.17.13.15. cap.15.15.* (12.) Opus errorum, seductionum, aberrationis maximæ 70. ἔργα ἐμπεπυγμένα, μεμωκημένα, illusoria, risu digna *Ier. 10. 15. c.51.18.* (13.) שֵׁדִים δαιμόνια, uti vertunt 70. *Deut.32.16. Psal 106. 37.* quasi devastatores dicas, Luth. Feldteuffel: (14.) Dii gentium *Exod.23.24.32.c.34.15. Num.23.2. Deut.6.14.c.7.16. cap.29.18. 2.Reg.18.33. c.19.12. 2.Chron.32.14.* εἴδωλα ἐθνῶν *Sap.14.11. c.15.15. &c.* Plura si quæ sunt Idolorum Epitheta, sedulus scripturæ lector sponte observabit. Et hactenus vidimus *Quid nominis*, restat ut etiam *Quid Rei sit, Quodnam objectum, Quæ ratio formalis sive definitio, Quæ divisio, Quæ causæ, Quæ consequentia* Idololatriæ sint, paucis videamus.

X I.

I. *Objectum Idololatriæ* quid sit primò operæ precium est disqui-

disquirere: Est autem objectum Adorationis religiosæ illud quod honore divino sibi juxta SS competente coli debet, verus nempe Deus in essentiâ unus & personis trinus, quod toties SS. clamitat, quoties Deum adorandum, laudandum, glorificandum, celebrandum, magnificandum esse dictitat, est inquam Deus objectum (si loquare de concreto personæ) adæquatum & unicum, cujus tamen humanam quoque Christi naturam per & propter unionem personalem & Idiomatum communicationem, quasi partem objectivam statuimus, De quo alibi: *Objectum ergo Adorationis Irreligiosæ & Idololatricæ omne illud erit, quod honore divino afficitur aliter quam illi potest competere.* & dicitur *Idolum.*

XII.

Est vero Idolum nomen concretum & dicit (1.) *Materiale*, ipsum illud Ens sive verum sive fictum, creatum vel increatum, quod quâ tale Idolum non est, sed per denominationem extrinsecam ab actu mentis & voluntatis nostræ fieri dicitur Idolum: Ita Idola dicuntur aurum & argentum, *Ps. 115. 4. Ps. 135. 15.* & lignum, *Sap. 13. 13. 15.* (2.) *Formale*, Actum videlicet tum mentis, qui est opinio aliqua de objecto cum conciliatione excellentiæ divinæ: tum voluntatis, qui est submissio & veneratio: Et hoc sensu Idolum nihil esse dicit *Apost. 1. Cor. 8. 4.* Cui accedit (3.) *Relatio*, quæ est inter Actus animæ, cultum religiosè deferentis & inter objectum sive numen cui defertur.

XIII.

Unde constat *Idolum tum demum formaliter esse, quando aliquid colitur cultu religioso non competente*, tum vero desinere quando religiosè coli desinit: Sic v. g. Æneus serpens quando à Mose erigebatur in deserto, Idolum non erat, quia aberat ratio colendi illum religiosè: At ubi cœpit illi adoleri incensum, & cultu religioso honorari, factus illico Idolum, & confractus est ab Ezechia *2. Reg. 18. 4.* quod vidit quoque *Bellarm. l. 2. de Imag. c. 17.* Sol, luna, stellæ, nobis Idola non sunt, sed bonæ Dei creaturæ, *1. Tim. 4. 4.* quia non adest ratio colendi religiosè: Israelitis autem erant Idola quia hæc ratio & opinio accesserat, *2. Reg. 23. 5. Deut. 4. 19 c. 17. 3. Jerem. 44. 17.* sic ipse Bellarm. non diffitetur; Idolum esse Imaginem

ginem quæ habetur pro Deo *l.2 de Eccles triumph. c.7.* hoc est quæ colitur & adoratur pro Deo: sic *c.13.* Illum cultum dicit esse Idololatricum quando Imagines habentur *pro Diis* vel per imagines coluntur tanquam Dii illi qui vere non sunt: quo nobis ipsis suffragatur, nempe imagines Idola fieri, quando illis cultus divinus religiosè defertur. XIV.

Sed videamus saltantem Bellarmin. Hic vero, ut crimen idolatrias â sese & suis removeat, *discrimen molitur, & fingit inter Imaginem & Idolum* hoc intersesse, quod *imago* sit *vera rei similitudo, ut cum pingimus hominem equum &c. Imago enim ab imitando dicta est Idolum vero sit falsa similitudo h.e. repræsentans id quod revera non est, ut cum Gentiles proponebant statuas veneris aut minervæ, illa signa Idola erant, quia repræsentabant Deos generis fœminini, quales Dii nec sunt nec esse possunt: Atq; ita nec verè repræsentabant, sed erant falsæ imagines. id enim quod non est repræsentari non potest, ex quo intelligimus*, ait, *imagines Christi & sanctorum non esse Idola, quia non sunt facta ad repræsentandam naturam Trinitatis vel Angelorum, sed ad exprimendam formam in qua apparuerunt, vel certè eorum proprietates, l. 2. de Reliq. s.c.5.*

XV.

Verum nec sibi satis constat, nec quid Idolum sit, satis explicat: (1.) *Non constat sibi*, quia Idolum & Imaginem sæpius confundit ipse, *sic l.2. de Imag. c.7.* dicit *Idolum* esse *Imaginem*, quæ habetur pro Deo, vel, quæ repræsentat tanquam Deum eam rem, quæ non est Deus: *Eod. l. c.11. citat Damasc.* qui dicat fuisse aliquos, qui *Imaginibus* detulerint divinos honores, quos dixerint Christiano Categoros, quia propter eos accusabantur Christiani ut *Idolorum* cultores: Eodem modo ait, Alex. Severum coluisse *Imagines* Christi & Abrahæ cum cæteris suis *Idolis*, teste Ælio Lamprid. Sic alibi definit Idola, quod sint *Imagines* fabricatæ, ut eas pro Diis tum habeamus tum adoremus: Imago ergo & Idolum Bellarm. ita se habent ut de sese prædicari possint. XVI.

2 *Nec quid Idolū sit satis explicat:* nō n. imago, quâ rei vera vel falsa, existentis vel nō existētis similitudo est, sed quâ honore divino sibi non cōpetente adoratur colitur ve, Idolum est: Nam (1) *Idolum esse potest ubi* ut Bellarm. loquitur, *Imago* hoc est, *vera rei similitudo est:* Non ergo omnis falsa similitudo formaliter Idolum est: Nam posito

sito, si Imagines quis colat cultu latriæ propter seſe, v. g. ipsius Christi, is erit Idololatra juxta Bellarm. *l 2. de Imag. c. 24.* Itē si colat quis Petri, Pauli, Antonii, imaginem cultu latriæ propter seſe, erit Idololatra: Quas tamen Imagines similitudines esse credunt sui prototypi non falsas sed veras: Item si colat quis cœli sydera, Solem & lunam, more Israelitico, *Jer. 44. 23. Deut. 4. 19.* & Orientalibus usitato, erit Idololatra, quæ tamen non falsò sed verè in animo adorantis seſe repræsentant: Item si pater mærēs acerbo luctu filii præmaturè erepti, effecta imagine jam ante mortuū ut Deum colere incipiat, erit Idololatra, *Sapient. 14. 15.* & tamen tale idolum erit vera rei similitudo. Huc facit observatio *quod in latina vulgata* quam Bell. rejicere religio est, *Imago sæpe ponitur & Idolum intelligitur*: Ut: ne (forte decepti) faciatis *Imaginem* Masculi vel fœminæ *Deut. 4. 16. Imagines* (Baal) contriverunt, *2. Reg. 11. 18. Imagines* abominationum suarum fecēre, *Ezech. 7. 20.* feciſti tibi *Imagines* masculinas & fornicata es in eis, *c. 16. 17.* auxit fornicationes suas cum vidisset *Imagines* Chaldeorum, *c. 23. 14.* portastis *Imaginem* falsam, *Habac. 2. 18.* mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinē *Imaginis*, *Rom. 1. 23* sic *Esa. 44.* qui dicuntur plastæ Idoli *v. 9.* dicuntur facere *Imaginem* viri *v. 13.* operari Deum & adorare *v. 15.* & (2.) *Idolum non necessariò est, ubi falsa similitudo est*: Hoc ergo de formali ratione illius esse non potest: Quotus enim quisq; pictorum Imagines Christi & Apostolorum eâ forma exprimit, quam in vivis habuere? Imagines ergo illæ omnes h. m. erunt Idola: Pictores isti omnes erunt εἰδωλοποιοὶ, Georgius cum suo dracone, Christophorus cum procerâ sua arbore, Moses cum suis cornibus, Idola erūt, quia talem aut Mosen aut Christophorum aut Georgium unquam in rerum natura fuisse dubitaverit forsan cordatus.

XVII.

Verum non desunt Bellar. quibus ſuo dogmati robur acquirere nitatur: *Ait in SS. nunquā tribui nomen Idoli veræ imagini, ſed ſolum ſimulacris Gentilium quæ falsos Deos referebant, l 2. de Reliq. S. c. 5.* Attribuitur etiam simulacris Judæorum, per quæ verum seſe Deum colere putabant, v. g. vitulo aureo qui dicitur εἴδωλον, *Actor. 7. 41.* simulacro Michæ, quod dicitur Idolum (in vulgata) *Jud. 17. 5.* sic vituli in Dan & Bethel dicuntur Dii alieni, *1. Reg. 14. 9. &c.*

XVIII.

2. *Ait in SS. Idola vocari* אֱלִילִים *Lev. 19. & 26.* & alibi, vel אוֹנִים *Num. 23 Ose. 6. quæ voces significant vanum & falsum:* Resp. Idolum dicitur vanum & falsum, quia vanitas & falsitas est quod sibi intellectus de divinitate eorum pollicetur: Hoc ergo nomine Idola nihil repræsentare dicimus, quia nil repræsentant veri numinis aut divinitatis in objecto, licet aliàs verè existente.

XIX.

3. Probat inde, quia *Paulus ait* 1. *Corinth 8. Scimus quia Idolum nihil est: Ubi Idolum nihil esse dicitur, quia licet sit aliquid secundum materiam tamen nihil est formaliter, cum id repræsentet quod nihil est, & proinde nec vere repræsentet, & consequenter nec sit:* Resp. (1.) Idolum ergo Bellarm. nihil significat: Quia repræsentat id quod nihil est: At aliquando Solem & Lunam & stellas significat: Solem ergo Lunam & stellas oportet esse nihil: Absurde! (2.) sufficit nobis Idolum esse nihil, non ut materialiter ipsum numinis simulacrum est: Sed ut vel *objectivè ipsum Numen est*, quod simulacro repræsentatur: Et illud est *nihil appreciativè*, quia nullius pretii est, nihil est virtute, efficacia, potentia, nihil prodest, *Esa. 44. 9.* nihil obest, nihil valet, ad nihil utile est, *Ierem.* 16. 19. auxiliari non potest, *Esa. 45. 20. Deut. 32. 37. 2. Chron. 32. 17.* nec de loco recedere si quis clamat, *Es. 46. 7 Ier. 10 5.* nec audire, &c. *Deut. 4. 28* vel nihil omnino tale est, quale falso putatur h. e. non est Deus, ut ait Greg. de Valent. *d. 17. m. 2 2. q 11. p 1.* nihil est h. e. non est aliquid, quod possit vel sanctificare vel contaminare, *Chem. in loc. c. de Imag.* Vel ut *formaliter quædem de numine opinio est*: Et ita est *nihil repræsentative* h. e. purum putum figmentum colentis, qui fingit illud esse Numen aut cultum numinis quod nihil est, quo sensu si asserat Bellarm. cum Paulo Idolum nihil esse, nos habebit ὁμοψήφους, sese vero & suos assecläs ab Idololatria ideo non purgabit.

XX.

4. *Ait in SS. simulacrum ubiq; poni pro Idolis, & semper ubi latinus interpres posuit simulacra, in Græco esse* εἴδωλα: Sed & hæc Jesuitica veritas est, nam latinus interpres posuit simulacra, *Exod.* 34. *15.* ubi in Græco est γλυπτὰ (non εἴδωλα) & Lev. 26. 30. ubi Græcè

χωνευ-

χειροποίητα, & *Num.* 23. 21. ubi Græcè πόνος & 1. *Sam.* 19. 16. 1. *Reg.* 15. 13. 2. *Chron.* 34. 4. ubi Græcè κενοτάφια καταδύσεις, ὑψηλὰ & *Esa.* 10. 10. c. 40. 20. c. 41. 29. *Ezech.* 6. 4. c. 30. 13. *Ose.* 10. 1. *Zach.* 10. 2. ubi Græcè habetur non εἴδωλα sed γλυπτὰ, εἰκόνες, πλανῶντες, τιμένη, βδελύγματα, ἀποφθεγγόμενοι, σῆλαι, sic 2. *Macc.* 2. 2. ubi in Græco non est εἴδωλα sed ἀγάλματα: Et hæc talia compl. in locis (2. *Chron.* 31. 1. c. 33. 15, & 34. 3. *Esa.* 2. 20, c, 19. 1. 3. c. 46, 1. *Ezech.* 7, 20. *Os.* 10, 2.) occurrunt, ut mera sit audacia & inscitia Jesuitæ, asserentis, semper ubi latinus interpres ponit simulacra, in Græco esse εἴδωλα.

X X I.

II. *Porro formalis ratio Idololatriæ* quid sit, contenditur: *Nazianz.* ita: Idololatria est adorationis à Creatore ad creaturam translatio: *Thomas;* Idololatria est exhibere latriam hoc est, cultum divinum creaturæ: *Et alibi:* Est superstitio, qua creaturæ divinus cultus exhibetur. *Gerson,* Idololatria est exhibitio honoris verè vel interpretativè vel attributivè divini alicui creaturæ aliter quam sibi potest competere - *Altensteig. in Dict. Theol.* Est Idololatria simulacrorum cultus, vel est cultus Deo debitus, creaturæ exhibitus: *Cajetan.* Idololatria est qua alteri quam Deo divinus honor exhibetur: *Alii,* Idololatria est cultus quo honor soli Deo debitus transfertur ad id quod est extra Deum, sive, quo honor Deo debitus creaturis tribuitur: Has definitiones quia totam Idololatriæ rationem non exhauriunt, ut angustiores suo definito relinquo: *Greg. de Valent. d. 6. m. 2, 2 q. 11. p. 1.* Vult Idololatriam propriè esse cum creaturæ alicui divinus honor tribuitur sicut Deo: Et hanc definitionem explicat *p. 3.* Eum divinos honores creaturæ conferre ut Deo, qui eam divino cultu sic prosequitur, ut ei quantum est in se, velit illi opinionem conciliare talem, qualis revera in solam Dei majestatem competit, *ex quo concludit p. 6.* Romanenses Idololatras non esse, cum sic honorent Imagines, ut tamen minimè creaturæ adhibeant divinum honorem sicut Deo, cum venerentur tum Christi, tum Sanctorum Imagines, & in cultu Imaginem Christi, atque adeo etiam Crucis honorem quidem usurpent divinum sed non deferant illum ipsis imaginibus, sicut Deo, ac Domino nostro: *Duo ergo requirit*

ad

ad Idololatriæ rationem Valentia: (1.) Unde honor sit *divinus*, hoc est, talis qui soli Deo competat v. g. latria, (2. Ut honor is, cui tribuitur, tribuatur *tanquam Deo*: hoc est, ut eum divino cultu sic prosequatur, ut illi, quantum est in se, velit opinionem conciliare divinitatis &c. Et ita harum conditionum una vel utraq; deficiente non erit Idololatria: Ut quis possit v. g. sine hoc crimine honorem divinum creaturæ deferre, modo non deferat ut Deo.

XXII.

Bellarm. definit latriam, quod sit quædam summa voluntatis prostratio & inclinatio cum apprehensione Dei ut primi principii & ultimi finis atque adeo summi boni, *l. 1. de Beat. Sanct. c. 12 Costerus* latriam esse dicit quandò intellectus agnoscit Dei magnitudinem & excellentiam, eumq; ut Creaturarum omnium conditorem habet, voluntas sese ex hac consideratione tota creatori submittit, atque in ipsum tanquam in ultimum finem omnia refert, & actus aliquos externos edit quibus animi affectum foris testificetur, *in Ench. c. 22. p. 655. Altensteig in lex. p. 23.* Latriam ait esse Cultum soli Deo debitum: vel reverentiam exhibitam alteri ut summo & universali omnium principi: Actum vero Latriæ interioris esse actum intellectus vel affectus, quo feror in Deum ut in summum bonum, omnium rerum principium atque finem. *Jacob. Valent. Ita*: Latria fit duplici honore, scil. oblatione, ratione summi dominii, & prosternatione, ratione summæ potestatis, quia ex nihilo nos creavit, & confessione laudis, ratione summæ bonitatis & propter beneficia recepta: Hoc ergo posito tum demum erit Idololatria, quando λατρεία ad idola, hoc est, creaturas & fictitia numina confertur, hoc est, quando res creata ut summum principium apprehenditur, voluntas coram ea summe prosternitur, in eam ut finem ultimum omnia referuntur: Ubi vero hoc non fit, hoc est, ubi res creata non apprehenditur ut principium primum &c. Idololatria non erit. Quo verò fine hæc omnia comminiscuntur? Scilicet ut pallient hoc perizomate Hagiolatriam suam, quasi ideo Idololatriæ maculâ notari non possint, quia non tribuunt sanctis divinam & infinitam excellentiam, nec habent illos pro primo summo & æterno principio, *vid. Bellarm. l. 1. de Beat. Sanct. c. 17. Valent. d. 6. q. 11. p. 5.* No-

XXIII.

Nostra sententia est Idololatriæ quandam eamq; crassissimæ speciem esse, quam illi hic asserunt, sed totam & adæquatam Idololatriæ rationem in ea non absolvi, idq; asserimus non sine ratione: Quia *1. Idololatria est cum creaturæ defertur Cultus religiosus, etsi non ut Deo deferatur,* hoc est, ita, ut illi concilietur opinio divinitatis, qualis cadit in summam Dei majestatem & apprehendatur ut summum bonum, ut Creator cœli & terræ, ut ultimus finis &c. Alias enim (1.) Israelitæ non fuissent rei Idololatrias, erigentes vitulum, *Exod. 32. 4.* quia non colebant vitulum paulo ante ex auro fusum, ut Deum, ut summum v.g. cœli terræque creatorem, ut summum bonum & ultimum finem, ut eum qui eduxisset ex Ægypto, sed ut Dei imaginem, neque enim hunc vitulum conflatilem fuisse verum Deum omnipotentem Aaroni aut aliis è plebe peritioribus, (ut de imperito vulgo non dicam) persuadere suis argutiunculis unquam potuisset *Bellarm.* quas habet *l. 2 de Imag. c. 18.* Et tamen dicuntur incurvasse se conflatili & mutasse gloriam suam in exemplar bovis comedentis herbam, *Psal. 106. 20.* Deos aureos feciisse, *Exod. 32. 31.* repulisse Deum & obtulisse hostiam πῷ εἰδώλῳ, *Act. 7. 39. 41.* dicuntur Idololatræ facti, *1. Cor. 10. 7.* quia licet putarent sese v. Deo Israelis servire, serviebant tamen illi *in vitulo,* tanquã in veri Dei imagine, contra expressum Dei verbum &c. Item (2.) Micha in simulacris suis Deum Israelis colens non fuisset Idololatra, *Jud. 17. 3. seq.* cujus tamen SS. illum non obscurè insimulat: Quia Micha divinos honores quidem simulacro illi, sed tamen non *ut Deo,* verum in illo & per illud, vero Deo Israelis deferebat, omneque hoc negotium in veri Dei cultum suscipiebat: Item (3.) Israelitæ, duce Jeroboamo colentes verum Deum in vitulis aureis non fuissent Idololatræ, *1. Reg. 12. 28.* quo nomine tamen accusantur, *1. Reg. 14. 9.* Nec n. Jeroboamo animus erat persuadere populo, quod vituli illi essent verus Deus, creator cœli & terræ, ideoque colendi ut Deus; sed solum revocare, ne ad sacra Deo Israelis facienda Hierosolymam ascenderet, & ad Roboamum relaberetur, atque ita docere, non minus *coram* vitulis illis & per illos coli posse verum Deum Israelis, quàm Hierosolymis

coram Arca & Cherubim &c. Ideo Jehu cultores hos vitulorum horum vocat servos Jehovæ, *2. Reg. 10. 23.* quia per illos vitulos verum Deum coli putabat; Item (4.) Israelitæ non fuissent idololatræ servientes Baal & Astharoth, *Jud. 2. 13.* Quia verum Deum Israelis vocarunt Baal, ac per cultum Baal verum Deum colere sese putabant, ipsum vero Baal ut Deum non habebant, *Ose. 2. 16. 17.* & tamen dicuntur malum feciſſe in oculis Dei & secuti Deos alienos, *Jud. 2. 11. 12.* Item (5.) Gentiles imagines suas venerantes non fuissent Idololatræ, quia ad honorem invisibilis Dei imagines visibiles adorabant, & dicebant adorandas esse statuas non quod æs, aurum, argentum & similes statuarum materiæ Dii sint, sed quod Deorum qui alias invisibiles sint, præsentia per simulacra exhibeatur, & quod iis vel Dii vel virtutes divinæ inhabitent, vel quod per ea Dii invisibiles honorentur, & colantur propter dedicationem: Vel quod Dii in templis ad statuas invocati libentius & citius audiant, quam si sub axe nudo & æthereo tegmine adorentur: ut testatur Amobius *l. 6 contra Gent prolixe: Euseb. l. 3. præpar Evang.* ex Prophyrio ait, Rudiores tantum ad ligna & lapides in statuis respexisse, sapientes vero voluisse Deum & Dei virtutes sensibus nostris per imagines nobis familiares significare: *August. in enarrat. Psal. 113. con 13.* dicit esse, qui dicant, nec simulacrum, nec Dæmonium colo, sed per effigiem corporalem ejus rei signum intueor, quam colere debeo: *Julianus Apostata apud Surium tom. 3. fol 881.* Idololatriam Ethnicam ita excusat: Non tanquam Deos colunt eorum imagines; Absit! Hoc enim ita accipiunt agrestiores & simpliciores, sed qui cupiditate tenentur sapientiæ, & res Deorum accurate inquirunt, sciunt, cuinam honorem tribuant, & ad quem transeat adoratio divinarum imaginum: Constat tamen ex SS. crassissimæ Idololatriæ Ethnicos argui, imprimis ex *Rom. 1. 21. 22. &c.* Item (6.) Christus si (per impossibile) adorasset Diabolum non fuisset idololatra, quia Satan non petiit sibi cultum deferri, ut primo & infinito omnium rerum principio, sed ut Domino cui administrationem & distributionem bonorum temporalium, ut hujus mundi Principi Deus cessisset, mihi ait *Luc. 4. 16.* tradita sunt, & cui volo do illa: Et tamen quod idololatriam postularet, à Christo repellitur, *Matth. 4. 10. Luc.*

4. 5.

4.5. (7.) Ariani (quibus Photiniani hodie insistunt) Christum religiosè adorantes non fuissent Idololatræ, quia nemo illorum cultum religionis Christo deferebat, ut Deo, sed ut Domino, ut Creaturæ &c. Qui tamen à piis veteribus Idololatriæ rectissimè arguuntur, quia Christum verum & naturalem Dei filium esse negabant, ideoque natura Deum, & tamen asserebant religiosè adorandum: Sane si Christus non est verus Deus nunquam fuit tam insigne idolum in mundo, nec tam floruit Idololatria, quam post Christi adventum. ait ipse *Bellarm. l. 1 de Chr. c. 8. §. Denique omnes* (8.) Item, Tres viri in fornacem Babylonicam post conjecti *Dan. 3. 19. seqq.* sine idololatrias macula Nebucadnezaris auream statuam adorare potuissent, quia non opus habuissent vel statuam illam apprehendere ut Deum, ut primum principium, ut ultimum finem &c. vel voluntatem summè coram ea prosternere & opinionem illi talem conciliare, qualis solæ Dei Majestati competit: Neq; forte Nebucadnezar hoc petiit, & tamen satius habebant, igneis flammis ustulari, quam servire aut genu flectere omni Deo, qui non sit verus Deus. *Dan 3. 29* & Deos Nebucadnezaris colere, *vers. 12. eod. cap.* Imo vero (9) Idololatria non committeretur ab iis, qui vi externa aut metu coacti, idololatrarum gesticulationes imitantur: Mentes enim hic reclamant, nec Idola apprehendunt ut Deum, Voluntates hic renituntur, nec coram iis sese *summè* prosternunt. Neque enim prostrato corpore, prosternenda est illico voluntas, aut animus cogi potest; ut apprehendat aliquid ut Deum, quod non est Deus, imò vero his reluctantibus & quasi aliud agentibus corpus prosterni potest: Et sic Christiani, qui violentia persecutionis coacti idolis vel sacrificabant vel adolebant, peccatum idololatriæ non commisissent: Marcellinus v g. Episcopus Romanus, aut si is vocatur in dubium, uti de hoc ipso Marcell. videre est *Baronium annal, tom. 2 ad ann. Christi 302.* at certè alii plurimi non fuissent Idololatræ. Quia hi non ideo sacrificabant, quod idola Deos esse crederent: &c. Imo vero (10.) hac ratione Idololatria exterior nulla futura esset, quã tamen agnoscit *Val. cit. l.* eamq; definit, quod non procedat ab infidelitate interiori, *qua creatura putetur Deus*, aut etiã *ab expressa & directa volũtate*

conciliandi creaturæ divinam existimationem, *Punct 3. §. neq; obstat.* Et tamen hanc Idololatriam exteriorem dicit esse majus peccatum, quam sit interior, quia idololatra exterior qui timore vel alio respectu inducitur, ad hoc ut velit creaturam divino honore affici peccat sine ignorantia, & sic plus peccat, ut *ait Punct. 2. §. Respondeo.* Ita sc. definitionis suæ jam immemor, taciteè sibi contradicit.

XXIV.

Quia II. *Idololatria est, quando cultus religiosus defertur Deo ut Deo, verum sine Dei mandato*: Quod quia ut ridiculum habet *Valent. c. l.* (ubi mentitur, quod dicit hanc esse apud nostros Idololatriæ *definitionem*, quando cultus aliquis Deo defertur sine mandato: Idololatriam esse dicimus quidem, verum totam ejus rationem in hoc non absolvi itidem asserimus,) confirmatum imus (1.) *A norma & regula cultus*, quæ est lex divina, voluntatis divinæ exemplar, in qua quid fieri à nobis vel non fieri, quomodo coli vel non coli velit, præscripsit; unus ille est νομοθέτης, *Jac. 4. 12.* qui præparavit bona opera, ut in illis ambulemus, *Ephes. 2. 12.* & quidem iis, quæ sunt *præcepta sua, Ezech. 20. 19.* non adinventiones nostræ, *Psal. 106. 36.* nec præcepta hominum, quibus frustra colitur, *Matth. 15. 9. Esa. 29. 13* nec ea quæ non præcepit, *Deut. 4. 3.* nec ea, quæ nobis recta videntur, *Deut. 12. 8.* nec observationes animorum & oculorum nostrorum, *Num. 15 39 sed ea solum quæ Deus præcepit, Deut. 4. 2. c. 12. 32*, cujus voluntatem bonam, bene placentem, & perfectam in omni actione probare omnino tenemur, *Rom. 12. 2* Unde liquido constat, bonitatem cultus divini hic non æstimari ex solo fine, aut bona intentione, (ut vocant) quâ Deo præstetur obedientia, & deferatur honos, sed etiam, tum ex *Dei præcipientis mandato & voluntate*, tum ex *personæ agentis qualitate*, quam oportet fidelem esse, *Rom. 14 25. Ebr. 11. 6.* sic ergo concludimus: Qui cultus non congruit ad normam *cultus divini*, est ἀνομία & idololatricus, primo præcepto prohibitus, ubi prohibemur habere & colere Deos alienos: Non addetis ad verbum, *Deut. 4 2.* Qui vero excogitat novos cultus non congruentes, ille addit, Arqui ἐθελοθρησκείας cultus sine mandato susceptí, non

con

congruunt, &c. Ergo. (2.) *Ex Num. 15. 39.* ubi Deus ita: Non exploretis post cor vestrum, & post oculos vestros post quos scortamini: hoc est, non attenta observatione sequamini animum vestrum & oculos vestros, quos sequentes vos scortamini, &c. *Sane:* Scortatio illa, cujus in textu mentio, est Idololatria: Atq; propriarum cogitationum in cultu Dei exploratio, est illa scortatio: Ergo. (3.) *Ex Deut. 12. 8.* Non facietis singuli quod sibi rectum videtur, in oculis suis, *v. 30.* Cave, ne imiteris gentes, & requiras Deos earum, & dicas; Sicut coluernnt gentes istæ Deos suos, Ita & ego colam: Non facies ita Domino Deo tuo: *v 32.* Quod præcipio tibi hoc facito &c. *Hinc ita!* Qui colit Deos alienos est idololatra vi præcepti primi: Atqui Qui in cultu Dei facit quod sibi rectum videtur *v. 12.* & præceptum Dei non observat, *v. 32.* & colit Deum juxta mores gentium, & ita facit Deo suo, ut gentes faciunt Diis suis, *v. 30.* ille colit Deos alienos, quia requirit sibi Deos gentium *v. 30. Ergo:* (4.) Qui adorat, sicut non præcepit Deus, est idololatra: *Deut. 17 3.* (ut vadant & adorent ut non præcepi) Atqui qui Deum colit, sed sine præcepto, suis adinventionibus, adorat sicut non præcepit, *Ergo:* (5.) Qui fornicatur in adinventionibus suis, est idololatra; *Psal 106. 36.* Et ratio est, quia adinventiones cordis sui præfert præscripto Dei, præfert sapientiæ divinæ, (cujus est, normam cultus præfigere *Iacob. 4 12*) & habet quasi pro idolo, quod veneretur: Atqui qui Deum colit sine mandato fornicatur post adinventiones suas. *Ergo:* (6.) Qui cultus non est ex fide peccatum est, *Rom. 14. 23. Ebr 11. 6.* Ac quicunq; cultus sine Dei verbo & mandato fit, non est ex fide, quia fides verbo promissionis & mandati fundatur, *Rom. 10 17.* in quo Deus voluntatem suam revelavit: Ergo peccatum est, & per consequens (quia non alterius) peccatum primi præcepti. (7.) Qui cultus ex dubia & fluctuante conscientia fit, peccatum est: Hoc enim *Becano & aliis* est, non esse ex fide, *Rom 14. 23.* Atqui cultus, qui sine mandato fit, ex dubia conscientia fit, nunquam enim animus de voluntate Dei ejusq; beneplacito potest esse certus nisi ex verbo, & sic ubi illud non habet, fluctuat semper & quæritat. Quis scit, an hoc Deo placeat, *E.* (8.) Gentiles & Israelitæ colentes simulacra erant idolo-

latræ ut ante visum: Atqui quidam Gentiles & Israelitæ colentes simulacra colebant verum Deum per illa: E. Quidam qui colunt verum Deum per simulacra, sunt idololatræ: At quomodo, nisi eo, quod verum Deum colebant quidem sed non colebant juxta mandatum & voluntatem Dei?

XXV.

Quid verò ad dicta SS. quæ Idololatriam esse dicunt, quando cultus divinus defertur creaturæ, quorum cumulum pene magnum affert, *Valent. p. 1.* Resp. Imo vero, hoc Paulus, hoc David, hoc Esaias, Jerem. Moses &c. (è quibus loca citat pro sese Gregor.) quidem ajunt, idololatriam aliquam esse cum cultus divinus defertur creaturæ, sed quod sit quando defertur *ut Deo* ut *Valent.* limitat, nuspiam addunt, multo minus adæquatam Idololatriæ rationem in eo absolvunt.

XXVI.

Sed ait Valent. si Idololatria est etiam cultus Deo exhibitus sine verbo & mandato, consequens erit ut omnis Dei cultus quacumq; ex circumstantia pravus & illicitus sit Idololatria, quia omnis cultus quomodocunq; pravus caret verbo Dei & Mandato: Et sic erit idololatra qui orat v.g. propter vanam gloriam: qui jurat sine debita consideratione, imo & qui optime jurat, quia juramentum est Dei cultus, de quo tamen non habemus mandatum, Item, is, qui aliquid vovet non satis considerate, *imo* qui omnino aliquid vovet, cum de votis non extet mandatum. item qui orat mente non satis intenta & quasi distracta alienis cogitationibus: Item sectarius minister erit idololatra, quod ministerio colendi Dei causa ultro inaugurari voluerit, cum de illo officio & ministerio suscipiendo non habuerit ullum Dei præceptum. *Hæc Valentia.* Ad quæ strictim resp. 1. *Dist. inter substantiam & circumstantiam Actus, inter cultum ipsum, & cultus aliquod accidens*, ex hujus vel illius agentis actione subortum: Sane omnis cultus propriè dictus, quoad sui substantiam Idololatria est, quando sine Dei verbo & mandato est: Fieri tamen potest, ut cultus idem, qui secundum substantiam actus, in verbo Dei mandatum habet, secundum circumstantiam hanc vel illam hujus vel illius

illius agentis fit sine mandato, & sic solùm ratione illius accidentis sive circumstantiæ dici possit idololatricus: Ut v. g. orare, jurare, vovere, ministrare, servire (Deo) est res in Dei verbo præscripta, quoad substantiam actus, quicquid neget *Valent.* At orare propter vanam gloriam, ex ratione hujus circumstantiæ, quâ Ambitioni defertur, quod Deo debetur, fit Actus *Idololatricus* (quoad circumstantiam,) Orare mente aliena & usitationibus distracta, jurare, vovere inconsideratè, ex ratione illius accidentis fit non quidem Idololatria positivè quia non concipitur Deus alienus, aut cultus alienus veri Dei, est tamen Idololatria (ut sic loquar) privativè & indirectè, sive peccatum omissionis, quia privat quasi Deum illo, quod facit ad rationem cultus divini &c. II. *Dist inter cultus morales*, qui sub necessitatis opinione, aut salutis necessitate urgentur. & *inter ritus aut status ceremoniales* qui ad Ἐκκλησίαν Ecclesiasticam pertinent, & non sunt necessarii absolutè, qualis v.g. est ministerium Ecclesiasticum in ordine ad hunc vel illum.

XXVII.

III. Et ex his puto constare quid de Valentiniani & reliquorum (ut vocat) Catholicorum vel potius Cacolicorum definitione statuendum sit, quæ idololatriæ ratio formalis, quæ item definitio sit: Est idololatria quando defertur cultus religiosus creaturæ: *Est item* Idololatria, quando Deo defertur cultus sed sine mandato: Hæc una definitione ita comprehendas: *Idololatria est superstitio, qua honor religiosus sive divinus alicui aliter tribuitur & vendicatur quam illi potest competere:* Requiruntur ergo ad rationem Idololatriæ, I. *Ut honor sit divinus sive religiosus*, hoc est, talis, qui soli Deo competat vel vere, vel attributivè, ut ait *Gerson*, Potest enim cultus aliquis æstimari divinus sive religiosus, ob aliquam trium conditionum, I. *Ex natura* quando cultus tantæ dignitatis est, ut manifesta perversitas sit ad creaturam transferre, v.g. Aliquid ut Deum apprehendere & se illi totum consecrare: II. *Ex ritu & consuetudine*, si quæ obtinuit, ut genus officii sive cultus non nisi divinus habeatur: Nam & hac ratione efficitur cultus aliquis solius Dei proprius: Sic olim in populorum usu & ritu factum, ut nemini præterquam Numini sacrificaretur.

III. *Ex intentione*, ejus nempe, qui confert honorem, nam si huic intentio est, de re quam honorat excitare opinionem excellentem, qualis de divina solum Majestate haberi potest, utiq; cultus ille divinus habetur: Ita ferè *Valent. d. 6. in 2 2. q 3 p. 2.* Primus Gersoni videtur dici vere divinus, secundus interpretativè ex interpretatione, opinione, consuetudine, tertius attributive (ex intentione) Ita Idololatræ erant qui Belum faciebant suarum epularum participem, qui honor quidem non est divinus ex naturâ, quia non ex natura & propriè Deo debitus: Attributivè tamen, ex consuetudine & intentione erat divinus, quia ad Belum tanquam ad Deum referebatur. II. *Ut honor sit non competens*, hoc est, talis qui alteri (sive Deo sive creaturæ) tribuatur aliter, quam competit illi: Et hoc fit quando tribuitur honor *aut objecto non competenti*, v, g. Creaturæ quæ non est Deus, *aut modo non competenti*, quando extra, præter, contra voluntatem Dei (quæ unica cultus norma est) Deo vendicatur: Modus enim divini cultus non ex adinventionibus nostris, sed è voluntate Dei in SS. revelata est æstimandus: Non quomodo Deus qualitercunq; coli possit, bona licet intentione id fiat, sed quomodo *coli velit* videndum: Et sic qui Deum colit quidem, sed aliter colit ac ipse coli voluit & in SS. præcepit, ex Deo idolum facit, & idololatriam committit.

XXVIII.

IV. Et hinc constat quot modis Idololatria fieri possit: Quomodo item dividi: Fit enim vel I. *Ratione objecti*, quando illud colitur religiosè quod non est verum Numen, sed Deus alienus: Et hoc est servire iis qui natura non sunt Dii, *Gal 4 8.* Vel II. *Ratione modi*, quando verus Deus colitur quidem, sed non verè, non divinè, non juxta voluntatem Dei in SS. præscriptam, quod est post oculos suos fornicari, *Num. 15. 39.* ambulare in via non bona post cogitationes suas, *Esa. 65. 2.* Deum colere in adinventionibus suis, *Psal. 106. 36.* Quemadmodum enim in vero Dei cultu, tum objectum oportet esse legitimum, verum nempe Deum in essentia unum & personis trinum, tum colendi modum, secundum voluntatem in verbo patefactam, in Sp. & veritate, *Joh. 4 23.* Ita quoque è contrario in idololatrico cultu peccatur & aberratur, tum objecto, quando id pro Deo colitur quod non est Deus, tum modo, quando

quando Deus colitur quidem, sed juxta adinventiones cordis extra & præter SS. ubi veram sese colendi normam & regulam præscripsit.

XXIX.

V. Rursum sicuti in Idololatria considerari potest, vel animus à quo, vel Res cui, vel divinus honor, qui exhibetur: Ita & triplex Idololatria esse potest: *Alia ex parte formæ*, quæ potest esse tam varia, quam ratio ipsius honoris divini varia esse potest: Quod enim Religio vera Deo debet, hoc hominum superstitio potest alteri præter Deum tribuere: v.g. Vota, preces, sacrificia, quæ uni Deo debentur, idolis impendere! *Alia ex parte subjecti*, sive Animi à quo: Quæ potest esse duplex: Interior, una in actu elicito, quando idolum in corde erigitur *Ezech. 14. 7.* Exterior altera, in actu Imperato, quando exterioribus gestibus reverentia quoque indicatur: *Valent. dicit: Interiorem* Idololatriam esse quæ directa voluntate adhibendi honorem divinum creaturæ committatur; *Exteriorem*, quæ non procedat ex directa & plena voluntate: *Alia ex parte objecti* cui exhibetur: v.g *Vel Satanæ*, qui dicitur Deus hujo seculi, *2. Cor 4. 4. Vel ventri*, qui est Deus Pseudo Apostolorum, ventris commoda qui quærebant magis quam gloriam Christi *Phil. 3. 19.* & non Christo sed ventri serviebant, *Rom. 16. 18. Vel auro*, cui dicit avarus Fiducia mea es, *Job. 31. 24.* quiq; servit Mammonæ, *Matth. 6. 24.* confidit in opibus, *Marc. 10. 24.* sperat in divitiarum incertitudine, *1. Tim. 6. 17. vel voluptati*, quam colunt, qui sunt φιλήδονοι, magis quam φιλόθεοι *2. Tim. 3. 4.* vel *ligno*, *Esa. 44. 13.* vel imagini corruptibilis hominis &c. *Rom. 1. 23. &c.*

XXX.

VI. *Efficiens Idololatriæ* quæ reliquorum vitiorum est: *Moralis*, (ut vocant) est Dæmonis malignitas, qui, tanquam Deus hujus seculi ἐτύφλωσε τὰ νοήματα τῶν ἀπίστων, *2. Cor. 4. 4.* Est ἐνεργοῦν in filiis incredulitatis, *Eph. 2. 2.* qui ab initio peccat, *1 Joh. 3. 8.* qui tanquam Leo rugiens περιπατεῖ *1-Pet. 5. 8.* & per μεθοδείας suas *Eph. 6. 11.* hominem circumvenit, & verbum tollit è corde, ne credens servetur, *Luc. 8. 11.* eumque ita κατὰ δυναστεύοντα *Actor. 10. 38.* in Sy-

nagogam suam *Apoc.2.9.c.3.9.* in custodiam suam *Apoc.18 2.* recipit, intrat in eum sicut in Judam, *Luc.22.3 Joh.13. 27.* & replet cor ejus sicut cor Ananiæ, *Actor.5.3.* adoptat eum in filium sicut Elymam Magum, *Actor.13.8.9.* & facit ut desciscat à fide attendens spiritibus deceptionis, *2. Tim.4.1.* & adoret dæmonia & simulacra, *Apoc. 9.20.* & immolet Dœmoniis, *Psal.106.37.Deut.22.17.* ideo Diabolus dicitur spiritus fornicationis, *Ose.4.20.* & pater medacii, *Joh.8.44.*

XXXI.

Physica est Hominis perversitas, caro corrupta, ad malum non prona sed emancipata, & mala prorsus ab infantia sua, *Genes.6.5. c.8.21.* caro peccati, *Rom. 8.2.* caro in qua nil habitat boni, *Rom.7.18.* quæ vanos fecit homines in cogitationibus suis, *Rom.1.21.seqq.* existimantes τὸ θεῖον esse simile argento aut lapidi, *Actor.17.29.* Quo nomine etiam idola dicuntur חֻקּוֹת statuta populorum, *Jerem. 10.3.* Conf. *Sap.13.3.seq.c.14.13.seq.* & Idololatria dicitur opus carnis *Gal.5.19. Quis vero primus colendorum Deorum* auctor fuerit, viderint Historici: De Melisso Cretensiũ Rege referunt, quod primus omniũ auctor fuerit cultuum & sacrificiorum & rituũ sacrorum: Prometheũ ajunt Græcis primum de luto simulacra finxisse, Cecropa Regem primo bovem Iovi immolasse, Ninum tertium Babyloniæ Regem primo templum & statuas erexisse, idq; Belo parenti, videatur *Lact.l.1.de fals Relig. c.22.& 23.* Hebræi repetunt illius originem ad tempora Enos, ex verbis illis *Genes. 4.26.* אָז הוּחַל לִקְרֹא בְשֵׁם יְהוָה *Vulg.* Ille cæpit invocare nomen Domini: *Arias*: Tunc cæptum est invocari nomen Domini: 70. οὗτος ἤλπισεν ἐπικαλεῖσθαι τὸ ὄνομα κυρίου τοῦ θεοῦ, Hebræi vero ut ait *Mercer.* in h. l. הוחל exponunt per profanatum est, quasi tunc primum prophanatum fuerit Domini nomen, ut herbis & aliis creaturis tribueretur, & invaluerit Idololatria: Est item vir doctissimus, qui eo inclinavit, ut verteret, Et cœptum est vocari de nomine Dei, ut sensus sit, tunc cum degenerasset mirum in modum pietas, initium habuisse schisma ut à religionis professione separarentur alii ab aliis, & partes facerent: *Tharg. Onkelos* not. Drusio vertit, In diebus illis prophani

fuère

fuêre homines ut non precarentur in nomine Domini: Item *R. David.* Tunc prophanatum fuit invocando nomen Domini. Hoc significat in diebus Enos errarunt homines post idola, & invocatio nominis divini tunc fuit polluta & prophanata: *Hieron. l. quæst. Ebraic.* Tunc initium fuit invocandi nomen Domini: licet pleriq; Ebreorum aliud arbitrentur, quod tunc primum in nomine Domini, & in similitudine ejus fabricata sint idola: Quo etiam respicit *Tremell. in prima edit.* ubi (quam bene, viderunt alij) utramque significationem verbi חוחל conjungit; Eruditi viderint num hæc Judæorum paraphrasis stare possit: Mihi probatur illa versio: *Tunc cæptum est invocari nomen Domini*: Ex impiâ vero Caini posteritate corruptionem divini nominis primo derivatam à Lamecho non obscure colligitur, ut qui primus quoque bigamus & legitimi conjugij corruptor fuit, *Gen. 4. 19. Conf. c. 5. 22. c. 6. 1 seqq.* Idolorum autem primo fit mentio *Gen. 31. 16.* Qua occasione irrepserit apud Israelitas vide, *Num. 25. 1. Iud. 2. 10. 11. Sap. 14. 12. 13. seqq. Osc. 4. 12. c. 5. 4.*

XXXII.

VII. *Effectus, fructus, consequens hujus* peccati est gravissima pœna: Est enim Idololatria summum & vere nefandum scelus, quod quantum in se est, Deum de solio suæ Majestatis præcipitat, debitoque sibi cultu ac honore privat, à quo vel maxime infensos nos oportet esse: propter I. *Dei præceptum* non habebis, *Exod. 20. 4. c. 23. 13. 23.* non adorabis, *Exod. 20. 5. cap. 34. 14. 2. Reg. 17. 36. Psal. 81. 10.* non facies, *Exod. 29. 4. c. 34. 17.* non ibis post Deos, *Deut. 6. 14. Ierem. 7. 6. c. 35. 15.* non cognosces, *Ose. 13. 6.* non esto idololatra, *1. Cor. 10. 7.* fugite ab idololatria, *1. Cor. 10 14.* custodite vos ab idolis *1. Ioh. 5. 21.* II. *Dei proprium*, qui solus est Rex seculorum immortalis, solus sapiens, solus honore & gloria dignus *1. Tim. 1. 17. c. 6. 16.* Conf. *Deut. 32. 29. Esa. 41. 22. 23. cap. 43. 11. c. 44. 6. 7. cap 45. 5. &c.* III. *Idololatriæ propudium*, est fornicatio, abominatio &c. vide *thes. 7.* IV. *Idolorum opprobrium:* sunt Elilim, *1. Chron. 16. 26.* Götterchen die nichts werth seyn/ vide *th. 10.* & Conf. *Esa. 44 Sapient. 13. c. 4. 15. Baruch, 6 cap.* V. *Extremum exitium*, dicitur enim Idololatria *irritare Deum*, *Deut. 4. 25. Iud. 2. 12. 1. Reg. 14. 9. cap. 16. 2. 26. 2. Reg. 17. 11. Psal. 78. 58. Esa. 61. 3.*

61.3 Ezech 8 17. Ierem.7.19.cap.25.6. exacerbare *Psal.78.17.* παροργισαι, παροξύνειν, ἐλοπᾶν *Baruch.6.4.seqq.* ut irrascatur furor domini & disperdat, *Deut.6.15. 6.15.7.4. c.31 17. Iud 12 13. c. 10.7. 1.Reg.11.9. 2. Chron 24.18 c.25.15. Psal.106. 40.* & fumet nasus Domini & zelus ejus, *Deut.29.20.* & furor Dei & ira Dei effusa sit, *Ierem.7.20.* & excandescat furor ejus *Exod 32 10.* dicitur accendere ignem qui ardeat usque ad voraginem inferiorem, *Deut. 32. 22.* succendere ut ignem iram Dei, *Ierem.4.4 c.15.14.c.17.4.* ut faciat in excandescentia Deus nec parcat oculus ejus, nec misereatur &c. *Ezech.8.18.* & tradat homines indesideria cordis, *Rom.1.14.* in passiones ignominiæ, *v.26.* in reprobum sensum, in mentem omnis judicii expertem *v.28.* & disperdat & deleat nomen eorum, *Deut 9 14.* exterminet eos & faciat cessare ex homine memoriam eorum, *Deut.22.27.* & evellat evellendo & perdendo, *Ierem. 12. 17.* & dispergere faciat tanquam stipulam transeuntem ad ventum deserti, *cap.13.14.* in gladio, in fame, in peste consumat eos, *cap. 14.12.* & dispergat eos ventilabro in portas terræ, *cap. 15. 7.* & ponat eos in signum & in proverbia & succidat è medio populorum, *Ezechiel. 14.8.* Sic minatur Deus quod velit punire Idololatras Excæcatione ut ex scelere in scelus ruant, *Rom.1 21. Ezech.14. 4. Esa.6.9. c.29. 14.* execratione, *Deut. 29. 20. 21.* excisione altarium *1. Reg.13 3.* regnorum, *1.Reg.11.11.* populorum, *Deut. 32.26.* servitute, *Esa. 19. 4. Ierem.17.4.* captivitate, *Esa.20.4 Ierem.9.14.* gladio, *Deut. 32.27. Iud. 2,14 cap.10.7.* fame, *Deut.32 25. c.11.17. Ierem.3.2 &c.* morbis, *Levit. 26.16. Deut.32.15. 2.Chron.21.15.* exilio, *2 Reg.17.* morte, *Deut.17.2.seq. 2. Reg. 9.22. seqq.* & omnis generis malis, *Deut. 32. 22. Ios. 24. 20. 2.Chron.21.12.seqq.* imo & æterna damnatione, *1. Cor. 6. 9.* Quod si nostri instituti esset, dictis & exemplis ex universa SS. demonstrari posset uberius &c. Sed hic sistimus & damus soli Deo gloriam.

De Idololatria
Disputatio II.
Quæ est
DE ANGELOLATRIA
Prima.

Proœm:

Dictum de Idololatria in genere, de ejus natura, objecto, definitione, divisione, & causis, descendendum porro est ad ejus sive modos sive species: Fit enim, ut dictum est superiori disp. Idololatria vel ratione objecti, cum pro vero numine colitur id, quod natura numen & DEUS non est. *Gal. 4. 8.* vel ratione modi, cum verus quidem DEUS sed non divinè & verè h. e. juxta sanctæ suæ voluntatis præscriptum & verbum colitur. Duæ ergo tractationis nostræ partes esse possunt, quarum prima erit de Idololatria ratione objecti; secunda de eâdem ratione modi considerata: Parte vero prima occurrit primum Ἀγγελολατρεία, de qua σὺν θεῷ omnium primò erit tractationis nostræ materies.

Resp. Hermannus Kreykamp / Osnabr. Westph.

Punctum Primum.
De Origine Angelolatriæ & cultoribus religiosis Angelorum generatim.

I.

Antiquissima ut opinor (*veritas* enim & autoritas *non tempore æstimanda sed numine*, ut *Arnob.* ait. *l. 2. cont. gentes*) & *primum* à *plato-*

â *Platonicis* orta est hæc Idololatriæ species quam Ἀγγελολατρείαν dicimus, ubi cultus indebitus & religiosus Angelis, cœlestibus illis sp. completis defertur. Hi tres naturæ rationalis gradus non solum dignitatis naturæq; majestate, sed etiam locorum intercapedine interpunctos statuebant; Ubi primus & summus esset Deorum summatem quoq; in cœlis sedem sibi vendicantium, quorum parentem & principem dicunt, ut *Cæl. Rhodig.* autor est. *l. 2. lect. Antiq. c. 3.* quem nos verum conditorem opificemq; veneramur, majestate ultra mundanum, amplitudine sanctum, & humano sermone inenarrabilem, ac ne mente quidem facile apprehensibilem: Secundus & medius esset Dæmonum â lunæ collimitio ad nos usq; expansorum, ut *Apulejus* loquitur. *l. de Deo Socrat:* Tertius demum & infimus hominum: Hos vero Dæmones natura, dignitate, locoq; inter Deum & homines medios volebant esse, Et

I. *Interpretes & salutigerulos hominum apud Deum*, qui interpretentur & traijciant humana ad Deos, Divina ad homines, horum quidem preces & sacrificia, illorum præcepta sacrasq; solemnes institutiones & ordines ut est apud *Platonem.* Sivè ut apud *August* qui ab hominibus auferant desiderata, & referant impetrata, sivè ut *Celsus apud Origen.* ait, qui hominum causas apud supremum Deum adjuvent, sive per quos desideria nostra & merita ad Deos commeent, qui ultro citroq; portent hinc preces inde suppetias, ut est apud *Cæl. Rhodig. l. 2. L. A. c. 10. & Ludov. Vivem. com. super. l. 8. d. C. D. c. 18.* quod equidem sicut *Apulejus* loquitur *cit. l. p. 80.* mirari super Dijs immortalibus nequaquam congruerit, cum alio quin & inter homines, qui fortunæ munere opulentiâ elatus, & usq; ad regni mutabilem suggestum, & pendulum tribunal evectus est, raro aditur longè remotis arbitris, in quibusdam dignitatis suæ penetralibus degens. Parit enim conversatio contemptum, raritas conciliat rebus admirationem.

II. *Hominum præsides*, & ut *Plato* ait *in Critia & Protagora, gubernatores & Pastores*, quorum quidam latissima procurent terrarum spacia, alios detineant angustiora, quidam urbibus integris, præpo-

præponantur, quidam ex hominibus singulos tantùm amplexentur, ut *Cælius* refert. *l. 2. L. A. c. 4.* Et *Marsilius Ficin. Plotin. Ennead. 3. l. 5. c. 5.* ita ut suus cuiq; sit Deus sive Dæmon pro sui temperamenti exigentia proprius, Saturnio Saturnius, Jovio Jovius, &c.

III. *Largitores bonorum, & malorum averruncatores*, sive ut veteres appellare consueverunt ἀλεξικάκους, ἀποτροπαίους, ἀμυντοπαίους &c; apud *Cæl. l. 2. L. A. c. 10.* quibus doctoribus sæpe, (doctore nullo) res excogitentur miræ, perducanturq; ad exitũ feliciter præter opinionem, quæ nostrarum virium excedere videbantur mensum, *Cæl. cit. l. c. 11.* & qui ad certum opus singulariter nati sunt, plurima etiam supra ætatem sinè præceptoribus sinè ministris, excogitent mirabiliter atq; peragant, suis videlicet instructi Dæmonibus &c. *Marsil. Ficin. in Plot. Enn. 3. l. 4.* perquam Dæmonum naturam vaticinium omne procedat, Sacerdotumq, diligentia circa Sacrificia, expiationesq; & incantationes & Divinationem omnem atq; Magicam. *Plato in Symp. f. 175.* quos magus cultorq; diligens demulcendo sibi conciliare possit, quemadmodum & abjectus mimo Musico q; puer illaqueet regem generosum & bestiæ quædam hominem quandoq; fascinent. *Marsil. Fic. in Plot. En. 4. l. 4. c. 43* quorum amicitia Zoroaster, Socrates, Apollonius Thyaneus, Porphyrius Magi evasisse videantur. *Marsil. in com. super conv. Platon. c. 10. f. 162.* per quos Magorum varia miracula regantur, *Apul. c. l. p. 82.* qui curent singula præsagiorum munia, proinde ut est cuiq; tributa provincia, vel extis fissiculandis vel præpetibus gubernandis, vel oscinibus erudiendis, vel vatibus inspirandis vel fulminibus jaculandis, vel nubibus coruscandis, cæterisq; adeo per quæ futura dignoscimus, quæ cuncta cœlestium voluntate & numine & autoritate, sed Dæmonum obsequio, operâ & ministerio fieri arbitrandum sit. *Apul. cit. l. p. 82.* quiq; sint inventores artium & Astrologiæ. *Cæl l. 2. L. A. c. 12.* Astronomiæ, Geometriæ, numeri & computationis numerorum, talorum, alearum literarũ, quarum invẽtio Dæmoni ascribitur quem *Theuth* appellat *Plato in Phædro fol. 188.* quiq; hominibus corporeo excluſis nexu adsistant semper, ra-

ptentq; ad judicem protinus singula testimonio adprobantes suo vel diluentes *Cœl. cit. l. c. 10.* atq; illic in causa dicenda adsistant, & si qua commentiatur homo, redarguant, si qua vera dicat asseverent. *Apul. l. c. p. 91.*

IV. *Scrutatores & arbitros cogitationum,* ita ut nihil in homine præ istis custodibus nec intra animum nec foris possit esse secreti, quin omnia curiosè participent, omnia visent, omnia intelligant, in ipsis penitissimis mentibus vice conscientiæ diversentur. *Apul. p. 68.*

V. *Religiosè proinde colendos & Sacrificijs placandos,* quorum nonnulli vel nocturnis vel diurnis, promptis vel occultis, lætioribus vel tristioribus hostijs vel ceremonijs vel ritibus gaudeant. *Apul. p. 89.* Rata enim est apud omnes fides, eos lœsuros genus hominum (malos præcipuè Dæmones) si irascantur, propterea quod negligantur, neq; cultum legitimum nanscisscantur, ut ex *Porphyrio* refert *Ludov. vives in comm. super Aug. l. 8 de c. d. c. 13.* in hanc rem ita *Apulejus*: Hic quem dico (Dæmon) prorsus custos singularis, præfectus domesticus, speculator, proprius curator, intimus cognitor, assiduus observator, individuus arbiter, inseparabilis testis, malorum improbator, bonorum probator, si ritè animadvertatur, sedulo cognoscatur, religiosè colatur, ita ut à Socrate justicia & innocentia cultus est, in rebus incertis prospector, dubijs præmonitor, periculosis tutator, egenis opitulator, qui tibi queat tum in somnis, tum in signis, tum etiam fortassè coram cum usus postulat mala averruncare, bona prosperare, humilia sublimare, nutantia fulcire, obscura clarare, fecunda regere, adversa corrigere. *Et hæc est Platonicorum de Dæmonibus sententia.* Ex qua constat falsissimum esse assertum *Gregorij de Valentia tom. 3. d. 6. q 3 p. 3.* statuentis quod Platonici existimarint latriæ adorationem esse quoq; adhibendam Angelis, h.e. ita ut illis quantum erat in se, voluerint conciliare opinionem Divinitatis, quod ad latriæ rationem alibi requirit idem *Valentia cit. l. q. 11. p. 1. & 3.* sivè ut *Bellarm.* latriam definit. *l. 1. de beat. s. c. 12.* summa Voluntatis prostratione & inclinatione Angelos coluerint & apprehenderint, ut primum principium & ultimum finem, agnoverintq;

ut ex Costero addo *Ench. p. 633.* Dei in illis magnitudinem & excellentiam, eosq; habuerint ut creaturarum omnium conditores, ex qua consideratione voluntas sese tota illis submiserit, & in eos quasi ultimum finem omnia retulerit &c. Hoc inquam falsissimum est, quia Dæmones coluerunt Platonici ut inter Deos homines q; medios, ut interpretes, custodes, præsides, opitulatores, largitores bonorum, malorũ averruncatores, arbitros cogitationum, qui si pontificijs credendum, cultus duliæ est; Non vero (quod absurdũ cogitatu) Dæmones suos apprehenderunt ut summum principium & ultimum finem, ut cœli terræq; conditorem, ut Ens omnium perfectissimum (quod in Platonis quoq; philosophiâ non est nisi unicum) aut illis honores divinos tribuerunt ut Deo, quæ demum, si *Valentiæ* creditur, verè proprieq; dicta latria est: Et tamen, quod Pontificij, nobis largiuntur eo nomine ab *Augustino* & pijs Veteribus rectè reprehenduntur Platonici: idem ergo sibi dictum putent Pontificij nisi forte Pontificiorum quam Platonicorum hic majus est privilegium, & quod his non licuit, licebit illis.

II.

Secundo Judæi fuerunt Angelolatræ, ut *Hieron:* autor est, Judæi inquit, *Ep. ad Algas. q. 10.* nihil aliud quam Dæmones & malos Angelos colunt, ut parentum suorum impietatem imitari videantur, qui, quod non raro prophetæ reprehendunt, astra & militiã cœli (quo nomine non modo sidera sed etiam Angeli comprehenduntur) pro Dijs venerabantur. Nec minus *Clemens Alex. l. 6. Stromat.* de judæis testis est, quod illi soli se Deum nosse putantes nesciant se adorare Angelos, Archangelos, mensem & lunam: Similiter *Baron. Tom. 1. Ann. ad an. C. 60. n. 15. 16.* Non recens inquit, fuit hæc apud eos illapsa hæresis, sed pervetusta á Prophetis sæpius exagitata, quod non aliunde putamus accidisse, nisi quod, ut de phariseis tradit Epipahn. ipsa cœli astra fuisse animata existimarent, quamobrem & ijs dem indidissent nomina Ebraica, & Angelos esse sensisse videntur, æque enim ac Angelos militiam cœli dixerunt astra: &c: Et (quod paulo post subnectit) ut sic judæi astra colerent, non fuit tunc tantum apud eos error, sed

& in posteros est infeliciter propagatus, adeo ut quoniam ejusmodi errori essent addicti cælicolæ dicerentur. *Hæc Baron.* qui tamen, ut *Iustin.* Jesuita observavit, in eo lapsus est, quod Phariseis tribuit opinionem de astris animatis: Perperam sanè (*quæ Iustiniani in Ep. Col. c. 2. verba sunt*) ac penitus perversè sententiam interpretantur, qui Autore Epiph. judæos in ea fuisse hæresi contendunt, ut existimarent astra fuisse animata, sed nisi fallor aut Epiphanium non legerunt, aut ejus sententiam non sunt assecuti; neq; enim ille dicit Phariseos astris animas tribuere, sed id tantum affirmat, probasse illos Græcorum Astronomiam, & tam astris quam animantibus, quæ in cælo finguntur, Hebraica nomina accommodasse. Hæc *Iustin.* Quicquid vero horum sit, de *Esseis* tamen asserit *Iosephus* quod solem venerentur: *Ante solis ortum*, ait, *nihil prophani loquuntur sed ei patria quædam vota celebrant, quasi ut oriatur precantes.* Quem morem quoq; *Osseni* (qui quamvis ad nomen fuerint Esseni, in multis tamē discrepabant) retinuerunt unde & σαμψαίοι vocati id est ἡλιακοὶ. Fuere item apud judæos, qui *cælicolæ* sive ut Benjamin in Itin. שאמרין forte ab eo ritu vel ab Angelorum cultu dicti. De Esseis quoq; *Salmanticenses, si animadverterit, inquit* (præses) *signum aliquod aut arcanum in lege patefaciet illud socijs suis non alijs, & super omnia custodiet legem Mosis HONORABITQUE NOMINA ANGELORUM nota ordini.* Nec minus judæi hodierni (& si quidam non desint, quos non pudeat dicere, Angelos non esse nisi causas naturales Dei jussu vel bona vel mala effecta producentes) Angelos in certas quasi classes dividunt certisq; observationibus colunt, statuuntq; Angelos horarios, diarios & alios cœli regionibus attributos, principes, ministros, &c. Diem solis Raphaeli, diem lunæ Gabrieli, diem Martis Sammaeli, Diem Mercurij Michaeli, diem jovis Tzidkieli diem veneris Hannaeli, diem sabbati Kepharjeli tribuunt, eosq; dominos statuunt totius administrationis in diem illum necessariæ, quo fortè respexit Angelus ille personatus *Tobiæ 12. 15.*

III.

Tertiò Simon Magus sub initio Evangelij professus est Platonis

nis sententiam, offerenda scil: esse sacrificia Deo per principatus & potestates, si *Bellarm. l. 1. de Beat. c. 12.* & *Coster. in Enchir.* est fides, qui Simoni eam hæresin tribuunt, quod Platonicos secutus docuerit, quosdam Angelos adorandos esse quasi minores Deos, qui & mundum fabricarint, & per Prophetas locuti sint, nec posse ullum placare summum Deum, qui invisibilis est, nisi per hos Angelos, & testes hujus rei laudant *Ireneum, Tertull. Epiphan. Chrysost. Oecumen. Theophyl. Baronius* tamen. *c. l. n. 17* Bellarmino, Cardinalis Cardinali contrarius errorem illum Simoni Mago præter rem & falsò tribui operosè contendit: Mirati sumus *ait*, errorem ejusmodi tribui Simoni Mago, cum quæ de Angelis ipse dixerit, longius ab his discrepent, quippe qui traderet ut referunt Iren. Epiphan. idemq; Theodoret. & alij, se esse Divinam potentiam, quæ Judæis ut filius apparuisset, seq; per mentis suæ primam comprehensionem, quam Helenam esse dicebat, creasse Angelos, à quibus mundus esset effectus, porro Angelos ægre ferentes se eo modo creatos in ipsam Helenam fuisse commotos, ipsamq; affeciisse ignominiâ, ad quam redimendam & ab Angelis vindicandam ipsum descendisse ac in Judea hominem apparuisse tradebat: sic igitur nullus à Simone Angelorum cultus introductus habetur, qui dicebat se in mundum descendisse, ut Angelos malè moderantes orbem corriperet: Nec his insuper aptari possunt, quæ Simonis discipuli dixêre de Angelis, quibus licet creationem rerum tribuerint, tamen quod perperam agerent, Christum ad eos debellandos missum esse jactarunt, quod Basilidis proprium dogma fuit. Porrò tantum abest, ut hi Angelos adorandos esse docuerint, quod pugnandum esse suaderent adversus Angelos mundi fabricatores, idq; horum affinis Carpocras tradiderit. *Hæc Baron.* Imo & *Justinianus in Epist. coloss. c. 2.* Oportebat ostendere, *ait* quem Angelorum cultum induxerit Simon. Nam ex ijs, quæ de ipso scribunt Iren. Epiphan. Theodoret. apparet potius, malè illum in Angelos fuisse affectum, mentitumq; se in illos ignominiæ illatæ suæ illi Helenæ è cœlo venisse ultorem. Certè apud Euseb. aut Nicephorum nullum hujus erroris extat vestigium, ac ne apud

pud antiquiores quidem, Ignatium & Cyrillum Hyerosolimitanum. Itaq; non desunt, qui sanè fidenter negent hunc errorem ad Simonis hæresin ullo modo referendam videri. *Hæc Iustin.* Quæ sanè si vera sunt, pessimè *Bellarm.* pro suâ opinione Iren. Epiphan. Theodoret. citavit, frustraq; cum alijs suis contribulibus sibi præsidium quærit in eo, quod *Col. 2. 18.* ab Apostolo Simonis hæresis de Angelorum θρησκείᾳ redarguatur *l. 1. de B. S. c. 12.*

IV.

Quarto, Angelici fuere qui in Angelorum cultum inclinarunt, ut *August.* autor est. *de hæres. c. 39. Chrysost.* quoq; *Hom. 7. in Epist. ad Coloss.* sunt quidam *ait*, qui dicunt non oportere per Christum adduci sed per Angelos, *Theodoret.* item *in. c. 2. Epist. ad Coloss.* hæresin illam *ait* tempore Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ exortam, quæ diceret Deum universorum nec cerni nec comprehendi, nec ad eum posse perveniri, & oportere per Angelos Divinam benevolentiam sibi conciliari, Qui legem defendebant *inquit Theodoret.* ad Angelos colendos inducebant, dicentes fuisse legem per illos latam. Mansit autem diu hoc vitium in Phrygia & Pisidia, Quocirca synodus quoq; quæ convenit Laodiceæ, quæ est Phrygiæ metropolis, lege prohibuit ne precarentur Angelos, & in hodiernum usq; diem licet videre apud illos & eorum finitimos oratoria S. Michaëlis. *Synodus vero ista Can. 35. ita*, Non oportet *ait*, Christianos abire derelicta Ecclesia, & ad Angelos idololatriæ abominandæ congregationes facere *Surius* pro Angelis hic legit Angulos, quam corruptelam etiam secunda canonum editio retinet, sed falsitatis illum convincit, tum hic Theodoreti locus, tum prima editio quæ Angelos legit, tum recentior *Genneani Herveti* Pontificij versio, quæ item habet Angelos: Eundem quoq; errorem *Theodoret. Cainis* tribuit, quod Angeli alicuius nomen invocarint, *Ireneus* quoq; vetustissimus scriptor, qui audivit Polycarpum Johannis discipulum, de suorum temporum hæreticis testatur *l. 1. c. 28. & 35.* quod usi sint Angelorum invocationibus, & addit formam invocationis pro more illis receptam; ô Angele te oro: *Sozomenus*

item

item *l. 2. c. 4.* ubi de Idololatria ad Quercum Mamre scribit, Annuam, *inquit*, illic Panegyrin, eamq; splendidam regionis illius incolæ, & ulteriores Palæstini, & Phœnices & Arabes etiamnum messis tempore celebrant; Conveniunt autem illic plurimi etiam nundinarum gratiâ, tam emturi quam venditurí. Est enim id festum cunctis frequentissimum, judæis, tanquam de Patriarcha Abrahamo gloriantibus, Græcis propter Angelorum apparitionem, Christianis vero, quoniam etiam tum temporis pio viro is apparuit, qui posterioribus temporibus ad salutem humani generis sese manifestè exhibuit, Honorant autem eum locum pro sua quiq; religione, alij ad unum omnium Deum orantes, alij *angelos invocantes, & vinum libantes* ac thure vel bove vel hirco, vel ove aut gallo sacrificantes.

V.

Hic verò *Bellarm. & Baron.* desudant maximopere, ut Theodoretum sexagenarium de ponre deijciant: *Baron. ad an. Ch. 60. n. 20.* audet cornicum oculos configere, & asserere Theodoretum haut feliciter affecutum esse Pauli verborum sensum, cum in hujus ad Colossenses Epistolæ commentarijs dicit, hæc à Paulo esse scripta, quod tum grassarentur hæretici, qui Angelos colendos esse jactarent, sic ergo *ait Baron.* errore semel lapsus in alium graviorem impegit, ut diceret Canonem. 35. Laodicen. Concilij de his hæreticis esse intelligendum, qui angelos colendos esse docerent, quiq; in eadem regione Asiæ Oratoria erexissent S. Michaéli Archangelo, in cautè nimis quæ â Catholicis essent antiquitus instituta, hæreticis, quorũ nulla esset memoria, tribuẽs; Hæc *Baron*: Audiamus rationes, solet enim Baronius nusquã magis mentiri, quam ubi patronum induit & historicum exuit. *Prima est*, Quia â Cerinthianis nullum ejusmodi Oratorium in honorem Angelorum erigi potuit. Cerinthus enim judæorum Deum esse Angelum dicebat, & hunc Angelum non intellexit alium quam Michaëlem, eumq; dixit esse malum, & sic nulla subest ratio, cur in honorem Michaelis erexerit Oratoria: Neq; alij hæretici id facere potuere, quia talem Angelorum cultũ tũ nemo docuit. Scilicet, ita est, quæ Theodoreti tempore fiebant

nec procul ab eus sedibus hodiè melius noviſſe vult Baronius. Quid enim? ſi Cerinthus non erexit, aut è Cerinthianis aliquis, ergone alij non potuêre? & quidem ij, quos vel Baronij non novit vel oſcitanter prætermiſit? *Secunda eſt:* Quia Angelos venerari, ſemper Catholicæ Eccleſiæ mos fuit. At, *inquam ego*, mos quidem fuit Catholicorum Angelos venerari, ſed Idololatrarum fuit, quos Theodoret. carpit, religiosè venerari, ijsq; oratoria conſtruere. Et oſtendit Theodoret. cum Synodum Laodicenam adducit, non olim tantum, quum hæc ſynodus cogeretur, ſed etiam cum hos commentarios ſcriberet, ἀγγελολατρείαν viguiſſe, proindeq; non fruſtra Synodum de iſta Idololatriâ locutam eſſe.

VII.

Bellarminus paulo aliter, & Theodoret. locutum eſſe dicit de Simonianis: At de illis loqui non potuit, quia ut dictum, nullam docebant Angelorum θρησκείαν; Quodverò de Oratorijs ait Theodoretus, dicit dupliciter intelligi poſſe, *Vel hæreticos ædificaſſe ea Oratoria, ut colerent Angelos juxta hæreſin Simonis, ſacrificando, vel templa ab hæreticis extructa ad ſacrificandum malis Angelis, eſſe à Catholicis converſa in Oratoria S. Michaëlis*: Nugæ! licet videre apud illos oratoria, ait Theodoretus. Quos vero? Num Catholicos? Imo vero eos, apud quos in Phrygia & Piſidia diu manſit hoc vitium: Unde quod obiter attendo, conſtat *librum illum de Curand. Græc. aff.* qui Theodoreto vulgo aſſcribitur, non eſſe Theodoreti, ubi autoris ſcopus eſt monſtrare, Chriſtianos Sanctis eundem vel majorem honorem deferre, quam gentiles Dijs ſuis, quæ directè pugnant cum ijs quæ h. l. Theod. habet; & præterea in Catalogo operum Theodoreti apud *Niceph. l. 14. H. E. c. 54.* non memoratur, ſicut *nec apud Photium in Bibliothecâ.*

VIII.

Quinto Baron. autor eſt. *n. 25. cit. l.* Coloſſis ſub Laodicenſi Metropoli poſitis antiquum viguiſſe cultum Michaëlis Archangeli, non quidem ut eum tanquam Deum colerent, ſed ut præcipuum

cipuum Dei ministrum afficerent, idq; ostensione immensi prodigij, ut ex Menologio Græcorum, Emanuele Metaphraste recenset: Hæc equidem, licet Colossis facta quandoq; esse non negem, serò tamen facta sunt, quia assertionis suæ autores non nisi recentissimos commendat, paulatim enim primæ Ecclesiæ puritas atq; integritas defecit, cæperuntq; omnia in pejus ruere, & retro sublapsa referri.

VIII.

Sexto, *Photiniani* moderni statuunt licuisse non quidem hodie, attamen in V. T. Angelos adorare: *Schmalzius*, Angelus, *ait*, *refut. Smiglec. p. 48.* Satis indicat antea id fieri potuisse vel etiam factum esse (quod Angeli fuerint adorati) at nunc postquam in unam familiam cooptati sunt Angeli & homines fideles & uni Domino serviunt, id fieri non debere. *Et paulo post:* Deus olim permisit ut Angeli adorarentur, & hoc ipsũ quod Angelo Johannnem prohibuit ut se adoraret, tacitè innuere videtur fieri id potuisse, nisi aliud quid novum tunc intercessisset, quod sc. Angelus iste conservus factus sit Johannis, qualis antea non fuerat tempore aliorum Cultorum Dei sub V. T. *Et alibi*: Dijs cœlestibus, *ait*, quales sunt Angeli cultum DIVINUM tributum fuisse nemo inficiabitur, qui quæ sub V. T. facta sunt, sæpè numero considerabit.

IX.

Tandem *Septimo, Pontificij* ut sese Angelorum istis cultoribus religiosis accenserent satis operosè hactenus desudarunt, & si non castè tamen tectè & cautè varijs hinc inde emendicatis manticulis, ne latriam Angelis sed duliam solum religiosam deferre viderentur: Ita enim solent feles, quod fimetum faciunt, scitè operire, & pro pumice linguam gerere, ut tersam undiq; cuticulam purgent & expoliant, quibus nisi fallor, non absimiles sunt Jesuitæ, qui ut crimen Idololatrias quod in Papatu commissum erat, scite operirent, & pro pumice linguam gererent, satis magno hactenus opere contenderunt: Imitantur Periclem, qui etsi à Thucydide luctâ superatus esset, ipse tamen spectatoribus suâ eloquentiâ persuadebat, non sese prostratum

esse, sed Thucydidem, eosq; ita in suam sententiam traducebat: Ita Pontificij etsi sæpius prostrati & convicti sint idololatrias, prostratos tamen se & convictos fateri nolunt, sed novis subinde tergiversationibus aliud persuadere satagunt: Adjuti tamen Dei gratia & scripturæ veritate demonstrabimus Periclem luctâ cecidisse, & Jesuitas Monachosve in suis gurgustijs Angelolatras esse, cultum vero, quem deferunt Angelis, esse λατρείαν Soli Deo in scripturis vendicatam. Ordine ne facere videar injuriam, sententias eorum super hac re percensebo.

Statuunt. I. *Angelos religiosè adorandos esse: Becan.* docent *ait* Catholici, Angelos recte à nobis coli & adorari tertia illa specie adorationis quæ dulia vocatur, & est inferior eo cultu qui Deo debetur, & superior eo qui hominibus in hac vita solet exhiberi: *nec opus est* hic Adversariorum testimonia congeri quia constans hæc omnium assertio est.

II. *Angelis templa erigenda esse ad cultum: Becan. tom. 1. op. 14. c. 22.* Quæstio est, *ait*, an liceat in honorem Angelorum aut aliorum Sanctorum templa ædificare, Affirmant Catholici (ita enim vocat hæreticos) negant hæretici. (ita vocat Catholicos:) possumus, *inquit paulo post*, eadem Templa quæ Deo principaliter ad sacrificandum erecta sunt, quasi secundariò referre in honorem alicujus Sancti h. e. (ut paulo dicitante) ad memoriam illius ibi recolendam vel ad patrocinium invocandum: Ita & *Drexel. Horol. p. 274. ait*, Constantinum Imp. apud Constantinopolin utroq; maris Euxini littore duo illustrissima Templa Michaëlis Archangeli honori, Justinianum vero eidem Archangelo alijsq; sanctis sex magnifica Templa è fundamentis erexisse, quod quàm verè referat, infra videbitur.

III. *Per Angelos juramenta præstari posse*, in cujus rei fidem citant *Justin. Imperat. in Authent.* ubi jusjurandum quod præstatur ab his, qui administrationem accipiunt ita habet: *Iuro per Deum Omnipotentem & filium ejus unigenitum Dominum nostrum J. C. & Sp. S. & per sanctam & gloriosam Dei genitricem, & semper virginem Mariam & per quatuor Evangelia quæ in manibus meis teneo, & per Sanctos Archangelos Michaëlem & Gabrielem, puram conscientiam germanumq;*

numq; servitium me servaturum sacratissimo Imperatori: Ita *Nicol. 1. ad Consulta Bulgar. c. 7* respondet, posse fideles per eas creaturas jurare quæ divinis sunt cultibus deputatæ: Exempla affert *Thomas. 1. 2. q. 89. a. 6. Sanctos Angelos* &c. quo juramento Deum primario, & creaturam quæ in juramento nominatur, secundario honorari contendunt. De *Mahomete* idem referunt Historici, quod jurare sit solitus per Angelos. Sicut & post Julij Cæsaris cædē â Senatu R. decretum, ut per genium principis juraretur, per quem quidam ipsum Principem, alij vero principis Deum genialem sive Dæmonem intelligi volebant, & sic apud Ethnicos quoq; mos per Dæmonas jurandi obtinuit.

IV. *Angelos gemitus desideria & cogitata cordis nostri scire;* Quo tandem modo *ait Drexel. Horol. p. 247.* exhibent preces nostras cum non videant cogitationes nostras? quid precemur facillimè sciunt aut nostri aspectu aut Dei; quis est qui oret, & non simul gemat, suspiret, pectus tundat etsi verba non formet? Sagacissimis spiritibus hic facile est assequi, quid clausum sit animo: At nil penitus in nobis observent, in Deo certè rerum omnium obstupescendo speculo vident omnia, ea præsertim, quæ ad sui clientis curam pertinent. Quid nesciant *ait idem alibi p. 278.* aut non videant Angeli, qui videntem & scientem omnia sciunt videntq; obtuitu perspicacissimo perenni? *Becanus.* Angeli, *ait Tom. 5. op. q. 5.* optimè cognoscunt ea, quæ apud nos geruntur, cognoscunt internam conversionem & pœnitentiam peccatoris, cognoscunt omnem cultum quem Deo exhibemus. *Et alibi tom. 1. Op. c. 22.* Angeli optimè cognoscunt nostras preces, *sic* postquam disseruisset *c. 1. c. 16.* contra Thomam, Angelos non cognoscerè nostras preces per vim visionis beatificæ subnectit, veri similius sibi videri, quod cognoscant per novas revelationes, quæ fiunt extra visionem beatificam, quia & hoc *ait*, facilius intelligitur, & hac ratione melius defenditur, visionem beatificam omnino esse invariabilem, non solum ex sua parte, sed etiam ex parte objecti: Plurimi item Pontificiorum quibꝰ non omnino abnuunt *Costerus Enchir. p 388. & Becan. d. de purg. Calu. c. 5. p. 88.* cōtra nitentetamē *Bellarm.* putant sanctos

ctos in cælis viventes ex Angelorum relatione habere et quæ fiunt in his terris etiam quæ solo cordis affectu proferuntur. *Carol. item Fr. de Abra de Racon. p. 5. sum. tr. 2. de Ang. q. 8. a. 1* putat Angelos &si forte non debeant, posse tamen *per naturam* alterius cogitata sine externo signo cognoscere.

V. *Angelos mirâ quâdam naturæ celeritate quodammodo esse ubiq;* ut audire possint preces supplicantium: Ita enim *Bellarm l. 1. de B. S. c. 20.* Alij dicunt, *ait*, sanctorum animas sicut & angelos mirâ quadam celeritate naturæ quodammodo esse ubiq; & per se audire preces supplicantium. *Et paulo post.* Nullus horum est, *ait* qui non ubiq; omnia videat: *Et* si velint tenere suas hypotheses aliter statuere non possunt Iesuitæ.

VI. *Angelos Deo preces nostras offerre:* Legati sunt Angeli inter nos & Deum *ait Pineda in C. 33. Iob. v. 23. p. 748.* deferunt nimirum ad nos Dei voluntatẽ & mandata nostra item ad illũ perferunt & vel nostras actiones vel nostra bona opera repræsentant, resq; ipsas nostras in meliorem partem interpretantur, ut nos reconcilient cum Deo *Et alibi in C. 1. Iob. v. 6 p. 67.* non incommodè dicetur aut intelligetur venisse Angelos ut astarent coram Domino oraturi & pia opera sacrificia & preces Jobi oblaturi coram Deo. *Et alibi in c. 33. v. 23. p. 750.* Angeli vel preces nostras vel bona opera offerunt Deo. Ita verò offerunt non ut Deo aliquid ignotum patefacere aut nuntiare se arbitrentur, sed ut super illis ipsis rebus divinam veritatem consulant, ut Augustinus ait & illius bonitatem omni cultu & obsequio digniſſimam illis quasi sacrificijs oblatis prosequantur, oblatioq; nostra & glorificatio per sanctos Angelos ad cælestem ascendat majestatem, & ut simul etiam suas obsecrationes & desideria nostræ salutis (amant enim nos) ad Dei cultum & gloriam adjungant: *Idem differunt à hanc rem Bellarm l. 1. de B. sanct. c. 16. Becan. tom. 1. op. 14. c. 16. Drex. l. Horol. p. 245. 246.* Ne verò nudam hanc esse putes & historicam oblationem sed λατρικὴν sive meritoriam audi & observa dicteria, quæ sequuntur: *In Litania Angelorum*: per sanctos Angelos tuos te rogamus audi nos: Per Christum & in nomine Christi preces nos fundere docuit Rabbi noster, illi verò fundunt

per

per Sanctos Angelos; *Drexel. c. l. p. 102.* Te rogo suppliciter ut *Angelicis pro me intervenientibus suffragijs* omnia opera mea placatus suscipias & ad salutem meam provenire concedas: *Item*: O æterne Deus bonitatem tuam per omnium sanctorum Angelorum atq; Archangelorum *preces & merita* humiliter imploro, ut quod meo in te amori deest, illorum in te ardentissimus amor cõpenset: *Item*: Humiliter te Domine deprecamur, ut quod nostris meritis non valemus, ejꝰ (Michaëlis) intercessione consequamur *p. 203.* Hoc probis omnibus, *ait idem p. 247.* summo est solatio, oratores suos, suæq; causæ *PATRONOS* & actores habent in cælo, quicquid patiuntur aut agunt, quicquid precis aut stipis fundunt, hac Angeli commendatione Deo fit commendatius. *Item p. 245.* precibus nostris suas jungunt Angeli & hyemem nostrarum orationum igne suo temperant, &c.

VII. *Angelos ut datores beneficiorum suppliciter & religiosè invocandos esse:* Legantur Litaniæ publicæ, Missale constantiense, in festa Michaëlis, & Breviarium Cistercienſe: pauca recensebo *ex Litaniâ*: S. Michaël, qui populo Dei semper defensor fuisti, ora pro nobis: S. Michaël qui Luciferum cum complicibus rebellibus de cœlo deturbasti ora pro nobis: S. Michael qui accusatorem fratrum nostrorum in profundum inferni dejecisti, ora pro nobis: S. Gabriel, qui Danieli visionem patefecisti, ora pro nobis: S. Gabriel. qui Johannis Baptistæ ortum & ministerium prænuntiasti ora pro nobis. S. Gabriel, qui incarnationis verbi Dei nuntius extitisti, ora pro nobis. S. Raphael, qui Tobiam salvum duxisti & reduxisti ora pro nobis: S. Raphael, qui Dæmonium à Sara depulisti, ora pro nobis. S. Raphael, qui Tobiam seniorem, illuminasti ora pro nobis. S. Seraphim orate pro nobis: S. Cherubim orate pro nobis: S. Throni orate pro nobis: S. Dominationes orate pro nobis. S. virtutes, orate pro nobis. S. potestates orate pro nobis. S. principatus orate pro nobis. S. Archangeli orate pro nobis. S. Angeli orate pro nobis &c. *Ita in Hort. An. ad Angelum custodem*: obsecro te Angelice Spiritus, cui ego indignus peccator ad providendum commissus sum, ut me ubicunq; fuero vigilantem, dormientem indesinenter protegas, defendas,

defendas, munias ab omni incursu Diaboli: Repelle à me per virtutem S. crucis omnem tentationem Satanæ: Et quod mea non exigunt merita, tuis precibus obtine apud altissimum judicem ut nihil in me loci habeat. Plures alias aliorum precatiunculas, quæ passim sunt obviæ, omitto: Vulgata illorum oratiuncula est ad Angelum custodem:

Angele qui meus es custos, pietate paternâ
Me tibi commissum servа, defende, guberna;

Et hæc est Pontificiorum de Angelorum cultu sententia, è quâ arbitror constare, S. Angelos à pontificijs religiosè simul adorari & invocari: *Adorari;* quia corpus & animum reverenter illis inclinant tanquam Dominis, templa in eorum cultum erigunt, per eos juramenta præstant, eos ut omniscios, suo quodammodo omnipræsentes, & nostros apud Deum patronos & interpretes suspiciunt, & coram ijs venerabundi procumbunt. Adorare enim est non tam propter increatam sed propter has excellentias aliquem venerari seseq; illi totum subijcere. *Invocari;* quia eorum auxilium opem & intercessionem confidenter implorant: invocare enim est aliquem religioso cordis affectu in se in auxilium imò in cor suum vocare, ut *August.* definit. Videndum est primò de Adoratione & seorsim de singulis membris.

Punctum Secundum
De *Adoratione Religiosâ Angelorum ubi disquiritur;*
An Angeli sint religiosè colendi; Et An cultus ille sit Idololatria?

XI.

Hîc ut ordine progrediar exponam I. *Subjectum* sive τὸ λεγόμενον, datum ut vocant, quid per Angelos II. *Prædicatum* sive ζητούμενον, quid per Adorationem h. l. intelligendum veniat, III. *Statum quæstionis* rite formatum præmittam, IV. *Veram sententiam*

tentiam argumentis firmiter ſtabilitam reddam, Et demum V. Quid de *Pontificia diſtinctione* inter λατρείαν & δουλείαν ſit ſentiendum exponam.

XII.

I. *Angelus* Hebreis dicitur מַלְאָךְ ab inuſitatâ radice לאך & quemvis nuncium ſive legatũ ſignificat, qui ad legationem ſive miniſterium aut mandatum juſſu alterius perficiendum, aut alteri quicquam denunciandum deſtinatur, proindeq; dicitur tum 1. de *legatis* Politicis *1. Reg. 19. 2. c. 20, 9. Proverb. 13, 17. C. 16. 13. Eſ. 14, 32. Num 21. 21. C. 22. v 5. Deut 2, 26. &c.* tum 2. *de ſacerdotibus*, prophetis, & verbi divini miniſtris *Eſ. 33, 7. Malach. 2, 7. c. 3, 1. Matth. 11. 10. Marc. 1, 2. Apoc 1, 20, c. 2, 1. 8, 13. c. 3, 1. &c.* quia Dei voluntatem interpretantur, & pro eo legatione funguntur *2. Cor. 5. 20.* Quæ ſignificatio etiam commodè adhibetur in illo *Iob. 33, 23. ſi fuerit apud eum* מלאך מליץ *Angelus* (Sacerdos, propheta) *interpres unum è millibus ad annunciandum hominis rectitudinem*: ubi pro מלאך *Gregor Magn. Gloſſ ordin. Hugo Cardinal.* quorum autoritatem Pontificij repudiare non poſſunt Chriſtum magni conſilij Angelum, pleriq; vero *Pontificiorum* alij Angelum ſpiritualem creatum intelligunt, qui apud Deum pro homine loquatur ſive intercedat, indeq; religioſe invocari debeat. Confiditq; *h. l. Pineda* ſeſe hoc dicto velut diſtricto & ſplendente gladio hæreticos inſequi feliciter atq; etiam jugulare poſſe: verum non dicitur hic מלאך loqui pro homine apud Deum, ſed loqui ad vel apud hominem ad indicandum illi rectitudinem ſive ſanctitatem vitæ, & ſic ſermo eſt non de interceſſione, quæ fit apud Deum ſed de interpretatione, quæ apud homines: מליץ enim Interpres eſt, qui alterius voluntatem aut ſermonem intermediâ oratione tanq; orator aut internuncius eloquitur *Gen. 42. 23. Iob, 16. 20.* & inde dicitur de prophetis & verbi miniſtris qui populo Dei voluntatem interpretantur *Eſ. 43. 27.* מלאך vero vox generalis eſt, quæ nõ neceſſariò Angelum, ſed quemvis nuncium, & h. l. ſpeciatim illum ſignificat, qui eſt interpres voluntatis divinæ ad, vel apud hominem annunciatæ

nunciatq; homini terroribus conscientiæ agitato rectitudinem, quid rectum sit, quid obliquum, quid faciendum, quid fugiendum, quod ordinariè munus est prophetæ, aut ministri verbi divini. Tum vero 3. מלאך dicitur *de ipso Dei filio*, quem *Enjedin.* incogitanter & præstactè negavit uspiam in SS. dici Angelum, Ita enim profitetur sese non considerasse loca ubi dicitur Angelus *Gen. 16, 7. c. 22, 11. c. 48, 16. Exod. 3, 2. c. 14, 19. c. 23. 20. Iud, 13, 3. Os. 12. 3. Zach. 1, v. 9. Apoc. 8, 3.* Angelus fœderis *Malach. 3, 1.* Angelus facierum Iehovæ *Es. 63, 9.* Angelus magni consilij & 70. Interp. Es. 9, 6. Quibus locis de filio Dei sermonem esse alibi ex nominum, attributorum, operum, cultus verè divini vendicatione ex professo demonstratur. Tum 4. *de spiritibus completis* & speciatim illis, qui sunt spiritus illi ministratorij ut appellat *autor Epistolæ ad Ebreos c. 1, 14.* & plerumq; Angeli per excellentiam vocantur, Et de his creaturis est quæstio nostra, quibus cum defertur cultus latriæ sive religiosus soli Deo debitus, fit ἀγγελολατρεία & est crimen εἰδωλολατρείας non leve.

XIII.

II. *Adorare* si etymon spectes (est enim, ut *Valla* vult, ab Ad & oro vel ut *Drusius* ab Ad & ora, vel ut alij ab Ador sive Edor purioris frumenti genere in sacrificijs Ethnicis usitato) est exteriori corporis gestu honoris & reverentiæ signum exhibere; inde usu translatum, ut honorem ipsum cujus signum gestibus corporis fit exterius, signaret, postea factum, ut cultus is, qui solis Dijs non etiam hominibus debetur, adoratio diceretur, ut *Varro* autor est: Juxta hanc significationem *Altensteig. in lex.* definit, Adorare quod sit eum qui adorandus est totâ mentis intentione quærere, credendo & firmissimè sentiendo, ipsum habere summam bonitatẽ, & ab ipso omne bonum emanare & sine ipso nihil boni posse haberi: *Iacob de Valent. in Ps. 104. ait*, quod Adorare sit reverendum honorandum glorificandum propter eminentiam omnipotentiæ & sanctitatis colere, & omni alia spe postposita se totum illi subijcere. Ubi tamen constat quod non tam apud vulgatum interpretem Adorare indifferenter de cultu tam civili quam

li quam religioso usurpatum legatur, quod ideo notandum ut locum habeat regula *Lessij Iesuitæ, Quando*, ait, *in SS. aut Patribus reperitur nomen Adorationis aut aliquid æquivalens, ex materia subjecta & circumstantiis judicandum est, utrum accipiatur pro cultu divino an vero pro inferiore.* Quod cum non attenderint ipsi Iesuitæ, subindè, quoties Adorationis nomen in SS. reperiunt, putant esse Adorationem religiosam: Exemplo sit unicus Becanus, qui ubi legit Abraham, Lothum, Bileamum adorasse Angelos, confestim colligit, adorasse religiosè *tom. 1. op. 14. c. 21. n. 4.* Quod argumenti cadaver à Thrasone illo editum non putassem, nisi vidissem.

XIV.

HONORARE sive COLERE, quod frequens est in hac materiâ, est excellentiæ testimonium verbis factisve deferre, sive ut *Gerson* definit, reverentiam in signum virtutis exhibere, aut eminentiam in aliquâ exhibitione erga illum qui honoratur protestari, quæ protestatio, tribus quasi momentis sive actibus absolvitur, quorum primus in intellectu est, cum aliquid tanquam eminens, adeoq; propter eminentiam tanquam venetatione dignum apprehenditur: Secundus in voluntate est, cum subijcitur quoq; inclinatur & prosternitur ad contestandam observantiam ipsa voluntas: Tertius (qui tamen ad cultum non absolutè necessarius est) in exteriori locomotiva est, cum exteriori quoq; corporis gestu signum honoris sive reverentiæ exhibetur. Et de hac voce certum, quod promiscuè de quovis cultu sive divinus sit, sive alius à divino, usurpetur.

XV.

Græcum προσκυνεῖν si etymon spectetur (dictum enim est, vel ἀπὸ κυνὸς qui ad Domini sui pedes se provolvit, vel ἀπὸ τῆς κυνεῖν, quod olim fuit reverentiæ signum,) est corporis incurvatione aut genu flexione honorem suum testari, ad genua alterius sese provolvere, ad oscula manuum sese demittere &c. Uti Magi προσκυνῆσαι αὐτῷ *Matt. 2. v. 11.* ubi part. αὐτῷ ad verbi emphasin exprimendam adjunctum est, quod

tamen alibi, ut verbo προσκυνεῖν incluſum ſolet reticeri. Sic ἄρχων ille *Matt. 9. 18.* ἄρχων τῆς συναγωγῆς ut *Luc. 8, 41.* εἷς τῶν ἀρχισυναγώγων ut *Marc. 5, 22.* appellatur προσεκύνει αὐτῷ (Ιησῦ) *Matt. 9, 18.* quod Marcus & Lucas explicant per τὸ πίπτειν πρὸς τοὺς πόδας αὐτοῦ. Sic & *Apoc. 3, 9.* προσκυνήσωσιν ἐνώπιον τῶν ποδῶν σου &c. Indifferenter autem in ſcripturis Græcis cultum tam officioſum quam religioſum notat & 70. verba השתחוה כרע סגד plurimis locis S S. reddidêre per προσκυνεῖν: paſſim item in N. T. loca ſunt obvia, ubi indifferenter quemvis cultum ſignificet.

XVI.

Hebreorum verba כבד שרת חשתחוה indifferenter ſignificant quemvis cultum. Hebrei enim, quod benè obſervavit *Bellarm. l. 1. de B. S. c. 12.* non habent nomen, quo cultum religioſum propriè deſignent, ſed omnia ſunt communia, & idem nomen nunc tribuitur cultui creaturarum, nunc negatur, prout nimirum aliter atq; aliter accipitur. Sic verbum השתחוה quod *Græcus* ut pl. per προσκυνεῖν, *vulgatus* per adorare, *Tremellius* per incurvare vertit, propriè eſt honoris exhibendi cauſa more orientalibus uſitato cum totius corporis incurvatione ſeſe inclinare, & dicitur tum de cultu civili *Gen. 19, 1. c. 23. 7. 12. c. 27. 29. c. 33, 3, 6, 7. c. 37, 7, 9. c. 42, 7. c. 43, 26. c. 47, 31. c. 48, 12, c. 49, 8.* & paſſim alibi; tum te cultu religioſo, *Gen. 22, 5, c. 24. 26. c. 48. 12. Exod. 4, 31. c. 12. 27. c. 24, c. 23, 24. c. 34, 12, Deut. 26, 10. &c.* Et idem in כבד עבד שרת obſervare licet.

XVII.

Honor ergo, cultus, adoratio, juxta SS. exhiberi poteſt dupliciter, vel *politicè*, externè, civiliter, officioſè, quando reverentia alicui in ſignum excellentiæ creatæ; vel *religioſè*, ſuppliciter, fiducialiter, divinè, quando reverentia divina ſoli DEO competens, quæ ſignum excellentiæ increatæ ſive divinæ eſt, alicui tribuitur: Honor enim *ut Thomas ait*, debetur propter excellentiam: ſicut ergo duplex in univerſum eſt excellentia

una

una increata soli Deo propria, alia creata, creaturis competens, quarum una ab alia toto genere distat (quæ enim Dei ad creaturas, ea quoq; excellentiæ increatæ ad creatam est proportio) Ita duo solum sunt cultus genera, Religiosum soli Deo, & civile sive non religiosum creaturis conveniens. *Dices*: tres esse excellentias, aliam divinam, aliam intermediam Angelorum & sanctorum, aliam humanam, hominum in his terris degentium, Tres ergo & honoris gradus esse; primum divinum Soli Deo debitum, qui Latria sit; Secundum Intermedium Sanctorum & Beatorum proprium, qui Dulia sit, Tertium & infimum Hominum nobiscum viventium, qui civilis honor sit, *cum Bellarm. l. 1. de B. S. c. 12.* & plerisq; Jesuitis alijs. *Verum resp.*: Excellentiæ & dignitatis in creaturis varios equidem gradus esse, quia aliæ alijs digniores sunt, gradus tamen illos speciem non variare, & differre saltem secundum magis & minus, & referri ad unam speciem Honoris civilis sive officiosi: Honor enim non civilis sive religiosus non potest nec debet propter quamvis excellentiam sive virtutem supernaturalem conferri: ita ut sancti qui virtute supernaturali excellunt, merito jureq; optimo religioso cultu sint prosequendi, *ut somniat Bellarm. l. 1. de B. S. c. 13. arg. 7.* Alias enim fideles, dum adhuc in vivis sunt, propter excellentias supernaturales, quas omnino penes se habent, jure meritoq; religioso cultu prosequendi essent, quod absonum, sed ut SS. testis est, Honor non civilis sive religiosus debetur solum propter virtutem (non quamvis supernaturalem, sed) infinitam & increatam. Sicut Honor non religiosus sive civilis debetur propter excellentiam creatam, qualiscunq; ea sit, sive naturalis sive supernaturalis sive gratiosa sive glorioſa, modo creata sit.

XVIII.

III. His vero præmissis formandus est controversiæ status: *Becanus c. 1. c. 21.* insidias struit, quando quæstionem ita formatz *An Angelos liceat adorare seu cultum aliquem ijs exhibere*, ut, quod Calvino impingit *Bellarm l. 1. de Eccl. triumph. c. 11.* nobis quoq; impingat, affingatq;, quasi negemus ullum cultum esse exhibendum

dum Sanctis & Angelis neq; parvum neq; magnum: Hic enim volupe est & quæstui Jesuitis, malè loqui de melioribus, nosq; immeritos flagellare, tanquam Hagiomastigas, qui more gigantum cœlicolis bellum indixerimus, ut *Salmeroni d. 7. in 1. Tim. 2. tom. 15. p. 456.* aut qui in omnes cœlites horribiles blasphemias evomamus ut *Bellarm. præfat. l. de Eccl. triumph.* aut quod Manichea, Helvidiana, Joviniana, Vigilantiana pestifera & detestabilia dogmata spargamus, adversus sanctos Angelos ut *Inugio Synops. novi Evang.* loqui placuit: Nos vero absit, ut in cœlestes illos Palatinos, & cœli duces illustrissimos virus ullum, absit ut blasphemias ullas evomamus in eos, qui, ut *August. Solil. c. 27. ait*, adjuvant laborantes, protegunt quiescentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes, congaudent gaudentibus, compatiuntur patientib9 &c. Quin potiꝰ colendos esse statuimꝰ 1. *Cultu officioso dilectionis*, ut gratâ mente officia ab Angelis præstita recolantur, dignè æstimentur, eoq; nomine Sancti Angeli diligantur. 2. *Cultu Societatis & imitationis*, ut Angelica pietas & Sanctitas moribus & vita quoad fieri potest, exprimatur, serioq; caveatur, ne peccatis Angeli vitæ custodes offendantur: illi assiduis Deum laudibus celebrant, & suum τρισάγιον decantant: id crebrior apud nos imitetur oratio, & ad Deum facta gratiarum actio: Illi ut vitæ integerrimi scelerisq; puri vitam abeq; nævo castissimam traducunt: id æmuletur castitas nostra, & ad perfectionem quotidiè contendens vitæ integritas. Illi ut administratorij Spiritus officij & obsequijs erga Deum hominesq; sunt promtissimi: id nostra imitentur erga Deum obsequia & promte proximum juvandi studia: Et hic erit cultus Angelis vel maximè placens: Cultum interpretantur cum in alios obsequiosi sumus *ait. Drexel. Horolog p. 276.* In quovis item loco Angelo nostro reverentiam exhibeamus, *Bernh.* monente, ejusq; præsentiam extirpandis vitijs efficacissimam quovis loco cogitemus, semper illum oculis versemus, ut q. illo spectante vivamus, & tanquam illo vidente omnia faciamus: Ita honorabimus Angelos: singularis & angelis convenientissimus, *ait itidem Drex. Horolog. p. 278.* eorumq; alumnis utilissimus cultus est, præsentiam

tiam illorum semper venerari &c. 3. *Cultu morali reverentiæ*, ut ratione status & eminentiæ in quâ positi sunt Angeli, honestè de illis sentiamus, & si fortè nobis apparerent, ad exemplum piorum in V. T. honestam nostram existimationem civili honore & reverentiâ contestemur.

XIX.

Non ergo quæritur, quod quærit Becan. *An Angelos liceat adorare*, seu cultum aliquem ijs exhibere, quia cultum aliquem eumq; civilem, politicum, aut si mavis charitativum ijs, tantum abest, ut negemus, ut ipsi quoq; deferamus, & deferendum esse contendamus: sed hoc est, quod controvertitur; *An liceat adorare religiosè, aut cultum religiosum sive dulia vocetur sive latria, iis exhibere?* Et hoc est illud, quod Ecclesiæ nostræ hactenus negarunt, fieriq; absq; Idololatrias vitio non posse è scripturis contenderunt.

XX.

IV. Hanc vero sententiam ut firmemus seqq. fundamenta ponimus: *1. Adoratio religiosa Angelorum est ἄθεσφατος, Cultus talis, qui mandato, fundamine, promisso, & exemplo probato in SS. destituitur*: Sine Mandato ergo, sine fundamine, promisso & exemplo, h.e. frustra, in vanum, & non sine idololatrias crimine suscipitur. Scriptura enim & in ea scripta Lex est agendorum norma, in qua quomodo νομοθέτης ille *Jac. 4. 12.* coli vel non coli, qui cultus à nobis observari vel omitti debeat, præscripsit, *Deut. 4. 2. c. 12. 32. Ioh. 5. 39. c. 20. 31. 2. Tim. 3. 16.* & præcepta non hominum, *Matt. 15. 9. Es. 29. 13.* aut quæ ipse non præcepit *Deut. 17. 3.* aut quæ nobis recta videntur, *Deut. 12. 8. Num. 15. 39.* sed præcepta sua *Ezech. 20. 19.* attendi voluit. Extra Scripturam vero sibi cultus fabricare est scortari post oculos suos, *Num. 15. 39.* facere quod sibi rectum videtur, *Deut. 12. 8* mandatis Dei addere aut detrahere, *Deut. 4 2.* adorare sicut nõ præcepit, *Deut. 17. 3.* fornicari in adinventionibus suis *Ps. 106. 36.* & semper fluctuare, semper dubitare, an Cultus ille, quem quis excogitavit, Deo placeat, quia non est ex fide, *Rom. 14. 23.* Hoc enim erat quod *Socratem* anxium dubiumq; faciebat: *An opera nostra, ait, probaturus sit Deus, nescimus, certo serio conati sumus, ut illi placeremus.*

XXI.

XXI.

II. *Adoratio religiosa Angelorum est* ἐθελοθρησκεία, *Cultus fictitius, superstitiosus, nullius momenti, adeoq; Idololatricus:* Ita constat ex *Coloss. 2. 18. 23.* ubi θρησκεία τῶν Ἀγγέλων inter ἐθελοθρησκείας & superstitiones numeratur: μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω θέλων ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ τῶν Ἀγγέλων, *Nemo vos seducat,* sive, ut *Beza,* rectoris partes sibi ultro sumat, *Erasm.* vobis palmam intervertat, *Hieron.* adversum vos bravium accipiat, *Syrus,* culpabiles vos reddat, reos vos statuat, *in submissione animi & religioso cultu Angelorum.* Quorum verborum emphasis ut eo innotescat melius, *attendendum* I. θρησκεία, (quæ vox, uti volunt quidam à Thracibus deducta est, θρήσσω enim vel θρήϊκη Thraciam significat, ubi Orpheus θρησκείαν primò tradidisse, cultusq; & ritus colendorum Deorum invenisse fingitur,) ut alibi in bonam partem sumitur & veram religionem, sive ut *Beza,* vertit, religiosum cultum notat, *Jacob. 1. 26. Act. 26. 5. Sap. 11. 18. 26.* Ita hic in vitio ponitur, & superstitionem significat (ut h. l. vertit *Erasmus*) h. e. vitium religioni contrarium, *quasi superfluam institutionem dicas, quia est sententia contra fidem ratione adinventionis,* uti est apud *Bonavent. l. 4. sent. d. 13.* & exhibet cultum divinum vel cui non debet, vel eo modo quo non debet, ut est apud *Thom. 2. 2. q. 82. a. 1.* Nam ab Apostolo severissime non solum prohibetur, sed & cum addito dicitur ἐθελοθρησκεία, v. 23. *quæ vox significat omnem voluntariam religionem, quam sibi quisq; finxit ex cerebro,* ut ait *Salmer. in Epist. ad Coloss. p. 347. Bellarmino* quidem *autore l. 2. de Monach. c. 16.* non desunt qui dicant ἐθελοθρησκείαν à Paulo non accipi in malam partem, sed in bonam: *Justinian.* quoq; etsi de Pauli mente nil ambigat, de vocabulo tamen ita philosophatur, quod æque in bonam ac in malam partem accipi possit: ἐθελοθρησκεία, inquit, h. e. *cultus spontaneus aut spontanea religio* (est) *quæ æque in bonam atq; in malam partem accipi potest, Nam Gregor. Nazianz. alicubi* θρησκείαν *pro dæmonum cultu accipit, Lucas vero in Actis Apostolicis pro vera religione veroq; cultu:* ἐθελοθρησκεία *voluntaria religio superfti-*

Col. 2.

perstitionem & impietatem, aut etiam pium & religiosum cultum spontè susceptum significare potest, Verùm non bene philosophatur: Alia enim simplicis alia compositæ vocis significatio esse potest, quia compositio sæpè addit significationi, sicut aliud λατρεία est, aliud εἰδωλολατρεία, illud medium, & tam in bonam quam malam partem sumi aptum, hoc vero non nisi in malam, Idem etiam περὶ ἐθελοθρησκείας dicimus: Simplex vocabulũ θρησκεία etsi de cultu indifferenter, sive in bonam sive malam partem accipi possit, compositum tamen ideo non potest indifferenter accipi: Quia (præterquam quod nusquam ita acceptum legerim) in vero cultu non requiritur solum, ut referatur *in Deum*, sed & ut *debito modo* referatur, & juxta voluntatem Dei, modo gratus & acceptus Deo esse debeat: Non ergo potest *proprio arbitrio*, propria inventione extra & præter Dei voluntatem susceptus esse, ut statuat v. g. quisquam se sic aut sic Deum colere velle, etsi ejus non habeat mandatum, aut non constet illi de voluntate divina: Hoc vero significat ἐθελοθρησκεία, non spontaneum cultum (ut *Justin.* vertit, neq; voluntarium, ut *Arias Montanus* hoc enim vero Dei cultui est necessarium, ut abesse non possit) sed arbitrarium, proprio arbitrio & cerebro inventum, quem quisq; sibi finxit ex cerebro, ut ait *Salmeron.* sive ut *Theodoret.* cultum eorum, qui proprium decretum introducunt non legis scopum ac institutum sequuntur: *Hieron. ad Algas. q 10.* falsam religionem interpretatur, *Epiphan.* (in simili) ἐθελοπεριτροθρησκείαν appellat, Et consentit quoq; *Bellarminus*, cit. l. à Paulo hanc vocem sumi ex plerorumq; interpretum, Hieron. Augustin. Theodoret. Oecum. Ambros. consensu pro simulata religione, Ipse quoq; *Justin.* ut dictum, non nominari hanc vocem nisi in sequiorem partem à Paulo, *In præsentia*, ait, *sine dubio superstitionem significat.* Hoc ergo tanquam indubium certumq; præsupponimus. Verum nondum acquievit *Bellarm.* dicendum est, *ait*, Apost. h. l. voluntarium cultum appellare non eas actiones, quæ non sunt à Deo præceptæ, id enim repugnaret plurimis scripturarum testimoniis, sed eas quæ nec à Deo pro-

batæ vel commendatæ sunt, nec revera ex naturâ suâ sunt materia cultus, sed sunt res inanes, & tamen ab aliquibus usurpantur quasi essent cultus, quales sunt qui dicuntur superstitiosi cultus, ut cum aliqui ponunt religionem in numero lotionum, ut olim Judæi & nunc Turcæ: *Verum*, quid ἐθελοθρησκεία sit aut noluit aut non potuit intelligere Bellarm: Non enim indefinitè actiones non præceptæ à Deo dicuntur à nostris ἐθελοθρησκείαι, ut quarum plurimæ neq; θρησκεία sunt neq; ἐθελοθρησκεία, neq; mandatæ neq; prohibitæ, sed per se indifferentes, & sic non ordinatæ ad cultum divinum, neq; etiam adæquatè & reciprocè actiones Deo non probatæ ἐθελοθρησκείαι dici possunt, etsi enim improbari à Deo ἐθελοθρησκείαι sit verum, non tamen ideo omnia quæ improbantur, sub ἐθελοθρησκείας ratione improbantur, quia probat vel improbat Deus quædam ut cultum vel superstitionem quædam ob aliam causam: *Sed ea demum* (sive actio sit sive res quæcunq; alia) *quæ neq; ex natura sua est cultus Dei aut materia cultus, neq; ex institutione Dei est ordinata ad talem cultum, ab hominibus tamen ordinatur ad illum, aut habetur vere & proprie pro cultu Dei, ea inquam res est* ἐθελοθρησκεία. Quod notandum est, ut vocis hujus genuina significatio observetur. *Observ. II.* θρησκεία Ἀγγέλων, quid apud Paulum significet, variant Interp: *Sunt* qui intelligant superstitionem gentilium de motu & influxu stellarum cum *Ambros.* quas Angelos nominatî putent gentes, quasi res nostræ ab inde dependeant, qua ratione simpliciores etiam à fide Christi ad vanas illas observationes siderum abducti sint. Verum non contra gentes sed contra Pseudo Apost. hæc Paulus disputat, nec stellas uspiam Angelos appellat, neq; certum, ita dictas à gentilibus. Incerta ergo est & alienior hæc sententia à scopo & mente Pauli: *Sunt* qui hypocrisin Angelicam Pseudo Apostolorum intelligant cum *Lyrano*, qui, quasi cum Angelis conversari eorumq; visione alloquioq; usi fuerint, ab eis doctrinam hauserint, aut à Deo instar Angeli alicujus missi sint, prætenderint. Et hanc interpretationem plures quoq; sequuntur è nostris, verum durior

mihi

mihi videtur parapraſis, quam ut admitti poſſit, quæ θρησκεία & ἐθελοθρησκεία ἀγγέλων vertit per Hypocryſin Angelicam, quam ſi expreſſit Apoſt. non θρησκεία ſed ταπεινοφροσύνη notavit. *Sunt* quì humilitatem & religionem Angelorum interpretentur cum *Baronio ad an. Ch. 60. n. 18.* de Cerinthi dogmate, quod ille Chriſtum deprimeret & Angelos extolleret, quippe qui non modo affirmaret mundum hunc Angelorum opera eſſe conditum, ſed etiam Hebreorum Deum in Angelorum numerum atq; ordinem redigendum eſſe: Quocirca monere Apoſtolum, ne quis decipiatur, propoſita Chriſti humilitate ſive abjectione, & Angelorum religione ſive veneratione & exaltatione nimia facta per Cerinthum: Hoc vero lepidum eſt, imo vero & leviculum commentum, quod *vereor* cum *Juſtin.* cit. l. p. 342. ut *poſſim probare, Nam ut ut Cerinthus Angelos extolleret ſupra Chriſtum, haud tamen religioſo cultu venerabatur, cum potius auctore Epiphanio Angelum ſeu Deum Hebreorum tanquam malum & malorum autorem execraretur*, quod itidem diffiteri non poteſt *Baron.* Rectiſſime ergo & ſimpliciſſime omnium θρησκεία ἀγγέλων exponitur de religione ſive religioſo cultu quo afficiuntur Angeli: Ita enim vocum proprietas & emphaſis jubet: verba enim illa θέλων ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκεία ut Magnus *Scaliger* obſervavit, ſunt idem ac ἐθελοταπεινόφρων καὶ ἐθελόθρησκος, qui in arbitraria humilitate, & arbitrario cultu Angelorum verſatur, Quæ ſane emphatica eſt deſcriptio illorum qui ſtultæ humilitatis & demiſſionis animi prætextu nil magis urgebant, *quam nimium eſſe arrogantes, qui auderent ad Deum ſtatim perrumpere, ac proinde beatorum ſpirituum dicebant implorandas interceſſiones*, ut *Beza* ait h. l. &c: Ita & *Syrus* Interpres, *Ut ſubijciamini cultui Angelorum*: Ita *Theodoret*, in h. l. *Qui legem defendebant eos etiam ad Angelos colendos inducebant, dicentes fuiſſe legem per eos latam. Manſit autem diu hoc vitium in Phrygia & Piſidia &c:* Quæ hic *Baron.* contra optimum patrem nugatur, illa ſupra locum reperêre. Ita *Oecumen. Erant nonnulli apud ipſos, qui in ſimulatione modeſti animi prohibebant ipſos per Chriſtum accedere, quaſi tanto digni non eſſent, & quod Angeli ob-*

secrandi essent, ut nos ad D. E U M *adducerent, veluti qui etiam primi communi accessu, sive adductione facti sunt majus esse dicentes quam quod ad nos pertineat per Christum adduci. Ita Chrysost.* in h. l. sunt *quidam qui dicunt non oportere per Christum adduci sed per Angelos.* Ipsi quoq; adversarij *Bellarm. Coster. Salmeron* & alij contendunt agi contra Simonianos, qui dicebant Deum cõprehendi non posse, sed per Angelos esse placandum, quorum opinionem etsi non probem, probo tamen, quod putant sermonem esse Apostolo de Angelorum veneratione: *Justinianus* quoq; ita παραφράζει: *Nemo quasi certaminum moderator palmam vobis aut bravium intervertat, proposita vobis spontanea & ultro suscepta humilitate & Angelorum cultu:* Et paulo post in explanatione: *Non dubium est* ait, *Paulum agere de cultu & veneratione Angelorum ei religioni repugnanti, quâ Christus ut nostræ salutis autor à nobis suspicitur & colitur, Id enim non modo affirmant omnes ejus explanatores quos paulo ante nominavi, sed ita etiam Apostoli verba apertißime docent.*

XXII.

His ita observatis facile est ex hoc loco argumentari: 1. Quicquid Paulo est θρησκεία Angelorum, est superstitio, h. e. ut *Bonav.* derivat, superflua institutio contra fidem, ubi ut *Thomas* definit, cultus divinus exhibetur cui non debetur, aut non eo modo, quo debetur, adeoq; εἰδωλολατρεία, sive peccatũ contra primũ præceptũ committitur. Atqui Pontificiorũ illa Adoratio & veneratio Angelica est illa θρησκεία Angelorum, de qua Paulus; Non enim definitè hanc vel illam solum θρησκείαν prohibet, aut quæ *Salmeron* verba sunt, *tantum vetat Angelos Simonis agnosci, sive extra Christum Angelos, quos per se ut aliquid valentes adhibere solebat Simon*, sed indefinite Angelorum θρησκείαν, qualis etiam cunq; sit, improbat Apost. nullam probat. Et quæso unde constat *Bellarm. Salmeroni Costero*, Simonianorum solum θρησκείαν hic argui non aliorum? non Pontificiorum? Quasi vero qui universaliter omnem θρησκείαν damnavit, quan-

vit, quandam probaret non damnaret? Imo vero contra eos agit Apost. qui Angelos non latria sed dulia (ad hominem loquor) colendos esse contendebant *quasi Minores Deos*, ut *ait Bell. quia summum Deum nemo placare posit nisi per hos Angelos*, Hæc vero ratio colendi non poterat esse latria, in qua, ut *prima disp.* visum, juxta proprias Pontificiorum hypotheses, id quod colitur apprehendi necesse est, ut primum principium & ultimum finem: Et sic juxta Bell. illam θρησκείαν hic prohiberi à Paulo necesse est, quæ erat non latria sed dulia: Pontificiorum vero θρησκεια talis est. E. 2. N. ἐθελοθρησκεία est cultus Deo placens, Cultus enim Deo placens non est arbitrarius aut ex proprio cerebro confictus, aut cultus nullius momenti, qualis est ἐθελοθρησκεία; Angelorum autem adoratio est ἐθελοθρησκεία. E.

XXIII.

III. *Adoratio religiosa Angelorum est Cultus ab Angelis tanquam crimen Idololatriæ prohibitus*, Ita enim legitur *Apoc. 19. 10.* quod Johannes Angelum adorare volens ab Angelo prohibitus sit, *Vide ne feceris*, σύνδουλος, (conservus) *tuus sum & fratrum tuorum habentium testimonium Jesu, Deum adora.* Quod cum denuo tentaret *Apoc. 22. 8. 9.* denuo idem sibi responsum accepit. Ut vero huic dicto, quod *Bailius* dicit nos semper in ore habere (stercoribus enim sues delectentur, nobis sapit purissimum Dei verbum) sua constet evidentia, & adversariorum glossemata, quæ hic obvertunt, nullo negotio dissipari possint, *observandum*: I. *Angelum hunc non fuisse Petrum Apost. illum vero Apoc. 22. 9. S. Paulum*, qui noluerint adorari à Johanne, quia ipse eis erat officio & meritis par, uti nugatur *in h. l. Alcasar*, Hoc enim est accommodatitium, *ut Corn. à Lap.* loquitur, (vel potius fictitium) non literale, à litera textus prorsus alienum: Angelicis enim visionibus (non Petri & Pauli) erat assuetus Johannes, Angelum vidit, (non Petrum aut Paulum) Angelum itaq; (non Petrum aut Paulum) adorare voluit. II. *Angelum hunc non habitum fuisse à Johanne pro Christo*: Ita quidem statuunt *Thomas 2. 2. q. 84.*

a. t. Bellarm. l. 1. de B. S. c. 14. forte Angelus sic apparuit *ait Bell.* ut potuerit existimari Christus &c. Cujꝰ personam gerebat, nisi ipse explicuisset se non esse Christū, & ideo corrigendꝰ fuit adorator, nō propter errorem adorationis, sed propter errorem personæ, *Sixtus* quoq; *Senensis*, Angelus *ait*, Johannem ad genua procidentē prohibuit, quia senserat eum existimasse, præsentem se habere Deum, quod ne falsō crederet, Angelus se non esse Deum cum increpatione indicavit. *l. 8. Bibl. Sanctæ hæres 6. p. 630.* Et ita plures alij: Verum unde id evincitur, quod Joh. adorarit Angelum quia putarit esse Deum? Nullum huiꝰ in textu vestigium, imo vero contrarium reperitur, quia diserte dicitur Angelus, qui non ideo rejecit adorationem, ut ostenderet sese non esse Christum, sed potius ostendit sese esse Angelum & conservum, ut reijceret adorationem: Ita enim in textu est: Conservus tuus sum, DEum adora, quo non errorem personæ sed adorationis potius commissum esse innuitur, contra quam Pontificij volunt: Imo vero quem Angelum intellexerit Johannes *c. 22. 6.* ipse subnectit, eum sc. quem miserat Deus ostendere servis suis quæ oportebat fieri ἐν τάχει. Et vero, posito, quod prima vice putarit esse Christum, quare secunda vice repetijt adorationem, ubi jam satiserat edoctus, esse conservum, & Angelum creatum? *Non est ergo*, quæ verba sunt *Cornel. à lap. in h. l.* verisimile (quod Johannes existimarit esse Christum,) nam S. Johannes assuetus his visionibus Angelicis, sciebat hunc non esse Christum sed Angelum, unde eundem jam hic cognitum rursum voluit adorare, *c. 22. 9. Lorinus quoq; in c. 10. Act. v. 25.* Nullo pacto existimo, *ait*, Johannem ignorasse Angelum fuisse, quem hoc ipso nomine etiam exprimit, & Angelo quamvis DEum repræsentaret, non deberi latriam ne non tam ad Deum quam ad Creaturam videatur ejusmodi adoratio referri. Accedit quod semel admonitus non iterum id contendisset &c. III. *Angelum non dicis causa aut ex modestia & urbanitate cultum illum prohibuisse*: Opinantur id quidem *Lorinus & Viegas*, quod ex urbanitate, *Bellarm.* item, *& Becan.* quod dicis causa prohibuerit, quia Angelus rectè fecerit prohibendo & Johannes rectè fecerit adorando; quod non repre

reprehensus sit sed prohibitus, &c: Verum non ficta hæc urbanitas sed severissima prohibitio est, quod tum Elliptica oratio, *Vide ne*, facinoris gravitatem notans, (res enim quæ non patitur verborum moram subito clamore aut etiam manu prohiberi solet, ita festinat hic Angelus nec absolvit præ celeritate sententiam) tum triplex addita prohibitionis ratio, Conservus sum&c: Deum adora, designat: Quod ergo recte & sincerè ab Angelo recusatur, male à nobis suscipitur. Miror proinde hominum impudentiam, miror ingenium, qui ex hoc Johannis facto idololatriam suam palliare non erubescunt: Si Johannes putavit esse Angelum & tamen adoravit, *ait Bellarm.* cur nos reprehendimur qui facimus quod Johannes fecit, Neq; minus audacter *Becan. tom. 1. op. 14. p. 120.* Si Johannes Evangelista adoravit Angelũ quare Calviniſtæ nos reprehendunt, qui facimꝰ quod Johannes fecit, At inquiunt, Johannem male feciſſe & ideo reprehensum esse, Nimirũ Calviniſtæ ſapientiores ſunt quã Johannes, Optimè fecit Joh. Nec reprehensus est ab Angelo sed prohibitus. *At verò* si ita argumentari licet, quæ non flagitia, quæ non scelera licet imitari? Cur non & ita concluditis Iesuitæ? Si David commisit adulterium, quare reprehendimur, qui facimus quod David fecit? Si Petrus abnegavit Christum, quare reprehendimur, qui facimus quod Petrus fecit? Si Noach fuit ebrius quî reprehendimur qui facimus quod Noach fecit? At si dicamus Davidem, Petrum Noachum male feciſſe, & ideo reprehensos esse? Nimirum, respondebit Becan. Lutherani sapientiores sunt quam David, Petrus, Noach, Optime fecere, Nec reprehensi sunt sed prohibiti. En sapientiam! en discursum Becani & Bellarmini, qui si obtineat, næ salvus conductus erit omnibus flagitijs; Verum quod *Theophyl.* ait, sanctorum exempla ideo scripta sunt, ut & nos, si aliquando lapsi fuerimus, animadvertendo possimus in exempla illorum respicere & (non imitari sed) per pœnitentiam corrigi. IV. *Angelum severe omnem omnino cultum religiosum, qualis qualis ille sit, Iohanni prohibuisse*: Ita enim innotescit ex triplici annexa ratione: 1. *Conservus tuus sum,* σύνδουλός σου εἰμὶ, & ea propter, vult Angelus dicere, minime

minime adorandus: Qui ergo est hominum σύνδουλος, ille ab hominibus dulia (multo vero minus latria ut ex hypothesi ad hominem loquar) non est adorandus: Dulia enim servitus est, quæ alijs non ut conservis sed ut superioribus debetur: Servus autèm non est sui conservi servus, eumq; quâ talem ut superiorem & eminentiorem non agnoscit, & sic multo minus illum dulia aut latria religiosa potest venerari: At vero Angelus fatetur sese esse σύνδουλον conservum nostrum. E. *Addo & hoc:* Recte fecit, *ait Bellarm. & Becan.* Iohannes Adorando: At si recte fecit duliam detulit Angelo: Duliam ergo prohibuit Angelus: Ille enim cultus ab Angelo prohibetur & reprehenditur qui à Iohanne defertur; At si prohibuit duliam, multo magis latriam. II. *Sum unus ex fratribus tuis*, quæ ratio à majori æqualitatis vinculo ducta omnem religiosæ adorationis reverentiam excludit: Frater enim non adorabit fratrem religiosè, (sive dulia sit sive latria) ubi inter eos est æqualitas. Incurvaverunt quidem in somnio sese manipuli fratrum coram Iosepho *Gen. 37.* sed hæc incurvatio civilis solum præeminentiæ (non religiosæ) Iosephi erat præsaga. III. *Deum adora*: ratio sumta à contrario, quod solus Deus sit religiosè adorandus: Qui ergo, quæ Angeli illatio est, non est Deus non est adorandus religiosè: Hæc enim Dei solius sunt regalia quæ nemini communicat, sed soli sibi retinet, Idq; fatetur Thomas *qui*, ait, *angelum vetuisse hoc fieri, tum ne adoratio, quæ soli Deo debetur, exhiberetur creaturæ, tum propter periculum idololatriæ*, Atqui Angeli non sunt ille Deus. &c. E. Hic si Iohannes distinctionem Scholasticam didicisset obtendere, quæ est inter latriam & duliam, parum profeciisset argumentando Angelus, neq; satis validum argumentum obtendisset: Quid enim? Si respondisset Iohannes; Sine modò, non est latria, non est adoratio Soli Deo propria, quam tibi deferam, sed dulia propria Sanctorum, nil ergo opus illâ protestatione: Etsi enim Deus non sis, Angelus tamen es, quid ergo cultum tibi competentem, & ab adoratione latrias Deo propria distinctum maximè, recusas? Angelus ergo, aut (quod absit dicere) non recte prohibuit sese adorari religiosè, quod Deus non esset, quia juxta hypothesin

Ponti-

Pontificiam potuisset adorari religiosa dulia, etsi Deus non esset, aut sane si recte prohibuit, sine limitatione omnem adorationem religiosam qualis cunq; sit, proindeq; & duliam ex ea ratione: quia Deus non sit, à sese removit. IV. Pontificij alias causas prohibitæ hujus Adorationis extra textum comminiscuntur, sed neutra bona est: ut (1.) quod ob reverentiam incarnationis & humanitatis Christi non permiserit sese adorari, sicut *Bellarm. Becan.* alijq; cum *Ruperto, Richarde, Ansberto*, ipso etiam *Gregorio* opinantur. Verum, non hanc sed aliam causam affert hic Angelus, ut ait *Corn. à Lap.* Aut (2) quod noluerit adorari ob meritum virginitatis quo S. Johannes excellebat Angelos, Aut (3) ob Sacerdotium, quia erat sacerdos ac Pontifex, habens potestatem consecrandi corpus Christi &c: proindeq; dignior Angelis qui hac potestate carent, Verum, quæ verba sunt *Blasij de Viegas*, recte quidem (nos minus rectè) & ingeniose hæc omnia dicuntur, sed tamen ad contextum minus accommodate, Itaq; nullam superiorum expositionum literalem germanamq; esse arbitramur, idq; meo judicio evidenter ostenditur ex ipsismet verbis Angeli, Vide ne feceris, conserv9 tuus sū: *Hæc Viegas*: Et *quod ego addo*, si hæ causæ forent, tum neq; jam à Pontificijs Angeli adorandi forēt; Aut (4) quod noluerit adorari quia erat Propheta, & Angel9 in Iohanne reveritus fuerit Spiritum Prophetiæ, siquidem addatur, testimonium Iesu est Spiritus prophetiæ; Quam rationem *Viegas & Corn. à Lapide* dicunt esse germanam & genuinam: Verum eodem illa vitio laborat: Causas enim, cur nolit adorari in textu subnectit sufficientissimas; verba vero illa, conservus sum fratrum tuorum Prophetarum *Ap. 22. 9.* (quæ urget Cornel.) non continent ἀιτιολογίαν prohibitionis, sed periphrasin conservorum, quorum sese fratrem & conservum erat professus. Aut (5.) quod noluerit adorari, ut confutaret hæresin Cerinthi jam tum subnascentem, qui Angelos nimis exaltabat, præferens eos Christo, docensq; per Angelos creatum esse mundum &c. quæ *Baronij tom. 1. an. C. 60.* ratio est. Verum & hæc ratio inepta est, non enim propter Cerinthum sed propter Deum, & semetipsum adorationem aversatus est angelus, Et licet ex hypothesi

Cerinthus extolleret Angelos, non tamen docebat esse religiosè adorandos. Qui ergo potuisset, eo fine ut Cerinthum refutaret, adorationem execrari Angelus?

XXIV.

IV. *Adoratio Religiosa est Cultus Soli Deo proprius, Angelis ergo, nisi idololatriam committere lubido sit, minime vendicandus*: Quod enim solius Dei proprium est illud absq; idololatria alteri Extra Deum v. g. Angelis tribui nequit *Es. 42. 8. c. 48. 11.* alias enim introducuntur contra mandatum dij alieni *Exod. 20. 3. Deut. 5. 7.* &c. Antecedens tripliciter firmo 1. *Adoratio religiosa est actus religionis*: Religio autem (dicta vel à religendo sive inculcando ea quæ ad Dei cultum pertinent, vel á religendo h. e. frequenter eligendo ea quæ ad Dei cultum spectant, vel à religendo Deum, quem per peccatum neglexeramus, vel à religando nos Deo, *quod religet nos religio uni soli potenti Deo, ut ait August. de vera Rel. c. 55.* vel à relinquendo, quod per religionem mundum relinquamus & ad Deum accedamus) nulla nisi unius Dei tenenda est, ut bene ait Lactant. Sive ut *Thomas, Bellarm. Valentian.* definiunt, *Religio est virtus moralis, quæ hominem inclinat, ut Deo debitum honorem & cultum exhibeat, tanquam omnium creatori & Domino.* Quod observatum quoq; à vulgato latino Interprete, qui doctrinam, aut cultum aut cognitionem Dei, aut ritus quibus colitur Deus, Religionem vocavit *Ex. 12. 26. 43. Num. 19. 2. Esth. 8. 17. c. 9. 27. 2. Mac. 6. 11. Act. 26. 5. Col. 2. 18. Jac. 1. 26. 27.* Viritem εὐλαβεῖς *Luc. 2. 25. Act. 2. 8. c. 8. 2.* δεήσεσι *Jac. 1. 26.* σεβόμενοι *Act. 13. 43. 50.* εὐσεβεῖς *Act. 10 2.* à Latinis Interpret. vulgo dicuntur Religiosi: Quæ ergo hæc religio est, quod religionem quæ solius Dei est, Angelis & creaturis deferunt Pontificij tam religiosè? Qui fit quod Angelos volunt coli religiosè, arcam cultam religiosè, Danielem à Nebucadnezare adoratum religiosè, Iaddum ab Alex. cultum religiosè, mortuis deberi honorem religiosum &c? cum tamen nulla religio nisi solius Dei tenenda sit? II. *Adoratio religiosa Soli Deo tribuitur Deut. 6. 13. c. 10. 23. Iehovah Deum tuum timebis & ipsi servies*: Quem locum Christus ita

citat:

citat *Matth. 4. 10.* Iehovah Deum tuum *adorabis* & illi *Soli* servies, Ubi pro Timere substitutum, est adorare quia Timere omnem reverentiam erga Deum complectitur, cujus pars quædam adoratio est, quam quia Diabolus sibi deferri postulabat, Christus ex hoc dicto illum suffecto adorandi vocabulo, & subsumta sub genere certa specie recte refutavit. Vocem vero μόνῳ in Ebreo non repertam sed additam à 70. quia erat illius dicti ἐξηγητική, Christus recte repetijt: In propositione ergo ista: Dominum DEUM tuum timebis & illi Soli Servies, particula exclusiva solus à Christo addita, omnem omnino adorationem & servitutem religiosam (sive dulia sit sive latria) removet ab omni illo quod non est Deus: Neq; scriptura uspiam ita partitur cultum religiosum ut partim Deo partim creaturis, latriam v. g. Deo, duliam creaturis vendicet, sed totaliter & in solidum Soli Deo tribuit, quoties verum Deum colendum & adorandum esse dicit: Neq; verum est particulam solus tantum ad posterius membrum de servitute pertinere, non ad prius de Adoratione, q. Soli Deo serviendum, non tamẽ solus adorandǫ sit, *quia adoratio conveniat etiam creaturis non autem servitus latriæ quæ hic nominetur*, *Et ideo* ait Bellarm. *non esse dictum Solum Deum adorabis & illi Soli servies, sed Deum adorabis & illi Soli servies*: Non inquam hoc est verum, sed Exclusiva tam ad prius de Adoratione, quam ad posterius de servitute pertinet, ut sit sensus, solum Deum adorandum, solum Deum colendum esse (sc. religiosè, namde ea servitute hic sermo est, ut proinde ineptum sit, quod *ait Bellarm.* non obstante hoc præcepto illi soli servies, dictum esse Iacobo, serviant tibi populi &c.) Quia, cum Christo præeunte dicendum & tenendum est, Soli Deo servies, cur non & dicendum, solum Deum adorabis, quia in eodem genere cultus est adoratio cum servitute? Et sane, nisi Adoratio admitteret exclusivam soliq; DEO competeret, Christus Satanam ex hoc dicto non recte refutasset, quem ideo negat esse adoratione dignum, quia sit scriptum, Deum tuum adorabis: Oportuit ergo sensum dicti esse exclusivum: Solus Deus est adorandus, & Qui non est Deus non est adorandus quæ

eius propositi exponens est, At vero tu Diabole non es ille Dominus Deus. Ergo adorandus non es. Aliter sane Christum argumentatum fuisse dicere non poterit Pontificius. Idq; agnovit etiam *Jansen. concord. c. 15.* in prima sc. parte intelligi debere vocabulum solum, eamq; necessario esse sententiam verborum, Dominum Deum tuum solum adorabis. *Erasm. quoq; in annot. Matth.* monet in his verbis emphaticis & singularibus Iehovam tuum adorabis, contineri exclusivam solus: *Maldonatus* quoq;, Cum, *ait* Deus jubet adorare se sibiq; servire, vetat alios adorare Deos, & servire illis, itaq; idem est, Dominum DEum tuum adorabis & illi servies, ac si dixisset, Dominum tuum solum adorabis, illiq; soli servies, Iure ergo meritoq; miramur stuporem & effrenem audaciam *Pistorij* Apostatæ, qui in Hodeg. Nuspiam *ait* in tota Scriptura præceptum, ut solum Deum adoremus vel invocemus. Cum nuspiam tota S. S. nisi verum Deum adorandum & invocandum esse doceat. Neq; adorandum quicquam præter Deum legimus, *ait Ambros.* quia scriptum est Dominum Deum tuum adorabis & ipsi Soli servies. Apage hoc Celsi Consilium *ait Origen.* jubentis adorari Dæmonas, quine tantillum quidem audiendus est, Solus enim adorandus est Deus summus. &c: Nos interim eâdem qua Christus est usus, Maximâ utimur & argumentamur h. m. Q. non est Deus non est adorandus religiosè: Angeli vero non sunt Deus Non ergo adorandi religiosè. III. *Adorari religiose aliud præter Deum severe in SS. prohiberur*, Idololatræ enim dicuntur qui Creaturas adorant extra Deum *Deut. 17. 3. 2. Reg. 17. 33. Gal. 4. 8. Rom. 1. 25.* servierunt creaturæ παρὰ τὸν κτίσαντα, *Beza* vertit præterito creatore, *Erasm.* supra eum qui creavit, *Vulgata* potius quam creatori; Verum hoc modo illi solum tangerentur ab Apostolo, quibus potior & major creaturarum quam creatoris veneratio cordi fuisset, increpatio autem Apostoli Universalis est, & eos quoq; tangit, qui una cum creatore colere noluere Deos minorum gentium: παρὰ ergo h. l. recte exponitur per *Præter*, Una, juxta, cum, sicut & aljbi *1. Cor. 3, 11. Gal. 1, 8.* &c. Unde à pijs veteribus Nestoriani Ariani Photiniani Anthropolatrias

latrias accusati, quod Christum quem negabant verum DEum, docerent esse religiose adorandum, de quo vide *Athanas. tom. 1. d. 1. contra Arr. p 126. orat. 2. contr. Ar. p, 184. orat. 4. p. 263. l. de Incarnat. verbi p 528. & Cyrill. de recta fide ad Theodos. Nyssen. orat. in Laud. Basil. Justinian. constit. 5. C. de Summa Trinit. & fide Cath. §. Hæc igitur. Constit. 6. cum Salvatorem §. His ita tit, eod.* &c: Quodcunq; ergo est aliquid extra & præter Deum, non est religiose adorandum, Angeli sunt aliquid extra & præter Deum. E.

XXV.

V. *Adoratio religiosa Angelorum est Orthodoxæ Antiquitati ignota:* Testimonia prolixe in hanc rem congerere non est nostri instituti; Pauca solum adponam: *Iren.* antiquissimus pater; *l. 2. adv. hær. c. 57.* Non est inquit, numerū dicere gratiarū quas Ecclesia à Deo accipiens in nomine Jesu Christi per singulos dies in opitulationem gentium proficit, nec invocationibus Angelicis aliquid facit, nec incantationibus &c. *Origen. l. 5. adv. Cel.* Angelos invenimus interdum Deos vocari à Scriptura Sacra, sed non sic, ut jubeamur eos adorare aut divinos honoribus colere &c. *Et l. 8. adv. Cels.* Prædicamus eos (Angelos) ut beatos, quibus à Deo commissæ sunt utilitates hominum, non tamen honorem Soli Deo debitum his reddimus. *l. 5. contra Cels.* Quod si pro nobis dicendum, qui æqualiter neq; Angelos colimus, neq; solem, neq; lunam, neq; astra. *Athanas. in 1. ad Coloss.* Si quis alicui elementorum aut Angelorum vel potestatum devotum se debere puter, errare se sciat. *contra Ar. orat. 3.* Angelus quoq; Johannem in Apocalypsi se adorare volentem non admisit dicens vide ne feceris conservus enim tuus sum et fratrum tuorum prophetarum, & servantium verba Codicis hujus Deum adora. Quocirco solius numinis est adorari. *Hieron. ad Ripar.* Non Angelos non Archangelos non Cherubim non Seraphim & omne nomen quod nominatur in præsenti seculo & in futuro colimus & adoramus, ne serviamus creaturæ potius quam creatori. *Epiphan. hæres. 79.* DEus Angelos adorari non vult. *Augustinus l. 20. contra Faust. c. 21.* Ipsi Sancti Angeli

geli exhiberi sibi nolunt quod uni Deo deberi norunt, *Conf. l. de vera relig. c. 55. l. 8. de C. d. c. 25. Enarrat. in Ps. 34. & 96. tract. 13. in Joh. & alibi. Sic Concilium Laodicenum can. 35.* Quod non oporteat Ecclesiam Dei relinquere, & abire, atq; Angelos nominare, & congregationes facere, quæ interdicta noscuntur, si quis igitur inventus fuerit, huic occultæ idololatriæ serviens, sit anathema, quia derelinquit dominum nostrum Iesum Christum filium Dei & se idololatriæ tradidit. Plura testimonia non addo, etsi addi possent magno numero, è quibus sane liquido constat, inventum illud Αγγελολατρίας Pontificiæ esse à primitiva Ecclesia sériò improbatum.

XXVI.

At vero perpetuo in ore habent Pontificifij, *Dulian esse & cultum illo vere divino minorem & inferiorem, quo venerantur Angelos, non vero latriam illam Soli Deo debitam, injuriam itaq; & calumniam non tolerandam esse, quod ea propter Αγγελολατρίας accusentur & Αγγελολάτραι habeantur.* Et hæc distinctiuncula Commune illud diverticulũ est, quo sese, cum alio non poterunt, inq; angustias redacti sunt, recipiunt, communis ille clypeus, quo argumenta & tela nostratium è Sp. S. pharetrâ depromta elidere atq; eludere sese posse confidunt. At, nisi me veritas fallit, admodum frustra: Distinctiuncula enim illa pauperrima inter Duliam & Latriam (quod semel pro semper in hac materia monuisse sufficiat) qua Rem qua voces est Extra Præter Contra Scripturas conficta & excogitata: *Quâ voces*, Quia 1. Dulia non solum de Cultu creaturarum proprio *Gal. 5. 13 Eph. 6. 6. Col. 3. 21. &c.* Sed etiam de Cultu solius Dei proprio *Deut. 13. 4. Iud. 2. 7. 1. Sam. 7. 3. c. 12. 11. 20. 24. 1. Reg. 16. 31. 2. Par. 28. 9. c. 30. 8. c. 33. 16. c. 37. 33. Nehem. 9. 25. Iob. 21. 15. Ps. 2. 11. Ps. 22. 31. Ps. 100. 2. Es. 42. 23. c. 60. 12. Ierem. 2. 20. Ezech. 20, 40. c. 29. 18. Dan. 7. 14. 27. Zephan. 3. 9. Zach. 2. 9. Mal. 3. 14. 18.* Ubi (ni me fallit observatio) in Ebr. est radix עבר, sic & in N. Test. *Matt. 6. 24. Luc. 6. 13. Act. 20. 19. Rom. 7. 6. 25. c. 12. 11. c. 14. 18. c. 16. 18. Eph. 6. 7. Col. 3. 24. 1. Thess. 1. 9.* usurpata legitur, imo vero sæpius dulia dicitur in Scripturis Græcis cultus divinus, quam latria, Quod cum

ignor

ignorare non posset *Bellarm.* ipse asseruit *verbum δουλεύειν esse commune servituti Dei & creaturarum & proinde exponi debere pro locè exigentia*, Et (2.) Latria non solum de Cultu religioso solius Dei sed & de cultu officioso creaturarum proprio dicitur in scripturis græcis *de quo me vidi dissert. 1. th. 4. & 5.* Unde certo certius constat præter & contra Scripturas dulias vocem soli cultui Sanctorum, Latrias vero soli cultui divino designari: Quicquid vero sit de vocibus, de quibus non magnopere litigaremus, modo rei sua constaret veritas, *Quâ Rem ipsam* est ficta & falsa hæc distinctio, sive ut Bellarm. ait, à Theologis (h.e. abotiosis & ventrosis Monachis) *excogitata*; Nam nusquam nusquam in scripturis dulia significat talem cultum intermedium, qualem somniant Pontificij, neq; illius ullum ullum in scripturis extat vestigium: Quia omnis dulia in scripturis aut est religiosa solius Dei, aut officiosa sive charitativa creaturarum propria: Omnis cultus juxta Scripturas aut est primæ tabulæ & sic ad solum Deum pertinet, aut est secundæ tabulæ & res Deo inferiores respicit, Tertiâ illam duliæ intermediæ speciem dabunt mihilesuitæ tum demũ, cum Ararim Parthꝰ bibet & Germania Tigrim. *Deinde*: dulia religiosa quid est nisi servitus religiosa? At quod seruitutem istam attinet, sumus servi non hominum, non creaturarum, sed solius Dei *1. Cor. 7. 23. Rom. 1. 1.* &c. quod cum videret *Peresius* & ipse Pontificius, dubitavit, an δουλείας nomine debuisset ejusmodi officium appellari, quod Sanctis debetur, asseruitq; *Sibi non multum probari nomen duliæ pro cultu sanctorum sumtum, cum dulia propriè significet servitutem, nos vero non simus servi Sanctorum sed conservi*, cui admodum frigide & ridicule respondit *Bellarm. l. 1. de B. S. c. 14. In Scripturis* ait *dulia non solum accipitur pro servitute mancipiorum, sed etiam pro honoraria subjectione ut Gal. 5. per Caritatem servite invicem, Hoc ergo modo potuerunt Theologi cultum Sanctorum vocare duliam!* At vero Bellarminus vagatur extra oleas! Non sermo est hic de honoraria subjectione, & mutuis charitatis officijs, quorum ratione Unum alterius servum esse certum est, sed de religiosâ subjectione sive servitute, & devotionis sive adorationis officijs, quæ Sanctis exhibent

bent Pontificij, quorum ratione nos Sanctorum servos esse negamus, & commode dici negavit *Peresius:* Quæ vero hæc ratio est? quæ consequentia? Apostolus nos jubet esse servos mutuos δουλία civili, Ergo commode Cultus Sanctorum potest dici dulia sive servitus religiosa! Ergo nos possumus esse dici; servi Sanctorum servitute religiosa?

Corollaria!

I.

DE Christo dicitur, quod Electorum nomina sit professurus coram Patre & Angelis, Ap. 3.5. Quid vero opus est Angelis, ut coram ijs profiteatur Christus nomina fidelium? Alibi Matth. 10. v. 32. dicit se professurum coram Patre suo cœlesti, ubi non fit mentio Angelorum: An forte ideo fit, quod Angeli sint advocati Sanctorum & invocandi adorandiq; ab ipsis! Minime vero! An forte ideo quia judicium circumstante Angelorum corona habebitur, an quia & illi ex resipiscentia & fide Sanctorum Luc. 15. 10. gaudebunt, an quia Angelis ita patrocinium Sanctorum commendabitur, an quia eadem cum Angelis servata tamen proportione beati gloriâ fruentur?

II.

Vulgo dicitur, duos solum adultos ex ijs qui exierunt de Ægypto, ingressos esse in terram Canaan, idq; videtur statui recte posse ex Num 14. 29. Omnes qui numerati estis à viginti annis & supra & murmurastis contra Me non intrabitis terram præter Caleb filium Jephonne & Josua filiũ Nun: *Sed tamen aliorum Scripturæ locorum collatio monstrat, plures adultos quam Josuam & Calebum esse ingressos, ut indagantibus constabit. Quæritur conciliatio!*

יהוה

De Ididolatria
Disputatio III.

Quæ est

DE ANGELOLATRIA
Secunda.

Punctum Tertium

ubi quæritur

An Angelis sint templa ad cultum erigenda,
&, An is qui erigit sit ἀγγελολάτρης?

I.

PRius ajunt, posterius negant Pontificij, uti visum: Prius verò negant & posterius asserunt Orthodoxi, quorum asserto ut fidem faciam, pono hunc Syllogismum: Quibus finis erectionis templorum absq; crimine Idololatrias tribui non potest, illis absq; eodem crimine Idololatrias templa erigi non possunt: Atqui S. Angelis finis erectionis templorum absq; crimine Idololatrias tribui nequit. E. Majorem probo: quia juxta *Becanum tom.* 1. *op.* 14. *c.* 22. quatuor fines sunt erectionis templorum, 1. Ad sacrificandum Deo, 2. ad orandum, 3. Ad populum verbo Dei & Sacramentis pascendum, 4. Ad Martyrum reliquias consecrandas & generatim ad honorem & memoriam Sanctorum (*& ut post addit*) ad patrocinium invocandum. Cui ergo Sacrificari, cujus verbum prædicari & Sacramenta dispensari, cujus reliquiæ asservari aut patrocinium invocari, quiq; adorari in templis absq; Idololatria nec potest, nec debet, illi ex sententia *Becani* templa non sunt erigenda. Cessante enim fine cessat & ratio finis, & viciſſim: Minor inde constat, quia templum est locus ubi populus ad solius Dei cultum congregatur;

Resp. JOHANNE Coccæo, Lemg. Westph.

In nullius angeli sed Dei Opt. Max. honorem templa extrui jussa sunt: Non Angelis sed Deo in templis sacrificia (quæ in N. T. non nisi laudis, devotionis & pietatis sunt) offerenda: Non Angelorum sed Dei verbum in templis prædicandum: Non quæ ab Angelis, sed quæ â Christo instituta sunt Sacramenta in templis dispensanda: Nec Angelorum patrocinium sed Dei solius in templis religiosè implorandum: Ea quæ dico ex omnium temporum serie confirmantur.

II.

Num ante diluvium templa fuerint non constat: Josephus Jubal dicit fuisse, qui primus tabernaculum struxerit: Nobis etsi constet cœptum esse invocari nomen Domini Gen. 4. 26. verumq; adeo Dei cultum viguisse, & quod inde conjicitur, conventus quoq; habitos esse, attamen aut Ecclesias quemq; domi habuisse aut Synagogas & Scholas templorum loco fuisse vero est simile, sicut nec antiquissimis temporibus in varijs gentibus templa fuere, Romani enim centum septuaginta primis annis templis caruere; ut August. testatur, Persæ Herodoto autore templa nulla extruxerunt, sed montes editissimos conscenderunt ibiq; sacrificarunt, Germani quoq;, autoribus Tacito & Aventino, cumprimis Tuisco lucos & nemora ad rem divinam consecravere; *Primum vero templum* quod Dei mandato anno conditi mundi 2454. ante Christum natum 1494. ante ædificationem secundi templi 480. primò in deserto est erectum, templum scilicet illud mobile & portabile, non alteri, quam nominis Dei honori & cultui dedicatum est, ut memoria nominis divini ibi celebraretur (non alicujus Angeli) *Ex. 25. 9. 22. Num 7. 89. Deut.* 12. 11. erat enim אֹהֶל מוֹעֵד tabernaculum conventus vel Ecclesiæ quia ibi sacer conventus fiebat ad cultum Deo exhibendum. *Targum hab.* tabernaculum domus doctrinæ, quia ibi verbum Dei sonabat, *70. legunt* & ex ijs Steph. *Act. 7. 44.* σκηνὴ τοῦ μαρτυρίου, sicut & *Num.* 9. 15. dicitur אֹהֶל הָעֵדֻת tabernaculum testimonij, quia ibi erat אֲרוֹן הָעֵדוּת arca testi-

testimonij in qua testimonium h. e. lex erat reposita, & Deus de sua voluntate populo testabatur, qui quoties opus erat ibi Dominum consulere, & externo illo testimonio sibi divinam præsentiam & auxilium polliceri certò poterat: Dicitur etiam tabernaculum Dei, *Ps. 15. 1. Ps. 27. 6.* Domus DEI, *Ex. 34. 26. Deut. 23. 18. Jud. 18. 31. c. 19. 18. c. 20. 18. c. 21 2. 1. Samu. 1. 1. 7. 24. 2. Sam. 12 20.* utpote soli Deo ejusq; honori & cultui vendicata; Sanctuarium, *Num. 18. 1* Sanctuarium Dei Ps. 73. 17. קהל â congregatione quæ ibi fiebat ad colendum nomen Domini *Deut. 23. 1. Iud. 20. 2. Ps. 68. 27. Lev. 16. 31.* post ubi Salomonis templum est ædificari cæptum, Dei jussu est sublatum.

III.

Secundum, quod Dei jussu est erectum, fuit splendidum illud ædificium toto oriente celeberrimum, anno conditi orbis 2933. ante Christum natum 1015. post exitum ex Ægypto 480. Salomonis potissimum opera & auspicijs, solius Dei (non cujusquam alterius) nomini & honori erectum: *Sanctificavi domum istam*, ait Deus ad Salomonem, *quam ædificasti ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum, & erunt oculi mei & cor meum ibi 1 Reg. 9. 3. Conf 1 Reg. 8. 41. 2. Chron. 6. 32. Es. 56. 7. 1. Chron. 23. 25. Ierem 7. 3. 7.* Unde dicitur sanctuarium & domus Dei, *1. Reg. 3. 1. c. 6. 1 37. c. 7 12 40. 45. 48 50. 51. c. 8. 10. 11. 63. 64. c. 9. 1. 10. &c.* domus orationis, *Matt. 21. 13. Mar. 11. 17. Luc. 19 46.* tabernaculum Deo Jacob consecratum *Act. 7. 46.* quod tamen post, Deo Idololatriam, Intemperantiam, & crudelitatem Judæorum puniente â Chaldæis Anno M. C. 3360. post ejus fundationem primam an. 427. funditus est eversum *2. Reg, 25. 9. 10. 2. Chron. 36. 20.*

IV.

Tertium Anno C. orbis 3420. ante Chr. natum an. 528. post desolationem prioris 70. auspicijs Esdræ & Zerubabel soli nominis divini gloriæ atq; memoriæ est erigi & consecrari cæptum: *Petrus Galat.* ex Judæorum opinione scribit, quinq; res defuisse in templo secundo, quæ alias erant in primo, 1. Arcam, 2. Ignem sive divinitatem, & Dei gloriam, 3. Urim & Thumim, 4. Oleum

leum unctionis, & 5. Spiritum S. Quod ut ut sit, erat tamen domus Dei, consecrata & dedicata soli nomini divino. *Esd. 1. 2. seqq. c. 2. 68, c. 3. 8. 11. c. 4. 3. 24. c. 5. 2. c. 6. 3. 5. 7. 8. 12. 16. 17. 22. c. 7. 16. c. 8. 17. 29. 30. 33. 35. c. 9. 9. c. 10. 1. 6. 9. Neh. 6. 10. c. 8. 16. c. 10. 32. c. 11. 11. 16. 22. c. 12. 40. c. 13. 4. 7. 9. 11. Hagg. 1. 2. 9. 14. c. 2. 16. Zach. 3. 7. c. 8. 9. c. 11. 13. c. 12. 8. c. 14. 20. 21.* Et hoc templum Herodes cognomento Magnus destruxit vel potius ornavit anno regni sui 18. & templi restaurationem animo molitus est, & *ut beatitudini suæ responderet & gratiæ tanto rerum secundarum successu levatus ad pietatem intendit & ut se gratum cælestibus in se supra modum fluentibus beneficijs demonstraret templum ornavit, ut Egesippus l. 1. c. 35. 36.* sive ut *Iosephus l. 15. A. c. 4. l. 1. de Bell. Iud. c. 27. l. 6. c. 6.* testatur, ædificavit, de quo templo Herodiano sunt qui intelligant verba Judæorum *Ioh. 2. 20.* quod 46. annis ædificatum sit.

V.

Fuit etiam *templum Samaritanorum* in monte גְּרִזִים auspicijs & opera Sanballath Samariæ Ducis indultu Alex. M. erectum, & ad normam templi Hyerosolimitani constructum, Sacerdotis summi vicibus primum in eo fungente Manasse fugitivo Sacerdote & Socero Sanballathi, qui Manasse cum fratris laudi Pontificatum speraret, contra legis tamen edictum Sanaballethi filiam mulierem peregrinam in matrimonio haberet, orta populi seditio est, unde aut solvendam sibi soceri illius potentissimi affinitatem, aut Pontificatus spem amittendam esse facile intellexit. Tandem communicatis cum socero consilijs templum adulterinum ædificare in Garizin monte Samariæ constituit, idq; potestate per socerum ab Alex. M. impetrata perfecit, & ira in adulterino templo, cum in genuino non posset pontificatū peregit; Vocabatur hoc tēplum בית־המקדש domus sanctuarij & si *Iosephol. 13. 16.* creditur, *In Alexandria Iudæos & Samaritas qui templum temporibus Alex. M. super Garizim monte construxerunt contigit contra se seditionem excitare, & propter templa coram ipso Ptolomeo certare, Iudæis quidem dicentibus secundum leges Mosis templum se in Ieroso-*

Ierosolymis construxisse, Samaritis autem in Garizim. Lis sc. orta erat de loco cultus divini, Judæis pariter & Samaritis pro suo templo concertantibus, sicut & historia Samaritanæ innuit, *Ioh. 4. 20.* Post vero ab Antiocho Jovi Xenio consecratum *2. Macc. 6. 2.* & tandem à Johanne Hyrcano Simonis Pontificis filio, postquam ducentis annis stetisset, funditus eversum est, ut *Iosephus* autor est.

VI.

Fuit quoq; *templum* ex indultu Ptolomei in Heliopolitanâ Ægypti præfectura ad similitudinem Hyerosolimitani ab Onia filio Oniæ tertij (qui tamen alibi accusat suos quod sanctuaria in Phœnicum urbibus atq; alibi condidissent contra jus fasq;, per indignationem vero in Ægyptum aufugit, ut illic templum conderet, quod Pontificatum Antiochi libidine ad Alcimum, hominem ex sacerdotum quidem familia, sed non ex Pontificatus successione ortum, transferri videret) post mortem Judæ Maccabæi extructum, quod duravit annos 333. (alij 340.) ac tandem sub Vespasiano clausum & prophanatum est, in quo omnes ritus & sacrificia ad Judaicorum imitationem exercebantur. Et ne frustra videretur id tentasse Onias Esaiam Prophetam suo instituto accommodavit, qui *c. 19. 19. In die illa* inquit, *erit altare ipsi Jehovæ in medio terræ Ægypti*, eoq; Ptolomæi Regis animum solicitavit & flexit, qui in Responso ad Oniam: Sanè miramur, *ait*, si poterit esse acceptum Deo templum statutum in impuro loco & pleno animalibus, sed quoniam ais Prophetam Esaiam jam olim hoc prædixisse, permittimus tibi hoc quatenus potest salva legis observatione fieri ne videamur per hoc peccare in Dominum: Videatur *Iosephus l. 7. c. 30. l. 13. c. 6 7.* De hoc & similibus templis extra Hyerosolimam ita statuebant vetustissimi Judæi: *si quis transgressus legem sit, ædemq; extruxerit aliam præter Sanctuarium Hyerosolimitanum, non est ea quidem Idolorum ædes habenda, sed tamen Sacerdos qui illic sacris operatus fuerit, nunquam sacra facere in Dei sanctuario quod Hyerosolimæ est poterit. Etiam vasa, queis usus ille est, nemo quisquam ad veri Sanctuarij adhibebit mi-*

nisteria sed abscondenda erunt, ut ex R. *Mose Ægyptio* refert. *P. Cunæus l. 1. de Ebr. Reg: c. 8.*

VII.

Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ temporibus templa magnifica nulla fuere, etsi enim teste *Philone* fuerint, qui tempore Marci Evangelistæ habuerint οἰκήματα ἱερὰ quæ ipsi vocarunt σεμνεῖα καὶ μοναστήρια ubi solitariam & religiosam vitam transegere, hos tamen non Christianos sive Judæos conversos cum *Eusebio l 2 Hist. Eccl. c.16.17.* & *Johanne Quintino in explic. Can. 5 Conc. Gang.* sed Essenos potiussive Essæos cum eodem *Eusebio præpar. Evang l.8.c.4. Hyeronimo ad Eust. de virg. Polydoro Virgilio l.7.c.1.* aut Christianos Judaizãtes cum *Nicephoro l.8.c.39 & Sozomeno l.1.c.12.* fuisse dixerim. Post successu tẽporis ingruentibus gravissimis adversꝰ Ecclesiam persecutionibꝰ loca congressuũ latebris, speluncis, antris, & terræ cavernis quam magnificis templis fuere similiora, ut quisq; occurrebat locus sine delectu, ibi Christiani orationem faciebant, ut auctor est *Eusebiꝰ l.7.c.17 l.9.c.10* Tertullianiquoq; temporibus qui circa annum Christi 195 floruit, non alia templa erant quam simplices domus, omnia erant occulta, *& sacella potius abdita quam magnifica templa struebantur*, ut *Polydorꝰ Virgiliꝰ* quoq; testis est *l.5. de Inv. R. c 6.* Cæmiteria ubi martyres sepeliebãt, erant Christianis veluti templa & orationum loca, *in quibꝰ Synodos congregabant, Sacramenta administrabant & verbum Dei concionabantur, ut ait in Append.* ad Plat *Onuphrius*, & testis est *Theodoretus l.2.c.14.* Post ducẽ re fimum tamen annũ ubi sub Alexandro Severo, Gordiano, Philippo, Gallieno, Claudio Aureliano, Aurelio Probo Christianis paullulum tranquillis esse licuit, templa & domus orationum majori, quam ante licuerat, magnificẽtia extrui cæperunt, ut est apud *Euseb. l.8.c.1.* quæ post quidem á Diocletiano passim diruta atq; eversa, Maximini tamen, primum in Christianos crudelioris, post tamen ad sese redeuntis & mitioris, edicto pedetentim reparata & tandem Constantino M. ad imperia evecto, ubivis locorum ex fundamentis magnificentissimè exstructa, qui neq; pecunijs, neq; ipsis Imperialibus thesauris hac in re parci voluit, ut in vita Constantini *Euseb.* & *Nicephorus l.8.c.27.* recitant, sub illo enim

nim prima edicta data ut Ecclesiæ ædificarentur, tunc primo quoq; Catholicis hominibus permissum, ut Ecclesiæ eorum prædijs ditarentur, ut ait *Otto Frisingensis l. 4. c. 3.* Ex illius constitutione ædes si quæ collapsæ aut destructæ fuissent restaurabantur, ac si quæ minus capaces & angustiores essent amplificabantur, Ad quas res Imperator ex Imperalibus thesauris pecunias suppeditabat, ut ait *Sozom l. 1. c. 8.* Pijssim9 tamen Imperator cuncta templa in honorem Dei & servatoris nostri erexit, Angelis aut Sanctis nullum dedicavit ut *Sozomenus itidè testatur l. 2. c. 3.* Hyerosolimis in loco Calvariæ ubi sepulchrũ Domini fuit, magnificum templum Salvatori dedicavit *Athan. Apol. 2, Euseb. de vita Cõst. l. 3.* quod *Martyrium* vocant *Euseb. de vita Const. l. 4. & Sozom. l. 2. c. 26.*, non quod in honorem Martyrum, sed quod eo loco exstructum esset, ubi passus erat Christus Dominus, eiq; soli qui fidelis & verus Martyr est, dedicatum: Idem Imperator in eadem urbe templum Theophaniæ servatoris, templum Assumptionis ejusdem in cœlos, ut *Euseb. l. 3. de vit. Const.* refert ædificavit; Constãtinopoli duo templa quorum unum Irenem, alterũ Apostolorũ nominavit, soli honori Servatoris extruxit, *Socr. l. 1. c. 16.* Romæ Palatium illud magnificum Lateranense ingentib9 sumptibus exstructum Christo sacravit *Niceph. l. 7. c. 49.* duo itẽ sempiterna memoria digna, veneranda & pulcerrima sacraria in duobus mysticis antris Helena Augusti pij Imperatoris pia mater Deo servatori suo pie mentis indicia fundavit *Euseb. l. 3 de vit. Const.* Et ideo dicebantur templa κυριακα sive *dominica Euseb l. 9 c. 10. Russin l. 1. c. 3.* â domino J Christo, cui soli consecrabantur, & quod soli J Christo in his serviretur, isq; invocaretur; Dominum enim ut *B. Rhenanus notat in Eusebium*, semper habebant in ore, etiam ipsa loca in quibus propter Dominum orabant, appellarunt Dominica Unde Germani etiamnum Episcopalia templa quæ certe primaria sunt & reliquis antiquiora, Dom vocant, & illorum Canonicos Dombern. Dicebantur item *templa* quasi tecta ad contemplationem divini numinis ampla, ut ait *Isidor. l. 15 c. 4.* Nec apud probatum auctorẽ reperire est, primis recentis annis loca publicorum congressuum Sancti aut Angeli alicujus nomine consecrata esse, Quæ enim *Surius tom. 5 de vitis*

Sanctorum

Sanctorum ex *Metaphraste* recenset circa Constantini Magni tempora Dei martyribus templa ædificata fuisse, Quæ item *Nicephorus* habet, quod Constantinus duas Ecclesias Archangelo Michaeli exstruxerit eo in loco, qui Sostenium appellatur, propterea quod ibi Michael apparuerit in somnijs Constantino illic cubanti, & dixerit: *Ego sum Michael archidux Domini Zebaoth virtutum, Christianorum fidei tutor, qui tibi contra impios tyrannos belligeranti auxiliaria arma contuli*: Ea inquam apud nos sunt suspectæ fidei: Nam constat ex probatis Ecclesiæ Doctoribus, diu morem illum soli Deo templa consecrandi obtinuisse: *Prosper Aquitanicus* ait convenisse prope Carthaginem magnam sacerdotum multitudinem in festo Paschatis ad consecrandum templum Deo cœlesti: *August.* Nonne *ait*, si templum alicui Sancto Angelo excellentissimo faceremus de lignis & lapidibus anathematizaremur à veritate Christi & ab Ecclesia Dei, quoniam creaturæ exhiberemus eam servitutem, quæ uni debetur Deo: Ad quem locum *Erasmus in margine*: Hoc nunc fit quibuslibet Divis: *Idem August. in. alibi*: Si legerent Arriani templum Salomonis è lignis & lapidibus Spiritui S. erectum, non negarent illum esse Deum cum templi constitutio ad latriæ cultum pertineat. *Arrigite* aures Jesuitæ, templa erigere est cultus latriæ, Angelolatriam ergo committunt ex August. sententia qui angelis templa erigunt: *Idem*: Nec Angelis, *ait*, templa construimus, Nolunt enim sic honorari à nobis, quia nos ipsos cum boni sumus templa summi Dei esse noverunt: *Et alibi*: Templa, sacrificia instituti Sacerdotes, non nisi uni Magno debentur: *Hæc passim in suis scriptis Augustinus. Athanas. sive quis alius autor est l. de pass. Imag. Dominicæ*, Iudæi Berytenses, *ait*, postquam Baptismum consecuti sunt, rogabant enixius Sanctum virum ut Synagogam sive Ecclesiam consecraret *in honorem Sancti Salvatoris Mundi*. Quorum petitionem minime aspernatus Synagogam illorum quæ major esse videbatur, in nomine Unigeniti Dei filij redemptoris Mundi consecravit, Ex tunc vero per diversas orbis terræ nationes & provincias mos inolevit, ut basilicas plurimas vel oratoria Pontifices Christianæ legis in honore Sancti Salvatoris Mundi condere & dedicare

non

non desinant, nam antea antiquiores nostri vel Majores hoc peragere minime præsumserunt. *Durand. in Ration. l. 1. c. 6.* ab his Judæis ad fidem conversis *dicit* morem inoleviſſe ut templa consecrarentur, quorum historia juxta certiores Chronographos incidit in annum Christi circiter 700. Quanquam sacrandorum templorum, altarium, vasorum, vestium ritum ad Felicem III. refert *Durand. ibid.* h. e. in annum fere 480 ut &*Polydorus. Sic&Innocētio III.* in ipsa temporū fece anno 1200, Duæ sunt, *inquit*, species servitutis, una, quæ debetur soli Deo creatori, & dicitur λατρεία, & altera quæ creaturis impenditur & dicitur δουλεία, Utramq; speciem determinat Dominus, dicens, Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo, *Ad latriam pertinent templa*, altaria sacerdotia sacrificia & hujusmodi, quæ sunt Soli Deo exhibenda, &c; ne forte si secus agatur, non Theosebeja sed Idololatria committatur, Hinc enim Deus in lege præcepit, Dominum Deum tuum adorabis, & illi Soli servies, h. e. Soli Deo servitutem adorationis impendes, *l. 3. de Myster. missæ c. 11.* Hujus quoq; loci est observare frequentem illam B. Patrum raciocinationem: *Templum habet E. Deus est*: Omne Templum Dei templum est *ait Basil. Epist. 141* Dicitur quidem & templum aliquod templum Salomonis, sed tanquam ejus qui extruxit. *Ambros. de Sp. S. l. 3. c. 13.* Quam impudenter negatis (*Sp. S. esse Deum*) cum legeritis, quia templum habet Spiritus, Scriptum est enim, templum Dei vos estis, & Sp. S. habitat in vobis, Deus ergo templum habet, creatura templum non habet verum, Idem ferme *Cyrill.* urget *thesaur. l, 13. c, 1.* Quæ sane illatio periculosa, inepta, absurda esset, si alteri quam vero Deo, v. g. Angelis, templa dedicare, & consecrare in primitiva Ecclesia mos fuisset. Non tamen diffiteri volumus successu temporis templa à sanctis denominari cœpta, non quasi in honorem & cultum eorum ædificata fuerint, sed aut memoriæ causa, ut memoria Apostolorum servatoris passim apud omnes perennis redderetur, ut ait *Euseb. l. 4. de vita Const.* aut differentiæ gratia, vel à personis Illustribus, vel ab historia & eventu aliquo in Ec-

clesia memorabili: Unde Alexandriæ templum Dionisij & Theonæ, Constantinopoli Oratorium Anastasiæ, Pauli, Pacis, Sophiæ, Hyerosolimis Stephani, Ephesi Johannis Evangelistæ, Chalcedoni Euphemiæ martyris &c: Tandem vero quæ primo in memoriam erant erecta, in honorem & cultum Angelorum & Sanctorum deficiente paulatim & labente primâ Ecclesiæ puritate sunt conversa, idq; ut videtur primum cœpit circa ætatem Justiniani Impp. & pedetentim ita excrevit, ut Deo aut nulla aut pauca, Angelis verò & sanctis omnia aut certè plurima templa dedicarentur. Cui accessit opinio meriti, & apparitionum, quibus nimium creditum est multitudo, quæ superstitionem illam in immensum auxit: Basilius Imp. Orientis ut se Deo conciliaret, quia Michaelem Imp. occiderat, in multis locis Constantinopoli templa erexit in honorem S. Archangeli Michaelis, qui Archistrategos Græcis dicitur, mirabili & pretioso opere, ut ex *Zonara Cuspinianus* refert. Garganus civis Sipontinus armentalem taurum, qui â grege aberrarat, quærens, tandem inventum ira percitus sagittâ petijt, quæ retro in Garganum versa fecit, ut Sacerdoti Laurentio portentum illud Gargani telo transfixi pastores aperirent, qui Michaelem in somnijs sibi apparuisse & affirmasse dixit, quod taurus index Basilicæ fuerit quam inhabitare & ubi ab hominib9 coli vellet loc9 itaq; ille consecratus & augustissimum ibi tẽplum D. Michaeli extructum est: Ita, ut *Sigebertus* narrat, sub Childeberto Francorum Rege Archangelus Michael Autberto Abrincatensi Episcopo apparens monuit eum semel atq; iterum, ut in loco maris qui propter eminentiam Tumba vocabatur, Ecclesiam in memoriam sui funderet, volentis talem venerationem sibi exhiberi in pelago qualis exhiberetur sibi in monte Gargano, Interim taurus â leone furtim raptus in illo loco religatur, Unde episcopus tertio admonitus ut in illo loco fundamenta jaceret, ubi taurum religatum inveniret, & sicut eam terram pedibus protriviſſe videret, sic Ecclesiæ ambitum duceret, Ecclesiam in honorem S. Michaelis constituit, & ex hoc tempore, sicut in monte Gargano, ita etiam illo in loco, quod modo dicitur in periculo maris, veneratio

Archan-

Archangeli cæpit frequentari: Unde opinor constare, quando & quomodo contra Dei mandatum & Ecclesiæ purioris exemplum in Ecclesiam irrumpere cæperit Mos Angelis & Sanctis templa erigendi: Perstat verò è dictis Conclusio nostra quæ hæc esse debebat: E. Angelis absq; Idololatria templa erigi & consecrari non possunt.

Punctum Quartum

ubi quæritur,

An per Angelos jurare liceat, idq; absq; crimine idololatriæ?

VIII.

Antequam quicquam dicam, observo, posse jurari per Angelos, vel 1. ut testes, judices & vindices veritatis & mendacij, vel 2. ut chara pignora; quæ nostræ in Angelos dilectionis contestandæ ergo Deo vindici judicij; quasi interponamus, eoq; demonstremus quam serio rem agamus, quomodo Joseph per vitam Pharaonis *Gen. 42. 15.* Hanna per vitam Eli, *1. Sam. 1. 26.* olim Christiani per salutem Imperatorum jurabant, cum per genium nollent, vel 3. ut vades & obsides quos Deo tanquam vindici quasi oppignoremus & devoveamus si fallamus, quomodo David & Paulus, *Ps. 7. 6. 2. Cor. 1. 25.* animam obsidem ponunt, & ille apud Virg. caput suum, *Per caput hoc juro*: Ex his ultimus modus jurandi per Angelos est impius, quia penes nos non est, Angelos qui in nostra potestate non sunt, Deo quasi pignoris & obsidis loco deponere & diris devovere: Primus est insuper, ut ex dicendis constabit, Idololatricus: Si autem medio isto modo jurare sese, & Angelos non ut veritatis testes & vindices, sed ut chara pignora, contestandi in eos affectus causa proferre sese profiterentur Pontificij, ut esset sensus: Per Angelos juro: h.e. Quam mihi chari sunt Angeli, So lieb mir die Engel GOttes seyn/ tam verè hoc assero, excusari aliquo modo & ab Idololatria absolvi possent: Quia tamen nondum constat,

ita â quoquam Pontificiorum formulam illam jurandi per Angelos explicatam esse, constat verò juramentum illud per Angelos in speciem cultus Angelici ab illis præstari, merito â nostris accusantur: Nam jurare est actus latriæ soli vero & æterno Deo debitus. Est enim *disertum Dei mandatum* ut per nomen ipsius juremus (eo prorsus modo sicuti ipsum timere ipsiq; servire jubemur, quod genq; cultq; sibi soli deferri vult) *Deut. 6. 13. c. 10. 20. Ex. 23. 13 Jos. 23. 7. Es. 45. 24 c 65 16. Zephan 1. 5 Rom. 14. 12.* quomodo & culpantur qui jurant בְּלֹא אֱלֹהִים ἐν τοῖς οὐκ οὖσιν θεοῖς *Jerem. 5. 7.* Unde factum ut juramentum quandoq; συνεκδοχικῶς notaret universum Dei cultum sive λατρείαν *Es. 19. 18. c. 43 23. c. 48. 1. Os. 4. 15. Jerem. 12. 16.* Est 2. *rotundum Christi* (ut & Jacobi) *effatum* ne per creaturas per cœlum per terram &c: & sic neq; per Angelos juremus, *Matth. 5. 34. c. 23. 16.* seqq. *Jac. 5 12.* eo quod incaute & indirecte, quatenus h.m. jurant, Deum juramenti assertorem & vindicem sibi statuunt, ad quem jurandi cultus & actus propriè spectat: *Quicunq; juraverit in templo* ait Christus, *Matth. 23. 21 22. jurat in illo & in eo qui habitat in ipso, & qui jurat in cælo jurat in throno Dei, & in eo qui sedet super eum*, Ubi Christus non assertivè quidem Judæorum juramenta probat, ex abundanti tamen & ex hypothesi Judæos redarguit, eos non minus Deum juramenti judicem & vindicem habere, etsi Dei nomen tacitè supprimant, & per creaturas jurent, quia ut ait *Alensis*, jurare per creaturam est creatorem ejus testem veritatis adducere, quæ actio jurandi ad Deum solum spectat. Est 3. *Juramenti proprium*, ut illum per quem juramus, tanquam testem judicem & vindicem veritatis aut mendacij invocemus, illiq; deferamq; honorem *veritatis* infallibilis, qui mentiri non possit, *omniscientiæ*, qui secreta cordis scrutari & scire possit, num verè an falsò asseramus, quæ juramento firmare volumus, *Omnipotentiæ*, qui ultor & vindex esse possit si fallamus, *Justitiæ*, qui impunitos nos ubi perjuri facti fuerimus dimittere nolit. Quæ attributa hoc nexu juncta in nemine absq; latriæ cultu agnosci possunt. Est 4. *Sanctorum exemplum*, qui per Deum vivum, nusquam v. per Angelos juravisse leguntur, Abraham per Deum

Gen. 21.

Gen. 21. 23. per Dominum Deum excelsum possessorem cœli & terræ *Gen. 14. 22.* Jacob בְּפַחַד אָבִיו per pavorem patris sui, *Gen. 31. 53.* h.e. non ut alij explicant, per Angelum, qui Jacobo apparere solitus sit, sed per solum verum Deum qui erat timor Isaac, *Gen. 31. 42.* terror & pavor Israelis, *Es. 8. 13.* quiq; solus timendus super omnia, atq; colendus est juravit: Saul (quamvis illum inter Sanctos non numerem) per Dominum *1. Sam. 19. 6. c. 28. 10.* David per Deum *1. Sam. 30. 15.* per Dominum Deum Israel. *1. Reg. 1. 29.* Job per Dominum *Job. 27. 2.* Elias per Dominum Deum Israel, *1. Reg. 17. 1.* per Dominum Exercituum, *c. 18. 15.* Servus Abrahæ per Deum cœli & terræ positis subter femur manibus, Gen. 24. 2. jurarunt. A qua tamen primæva jurandi consuetudine successu temporis itum est in pejus & non amplius per Deum tantum sed & per creaturas, imò verò & per Idola, jurari cœptum, quemodo de Judæis quæritur *Amos c. 8. 14.* quod jurarint *per delictum Samariæ* h.e. per vitulum, qui â Jeroboam rege erectus & cultus gratia prostitutus est in Dan & Bethel, *2. Reg 12. 28 29.* de quo forte suo loco. Est 5. *Adversariorum* quoq; *pronunciatum*, quod jurare sit actus λατρείας soli Deo competens: *Catechismus Romanus*: Jurare est Deum testem invocare quacunq; verborum forma & conceptione id fiat: *Becan. Manual Controv. l. 4. c. 5.* Iurare nihil est aliud, quam Deum qui falli & mentiri non potest in testem invocare. *Gregor. de Valent. d. 6. tom. 3. q. 7. p. 3.* Per quem juratur contingit juramentum non esse licitum, sed peccatum mortale. Si quis juret per falsos Deos invocando videlicet testimonium Dei falsi h.e. creaturæ tanquam infallibile, *Thomas 2. 2. q. 89. a. 1.* Juramentum est invocatio divini testimonij ad faciendam fidem &c: Est quoq; 6. *Patrum* veterum: *Clemens* Jusjurandum *ait* est Confessio definitiva cum divina assumtione: *Nazianzenus*; Jusjurandum est fidei certificatio quæ fit interposito Deo: *Augustinus*: Jurare est Deum testari: &c: Est quoq; 7. *Aliorum*: *Alciatus*: Juramentum est dictum Deo auctore vel per religionis attestationem affirmatum: *Philo Iudæus*: ὅρκος ἀνομάσθη τὸ πίστεως βεβαιοῦσθαι σύμ-

βολον μαρτυρίαν θεοῦ περιεχόσης: Et alibi: ὁρκος δὲ μαρτυρία θεὸς περὶ πράγματος ἀμφισβητουμένου: Aristoteles: ὅρκος δὲ μετὰ θείας προσλήψεως φάσις ἀναπόδακτος. Cicero: Jusjurandum est affirmatio religiosa Deo adhibito teste. Quid ergo inde aliud liceat colligere quam illud: Latria est soli Deo, competens cultus qui Angelo absq; ἀγγελολατρείᾳ deferri non potest: Jurare vero est latria, E.

IX.

At dicent; Jurare per Creaturam (Angelum) non secundum se, sed ut in ea relucet perfectio divina non esse illicitum, cum id sit revera jurare per Deum verum, ut relucentem in creatura: ut ait *Valent. cit. l.* Quæ post Thomam communis Scholasticorum opinio est: Unde *Turrecremata* asserit per omnem creaturam posse jurari, utpote in qua saltem reluceat aliquod Dei vestigium: *Maldonatus* verò paulo audacior non erubescit scribere, Cœlo & terræ deberi honorem religiosum quia sunt aliquid Dei: Quisi penes ipsum sit, ab Idololatria absolvet illos, qui

Quicquid humus, pelagus, cœlum mirabile signant,
Id dixere Deos, colles, freta flumina flammas;

Absolvet illos, quibus

Porrum & cæpe nefas violare & frangere morsu,
---- ---- ---- quibus hæc nascuntur in hortis
Numina!

Absolvet illos, quorum *--- --- --- crocodilum adorat*
Pars hæc, illa pavet Satyram serpentibus Ibyn:

Quid enim! sunt aliquid Dei, possunt ergo juxta *Maldonat.* coli religiosè: Imo verò nil erit in hac universi mundi rerumq; machinâ, quod per Maldonati indulgentiam, qui lubenter Dei gloriam dat alteri, religiosè coli non possit; Verùm falsa est hypothesis: non enim quævis perfectio divina, prout est in creaturis, effectivè manans à perfectione quæ est in Deo, est ratio objectiva aut juramenti aut religiosi cultus, sed perfectio increata, quæ vel formaliter vel virtualiter continet perfectiones rerum creatarum.

PUN.

Punctum Quintum

ubi quæritur

An Angeli sciant absolutè omnia cordis cogita & Secreta?

Et, An Angelis illud absq; Idololatria vendicari possit?

X.

Negatur utrumq;: præmitto tamen I. *Angelum cogitationes mentis á posteriori ex signis exterioribus animi proditoribus*, studijs, inclinatione, complexione, dispositione, conjecturari multoq; exactius & sagacius quam hominum ullus unquam poterit, *cognoscere posse*: Idq; certum arbitror: II. *Angelum cogitationes pias*, si quas mentibus nostris indat (sicut & Diabolus instillare potest malas, Luc. 22.3 Joh.13.2 & mentes excæcare, 2.Cor.4.4 & impedire nere sipiscant, 2.Tim.2.26 quæ ipse cogitata novit optimè) *scire posse*: III. *Angelis nota esse quæ in his terris geruntur* prout & quatenq; Deo placet, quorum Se. ministerio ad suos tutandos & exercenda adversus hostes judicia teste ubiq; historia sacra utitur, quiq; apud Deũ benefactis & pœnitentiâ lætantur, Luc.15.10. & malefactis suo quodam modo offenduntur. IV. *Angelum certò & intuitivè per naturam non cognoscere cogitationes* alterius actu existentes, idq; communiter sentiunt pontificij, *Becan. Th. Sch. tr. 3 c. 1. q. 10.* quia creaturæ non potest esse naturalis aliqua species intelligibilis, quæ repræsentet mentis cogitationes ut disputant *Cajet. Bonav. Richard. Gregor.* & *Conimbricain 3 l. de An. q. 5. a. 2. Becan. c. l. Valentia.* & alij qui in Thomam sunt commentati: Est quidem hic aliquod inter istos fratres dissidium: Nam *Durand.* statuit cogitata mentis interiora quæ ex libero hominis arbitrio pendent, certo & ut sunt in se ipsis ab Angelo posse cognosci naturaliter, qui tamen ut *ait Valent. tom. 1. in Thom. q. 8. p. 4.* non est audiendus: *Scotus, Occam, Gabriel*, censent habere quidem Angelos facultatem naturalem cognoscendi ejusmodi cogitationes & affectiones;

non

non posse tamen actu cognoscere, quia Deus non vult concurrere. *Mendoza d. 12. sect. 4.* ait secreta cordis non cognosci naturaliter ob defectum voluntatis ejus qui ea habet, quia id oritur ex dominio agentis liberi in suos actus: *De Raconis p. 5. tr. 2. a. 2.* asserit, Angelos nõ cognoscere mentis & voluntatis arcana ante directionẽ aut quia ante|speciebus carebant, aut quia Deo cũ illis non cõcurrebat, posse tamẽ naturaliter: *Ægidio Rom.* voluit cognosci naturaliter ab Angelo cogitationes & affectiones in communi, id est, num aliquis de homine cogitet, aut hominem amet vel odio prosequatur; non tamẽ in particulari utrum Petrum vel Johannẽ. *Thomas Argent.* asseruit cognosci ab Angelo naturaliter cogitationes quoad apprehensionem simplicem, licet non quoad assensum vel dissensum, nempe cognoscere Angelum quid homo mente concipiat, licet non, utrum affirmet vel neget: *Henricus* statuit cognosci ab Angelo naturaliter cogitationes & affectiones quo ad substantiam illarum, licet non quo ad ipsarum finem ex quo præcipuè habent bonitatem vel malitiam: *Herveus* contendit cognosci cogitationes & affectiones naturaliter ab Angelo, licet non quo ad morales circumstantias: Has tamen opiniones plerasq; falsas esse statuunt Jesuitæ moderni qui Thomæ sectatores esse volunt, Qui vero Scotum sequuntur, in eo consentiunt, quod Angelus actu non cognoscat cogitata cordis per naturam suam, h. e. absq; revelatione. Unde & *Bellarm.* Nec Angeli *ait*, nec beatæ animæ, etiamsi præsentes sint, possunt cognoscere naturaliter preces nostras, quando sola cogitatione oramus.

XI.

Hisce vero præmissis quæ in hanc rem probè observanda sunt, thesin explicatius ita propono: *Angelus notitia certa & intuitivâ sive naturalis sit sive revelata, cogitata & secreta cordis ut sunt in sese ipsis, nec sese exterius produnt, neq; scit, neq; scire debet*: Nam 1. aut scirent per naturam aut per revelationem: Non per naturam, ut mihi Pontificij, quod spero, largientur. neq; per revelationem, quia de illâ ne apex quidem in sacris literis, sed altissimum silen-

silentium: Unde ergo sciunt Jesuitæ, quod Angeli sciant gemitus cordium, quos tamen hac in re, modo Angelos religiosè velint invocate, oportebat esse certos: Qui enim religiosè invocandus est, illum oportet esse actu omniscium, & omnium omnino qui eum invocant, cordium omnes motus & cogitationes secretissimas scire, quæ sunt, fuêre, & futuræ sunt: Ut enim neq; est neq; erit temporis momentum, quo non sint homines religiosi, qui preces fundant, ita quoq; necesse est eum ad quem funduntur, hæc omnia novisse & semper indesinenterq; orantium gemitus audire: Sic v. g. passim locorum apud Papicolas sunt Oratoria S. Michaelis, hic sane Micahelem (nisi forte Monachi in orando desides esse velint) oportet simul & semel omnium per orbem dispersorum gemitus cognoscere, & sese invocantium preces audire, nisi irritæ & vanæ esse debeant. At verò, unde constet, Michaelem tali καρδιογνωσία præditum esse, Pontificij edisserant, & adstipulabimur illis. II. Solius veri & æterni Dei proprium est, esse καρδιογνώστην & cordium scrutatorem qui cor intuetur *1. Sam. 16. 7.* corda solus novit, *1. Reg. 8. 39. 2. Par. 6. 30.* corda scrutatur & figmentum omne cogitationum intelligit, *1. Par. 28. 9.* corda scrutatur & renes, *Ps. 7. 10. Ap. 2. 23.* novit abscondita cordis nostri, *Jer. 11. 26.* corda scrutatur, & probat renes *Jer. 17. 10.* qui est renum, testis & cordis scrutator *Sap. 1. 6.* qui videt ἐν τῷ κρυπτῷ, *Matth. 6. 4.* scrutatur corda, *Rom. 8. 17.* coram quo est desiderium nostrum, & à quo suspirium nostrum non est absconditum, *Ps. 38. 10.* Idq; non tribuitur Deo solum secundum quid, quasi naturaliter ex propria virtute Deus hæc cognoscat, Angeli verò possint habere aliunde, sed absolutè, simpliciter, & in oppositione ad creaturas, ita quidem, ut ex illa καρδιογνωσία scriptura inferat cultum latrias, unumq; subinde cum alio connectat. *Unde ita:* Quod in S.S. absolutè & sine limitatione ulla soli Deo tribuitur, illud cum limitatione certoq; respectu creaturis extra Deum absq; Idololatriâ tribui non potest: Absolutè enim alicui soli competere & tamen non absolutè competere, sine limitatione & exceptione alicui soli tribuere, & tamen cum limitatione tribuere

repugnant. Atqui scriptura καρδιογνωσίαν soli Deo absolutè sine limitatione & exceptione vendicat, ita quidem ut creaturas extra Deum absolutè & simpliciter excludat. Dicta hæc *ait Valent.* loquuntur simpliciter, & absq; ullius modi exceptione probant, eam cognitionem esse omnibus modis Dei propriam, E. III. Ex hoc (ex cognitione secretorum cordis) ait *De Racon. almæ facultatis Theologicæ Parisiensis Doctor Navarricus, Concionator & Eleemosinarius Regius*, Patres divinitatem Christi domini semper probarunt contra hæreticos, illam negantes, quod Pharisæorum cogitationes actu existentes perspexerit, quod sane nullius esset efficaciæ, si hæc cognitio cogitationum præsentium & existentium esset communis Angelis: *Valentia:* Uti, dixi, *ait*, Scriptura & Patres plane indicant, cognitionem certam hujusmodi cogitationum & affectionum esse omnibus modis Dei propriam: *Becanus*, Patres docent, *inquit*, præcipuum testimonium Divinitatis Christi fuisse quod cognoverit cogitationes Pharisæorum non modo futuras sed etiam præsentes: *Quod* si est, sane non argumentum solum pro Christi deitate enervant, sed & Angelolatræ sunt & gloriam soli Deo debitam alteri tribuunt, qui Angelos volunt esse scrutatores cordium. IV. Ad cognoscendas preces *ait Bellarm. l. 1. de Beat. S. c. 20.* quæ eodem tempore fiunt in diversimodis locis non sufficit celeritas sed requiritur vera ubiquitas, quam nec Angelorum nec hominum spiritibus convenire credimus. Credat ergo & hoc Bellarm. necesse est, quod Angeli preces nostras non cognoscant, quia simul & semel omnibus locis adesse non possunt: Ubiq; v. g. non potest esse Gabriel aut Michael, & quidem simul & semel ijs in locis ubi colitur & invocatur: E & preces quæ ad illum funduntur, omnes simul & semel cognoscere nequit: Aut si cognoscit, veram ubiquitatem Michaeli v.g. assignabunt Jesuitæ, quam tamen soli Deo vendicat Scriptura: Quæ de speculo Trinitatis nugantur & speculantur Monachi, videbuntur suo loco.

Punctum

Punctum Sextum

ubi quæritur

An Angelus mirâ quadam naturæ celeritate sit ubiq;, ut possit audire preces suorum supplicum? Et, An is qui Angelis hoc ipsum tribuit sit Angelolatra?

XII.

Rectè dicitur I. *Angelos nostri curam gerere*, & nobis semper adesse, & ut SS. ait castra metari circa nos *Ps. 34. 8.* & custodire nos in vijs nostris Ps. 91. 11 Sunt enim Sp. ministratorij, qui ministerij causa emittuntur propter hæredes salutis, Eb. 1. 17. II. *Angelos mira celeritate moveri*, & locorum distantia, aut corporũ interjectione non impediri quo minus nobis adesse possint: Omnis enim Spiritus ut *Tertull. ait*, ales est, momento ubicunq; vult adest. Quamvis meum non sit hic disquirere an motus Angeli sit Instantaneus an successivus, Dicendum tamen *putat Valentia* nullum motum Angeli localem neq; continuum neq; discretum esse in instanti sed in tempore, id est, in duratione aliqua successiva: III. *Angelum non posse esse naturaliter in omnibus locis* adæquatis & discretis, quia ut ait *Becan.* finitam & determinatam perfectionem habet, finitum itaq; & determinatum spatium excedere non potest; Certum est, *ait Valentia*, unumquemq; Angelum ita esse in loco ut tamen non sit ubiq; locorum sicut Deus, sed â loco definiatur majore vel minore prout quisq; Angelus est magis aut minus perfectus. Per istud accidens (Ubietatem) *ait De Raconis*, Angeli ita redduntur præsentes tali spatio ut vi illius præsentiæ alibi esse non possint. Eoq; nomine temeritatis notatur â Jesuitis *Durandus*, quod substantiam Angeli ubiq; præsen-

tem posuisse videtur, quamvis sub finem quæstionis non tam asserendo quam inquirendo sese disputasse fateatur. Hæc ergo sunt certa: Quia tamen Pontificij Angelos invocandos esse credunt, quæritur, *An talis ipsis tribui possit Omnipræsentia, quæ ad invocationem religiosam est necessaria*, Sive: *An ita nobis præsentes sint, ut simul & semel omnibus ijs locis adsint ubi religiosè invocantur?* Nostrum est ut negemus: I. Quia per naturam non competit Angelis talis modus adessendi simul & semel pluribus locis ut fatentur Pontificij, Neq; per gratiam, aut gloriam, quia de tali gratia è SS. nihil omnino constat, è qua tamen unicè hujus rei oportebat nos esse certos. Non enim aliunde quam ex revelatione Dei in scripturis facta de Angelorum gratia & gloria sapere convenit. II. Ubiq; præsentem esse juxta scripturas uni soli æterno Deo competit, *Ios. 2. 11. 1 Reg. 8. 27. Job. 11. 8. 9. Ps. 91. 15. Ps. 139. 7. seqq. Es. 55. 6. Act. 7. 49. Jer. 23. 23. 24. Am. 9. 2. Sap. 1. 7. Matt. 18. 20. Act. 17. 27.* & quidem ita ut per illud attributum â Dijs fictitijs & creaturis extra Deum distinguatur, proindeq; illis omnibus quæ extra Deum sunt, derogetur, Unde & *Bellarm.* ex omnipræsentia divinitatem filij & Sp. S. astruit *l. 1. de Chr. c. 8. & 13.* quod, nisi omnipræsentia soli Deo competeret, nervos non haberet. Cum ergo (*subnectit idem*) Patres rectè probarint ex Ubiquitate Sp. S. esse Deum, manifestè sequitur soli Deo convenire verè esse ubiq; nec id esse per gratiam communicatum ulli creaturæ (illi quæ est extra DEUM, Nam de humana Christi natura in ὑπόστασιν τοῦ λόγου evecta res sese secus habet) *Quod* ergo cum ita sit, Jesuitæ viderint, quotquot ubiquitatem istam Angelorum tuentur & credunt, quomodo quod solius Dei est, absq; Idololatria Angelis tribuere possint. Solus Durandus, ait *De Raconis*, hoc in dubium revocasse & Angelum ubiq; præsentem posuisse videtur: At verò si Michael v. g. est ubiq; invocandus, Ubiq; præsens sit necesse est, quia, ut *Bellarm. ait*, ad cognoscendas preces quæ eodem tempore fiunt in diversimodis locis requiritur vera Ubiquitas: Et sic non solus Durandus sed omnes Jesuitæ (licet alio modo) illud fateri necesse habent. III. Angeli modo in cœlos ascendunt, modo inde ad nos descendunt, *Gen.*

28. 12.

28. 12. Joh. 1. 51. & emittuntur ad ministerium nostrum, *Eb. 1. 14.* πάντες εἰσὶν λειτουργικὰ πνεύματα εἰς διακονίαν ἀποστελλόμενα διὰ τοὺς μέλλοντας κληρονομεῖν σωτηρίαν ut *Damasc.* ait l. 2. de O. F. c. 3. non ergo sunt ubiq; præsentes, ita ut simul & semel audire possint omnibus in locis preces suorum supplicum.

Punctum Septimum
ubi quæritur
An Angeli DEO offerant preces nostras?
Et, An is qui Angelis hoc tribuit sit ἀγγελολάτρης?

XIII.

Hic præmonendum I. *Angelos pro nobis sollicitos esse*, & nostri curam gerere exequendo Dei decreta & mandata, quæ ad nostram salutem faciunt, Ideo enim sunt *Angeli*, & λειτουργικὰ πνεύματα. Ebr. 1. ult. In quam partem scripturæ exemplis plenæ sunt: II. Juxta quosdam, *Angelos quoq; curam nostri gerere apud Deum, sollicitationibus* & intercessionibus salutem nostram procurando: Ita enim *Athanas.* sive quis alius est autor l. *de comm. essent. Patris Filij & Spiritus Sancti.* Quodnam est opus cœlestium potestatum? Hymnus nunquam remittens & amor nunquam cessans divinæ majestatis, forsan etiam preces assiduæ pro nostra salute: Ita & *Confessio VVirtemb.* Angelos *ait* pro salute nostra cælesti quodam modo ingemiscere; Ita *Apol. Aug. Confess. c. de Invoc. S. p. 224.* largimur *ait* quod Angeli pro nobis orent: Et *Artic. Smalc. c. de Inv. Sanct. p. 310.* Etsi Angeli in cœlis pro nobis orent & Sancti in terris, & fortasse etiam in cœlis, tamen inde non sequitur Angelos & Sanctos â nobis esse invocandos &c. Quod tamen ut indubitatum fidei articulum urgere non habeo, quia nusquam Angeli in SS. ut curam nostri apud Deum sollicitando orandoq; gerentes de-

scribuntur. Etsi interim id præfractè non nego, quod ut apodicticum non affirmo. III. *Pios quosdam doctores cum B. Chemnitio* tom. 1. loc. de Creat. p. 146. *inter Angelorum officia recensere quod preces nostras Deo offerant*, Unde versus illi, quos *Joh. Rivius l. de præsid. Angel.* ex vetusto Poeta recenset:

Hi nunc quod rectum mortalia corda precantur
Concipiunt digni Sancto quod pectore votis
Quicquid larga manus collectis spargit egenis
Excipiunt, sanctoq; ferunt super astra volatu.

Verum illi oblationem precum ἱερικὴν & simplicem, non verò oblationem ἱλαστικὴν & meritoriam, quæ Deo preces nostras ratas & gratas faciat, intelligi volunt, quam si quoq; papicolæ unicè intellectam velint non magnopere nos habebunt adversantes.

XIV.

Hoc supposito pro nostra assertione hunc Syllogismum pono: Juxta S. preces Deo ἱλαστικῶς offerre est solius Christi Mediatoris proprium: Absq; Idololatriâ ergo Angelis tribui non potest: Ad probationem antecedentis advertendum, Preces nostras juxta SS. Deo offerri non modo terrestri & ἱερικῶς quomodo Principi v.g. per ministros offeruntur preces supplicum, qui nisi moneant, instent, urgeant, exponant, quibus opus habent subditi, non intelligunt Principes, aut licet intelligant obliviscuntur tamen, nisi sæpius memoriæ refricent: Sunt enim aut rerum imperiti, aut plerumq; obliviosi, ideo opp habent ministris, qui inculcent & offerant necessitates suorum subditorum: Ideo ad Regem *ut ait Ambros.* per tribunos aut Comites itur, quia homo utiq; est Rex, & nescit quibus debeat Remp, credere: Ad Deum autem quem utiq; nihil latet, omnium enim merita novit, promerendum suffragatore opus non est, neq; enim ignarus est nostri aut oblivioſus ut intercessore indigeat: Sed modo cœlesti & ἱλαστικῶς quæ oblatio cum speciali complacentia est conjuncta, ita ut Deus acceptas habeat preces, neq; frustra fundi patiatur sed exaudiat, ipso illo, qui eas offert interceden-

cedente & mediante, & propter intercessionem ejusdem. Unde in *Actis c. 10. 4.* cum Angelus dixisset preces tuæ *ascenderunt* in memoriam coram Deo, h.e. receptæ sunt, *id ejusd. c. v. 31.* repetit sub his verbis, *exauditæ* sunt preces &c. Inter offerre ergo & recipere preces sive exaudire est relatio, & tum demum offerri dicuntur Domino, cum ab ipso exaudiuntur, sive, ut Angelus ait, in memoriam ascendunt coram Domino: Et hac oblatione meritoriâ omnino apud Deum opus habemus, qui naturâ sumus peccatores & filij iræ, *Eph. 2. 3.*

XV.

Eo autem modo & ἱλαστικῶς preces nostras DEO offert solus Christus: Nam: 1. Is solus potest Deo preces offerre, qui nos tanquâ inimicos Deo potest reconciliare & pro peccatis nostris satisfacere, & ita nobis & precibus nostris aditum facere ad Deum: Nõ enim placent Deo preces nostræ, nisi persona Deo sit reconciliata, Qui ergo hominem DEO reconciliat hominis quoq; preces DEO gratas reddit, At solius Christi non cujusquam Angeli est hominẽ Deo reconcilare & pro ejus peccatis satisfacere; Est enim solus Mediator, *1. Tim. 2. 5.* quia *ut ait Hessel. Lovan.* Deũ hominib9 reconciliat, placando eum super peccatis commissis, & impetrando nobis Sp. obedientiæ, quo deinceps placeamus Deo: Est ille qui sanguine suo reconciliat omnia quæ in terra & quæ in cœlis, Col. 1. 20. &c. Ergo. II. Is solus potest Deo preces offerre qui potest sordes earum atq; impuritates abluere, imperfectionem tegere, & sua perfectione meritoq; supplere, & ita Deo gratas & acceptas facere: Naturâ enim sumus omnes nos immundi, *Es. 64. 4.* & peccatores, *Rom. 3. 23.* â Deo divisi, *Es. 59. 2.* At solius Christi est sordes precum abluere, cuj9 solum est nos â peccatis lavare, *Ap 1. 5. Eb. 1. 3. & 9. 12. 1. Joh. 1. 7. &c.* Ergo. III. Is solus potest Deo preces offerre & ratas facere, qui est Sacerdos noster: Solius enim Sacerdotis in V. T. erat offerre suffitum Deo, *Ex. 30. 7.* eoq; nomine graviter prævaricatus erat Ozias cum accederet ad altare suffitus & adoleret super ipso, cui obstitere Sacerdotes Jehovæ, quod non esset ipsius adolere Jehovæ, sed sacerdotum filiorum Aaron, *2. Chron. 26 17. seqq.* At quod ibi in figura est adumbratum, in Christo est impletum, qui est Sacerdos in æternum, *Ps. 110. 4. Eb. 7, 25.* Pontifex Magnus

Magnus, *Eb. 4. 14.* Pontifex secundum ordinem Melchisedech, *Eb. 6. 20.* perpetuum habens Sacerdotium, unde & servare potest eos qui per ipsum accedunt ad Deum semper vivens ut interpellet pro ijs, *Eb. 7. 25.* per quem offerimus Deo sacrificium laudis, *Eb. 13. 15.* per quem habemus accessum, *Rom. 5. 2 Eph. 2. 18* qui est ad dextram Patris & interpellat pro nobis, *Rom. 8. 33.* qui in cœlum introivit ut appareat vultui Dei pro nobis, *Eb. 9. 24.* & cui proinde soli competit suffitus orationis nostræ, Ps. 141. 2. Deo offerre, & meritorum suorum igne frigus nostrum temperare: IV. *Apoc. 8. 3.* legitur Angelus alius venisse & stetisse ante altare habens thuribulum aureum, cui dati sunt suffitus multi, ut offerret cum precibus Sanctorum omnium super altare aureum &c. Lyra hunc Angelum ait esse Damasum Papam, cujus sit referre devotionem populi in Deum, quoniam caput sit Universalis Ecclesiæ: *Carthusianus* Michaelem, qui ut præses Angelorum & Ecclesiæ preces offerat Deo: *Aretas, & alij* è Papicolis, Angelos qui nobis præsident, â quibus ajunt preces Deo offerri: *Sunt* qui Constant. M. intelligant, qui in negotio religionis & Synado Nicena hoc ipsum quod hic adumbratur peregerit: *Nos* Christum Magni consilij Angelum: tum quia proponitur ut Sacerdos, qui ad altare accedat & offerat &c: qui in N. T. non est nisi Christus: tum quia gratas reddit Deo preces nostras, tum quia universæ Ecclesiæ incensa h. e. preces Deo offert: Unde *Blasius Viegas in h. l.* Hunc *inquit*, Angelum esse Christum plerique; Interpretes confitentur: Neq; enim alteri aptè accommodari possunt, quæ h. l. ponuntur, Cujus enim alterius est, Universæ Ecclesiæ incensa h. e. Orationes in thuribulo aureo tanta majestatis specie Deo offerre? Cujus est præterquam Christi de igne, quo thuribulum aureum erat impletum, partem in terram misisse, eosq; divini amoris igne & ignitis Sp. S. donis inflammare?

DEO soli, Angelorum creatori, Laus & Gloria.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958736/phys_0102
DFG

ביהוה

De Idololatria
Disputatio IV.

Quæ est

DE ANGELOLATRIA
Tertia
Punctum IIX.

An Angeli religiosè sint invocandi? Et,

An is, qui religiosè invocat sit ἀγγελολάτρης?

I.

DE *religiosâ invocatione* quæstio erit, an Angelis jure meritoq; deferatur? Pro eâ fervide hactenus in Monachorum & Jesuitarum claustris concertatum est, & susq; deq; habiti, imo etiam proscripti Catholici, quos hæreticos illi vocant, quod Angelis honorem illum præstare extra scripturas non sunt ausi. Antequam vero firmetur ὀρθοδοξία nostra contra Jesuiticos insultus, distinguendum primo est τὸ ζητούμενον & eruenda nominis notio, in qua, prout nempe tractaveris, τὸ ἀληθέυειν καὶ ψεύδεσθαι ὑπάρχει. Resp. NATHAN CUNOV. Stargard. Pomer.

II.

INVOCARE Vox πολύσημος, præterquam quod profanis autoribus sit quoque, *non vocare*, unde illud Ciceronis, *Ego simulatq; audivi* invocatus *ad subsellia rei occurro*, l. 8. famil: item *intra vocare*, unde Plautinum illud, *Scorta invocantur*, in Scripturis & vulgato præcipue interpreti est I. *Vocare, advocare, inclamare*, ut in illo Ps. 42. 8. ἄβυσσος ἄβυσσον ἐπικαλεῖται, abyssus abyssum

sum *invocat*, ut Vulgat. habet, h. e. ut Vatabl. legit, *vorago voraginem advocat*, sive ut Tremell. *abyssus abyssum inclamat*, sive ut Gilbertus Cognatus explicat, *calamitas aliam semper vocat calamitatem*, ac velut unda supervenit undæ, & vorago voragini, ita calamitates aliæ post alias succedunt, Fortuna enim obesse nulli contenta est semel. Nullum infortunium solum.

III.

Est II. *Denominare ab alio, alicujus nomine vocare*, in proprietatem, possessionem, familiam accensere, præcipuè in phrasi vulgatæ versionis, *Invocare nomen alicujus super aliquem*. Hebræi enim, ut Flacius monet, *non habebant alia cognomina sicut nec Græci, quam ut ad proprium nomen filij patris nomen adjicerent*, adeoq; *solebant cognomen alicujus exprimere adjecto tantum patris nomine*, ut Saul filius Cis, David filius Jesse, Jesus filius David, Aristoteles filius Nicomachi, Xenophon filius Grylli &c. Invocatur ergo nomen patris v.g. super filium, prout loquitur vulgatus Interpp. cum filius à patre denominatur, aut aliquis in filiorum numerum refertur, hujusq; filius aut illius censetur, Uti v. g. Jacob filios Josephi suis eodem gradu accensens, *invocetur*, ait, *nomen meũ super eos Gen. 48. 16.* h. e. ut Vatabl. rectius vertit, *vocetur in eis nomen meum, posthac dicantur filij mei & majorum meorum*, sive ut Cornel. h. l. *vocentur filii mei & consequenter filii Isaci & Abrahæ*, sive ut Lyranus exponit, hic est sensus, quod *vocati sunt filij adoptivi Jacob, & facti sunt capita duarum tribuum, sicut alii*, ut innuitur etiam v. 5. 6. Idq; ut ait Gaspar Sanctius in Es. c. 4. *Hebreis usitatum est, ut à parentibus filij, & à viris uxores nominentur, vel potius in filijs & uxoribus parentum & virorum nomina invocentur, Hoc enim*, ut itidem ait Cornel. à Lapid. *significat invocare nomen alicujus super aliquem, ut cum dicitur, nomen tuum invocatum est super nos, sensus est nos vocamur tuo nomine, vocamur tui filii, tuus populus*. Risum ergo potius quam refutationem merentur, qui cum *Eccio* ex verbis illis Jacobi *Gen. 48. 16.* Sanctorum invocationem nescio quam destillare atq; elicere volunt, cujus artificij pudere merito debuisset illum, qui Ennii verbo videri voluit is, in quo molta jacent antiqua sepolta, *Alphons. Salmeron. tom. 15. oper. d. 7. in 1. Tim. 2.* ipsumq;

psumq; ut videtur *Bellarm. l. 1. de Beat. S. c. 20.* Aliter enim fieri non potest, quos fames vexat. ij è flamma quoq; victum quæritant. Cautius tamen paulo visus est mercari Valentia, *qui*, ait, *se non valde pugnare velle, nec se quod ad rem attinet, ex illo loco probare voluisse invocationem Sanctorum, quia non penitus certum habeat, utrum patres V.T. jam vitâ functi exaudirent vivorum preces cum non essent adhuc beati*, l. 3. de Idol. c. 7. Veritas id extorsit Valentiano, ut qui videre potuit distincta esse, *Invocare nomen alicujus*, quod in SS. est religiosè compellare, interpellare, implorare, Et, *Invocare*, vel potius vocare *nomen alicujus in aliquo*, aut super aliquem, quod est nomine alicujus vocare, filium, familiarem proprium facere, fierive ejus de cujus nomine dicitur. Sic v. g. in vulgata dicitur *Invocari nomen Dei super templum* 1. Reg. 8. 43. 2. Chron. 6. 33 Jer. 34. 15. *super arcam* 1. Chron. 13. 6. 2. Sam. 6. 2. *super civitatem* Dan. 9. 18. *super credentes* Jerem. 14. 9. c. 15. 16. quia templum *domus Dei* est 1. Reg. 3. 1. &c: & *tabernaculum Deo Jacob consecratum*. Act. 7. 46. arca item *arca Dei & fœderis Dei* 1. Sam. 4. 3. 11. 1. Reg. 6. 19. Jerusalem *civitas Dei*, Deo peculiariter consecrata Ps. 47. 2. &c. credentes filij Dei, peculium Dei, qui *à nomine Dei nomen habent* Es. 43. 7. in scripturis appellantur. Ita dicitur *invocari nomen mariti super uxorem*, Es. 4. 1. quia uxor à viro tanquam capite cui subest, nomen mutuatur. Et hoc loquendi genus usurpatur quoq; in N.T. Act. 15. 17. Jac. 2. 7.

IV.

Est III. *Implorare, petere, in subsidium vocare*, quo sensu est apud Quintil. *invocare subsidium*, pro implorare, apud Ciceron. *Invocare advocatum, invocare sociorum subsidium* &c. cumprimis vero *implorare cum fiduciâ & religione*, idq; magis, ut videtur, ad vim vocis. *Invoco* enim, si Perotto creditur, *ad Deos refertur, adorando enim fere & sacrificando invocamus.* Augustino quoq; invocare est religioso cordis affectu in se in auxilium vocare, *Quomodo* inquit, *invocabo Deum meum, & Dominum meum? Quoniam ubiq; in me ipsum eum vocabo cum invocabo eum.* Hieronymo vel Bedæ potius proverb. l. 1. c. 2. invocare est in se orando vocare; *Nullum invocare*, ait autorille, *id est in nos orando vocare nisi Deum debemus.* Juxta

Thomam lect. 2. super Epist. ad Rom. c. 10. *Invocare est in se vocare per affectum & devotum cultum:* Juxta Pined. in c. 12. Job v. 4. *Invocare non solum est gratiam ineuntis opemq; postulantis sed judicii officium atq; jus implorantis.* Colonienſibus *invocare proprie & secundum magis communem scripturæ intellectum, est aliquem tanquam salutis primum & solum autorem appellare, & pro ope & auxilio sua virtute impartiendo interpellare.* Et sane si scripturas consulas, comperies ita sese rem habere: Invocare enim ibi cum vera fiducia & devotione subinde connectitur Rom. 10. 13. Ioel. 2. 32. Conf. 1. Reg 18. 24. seqq. Sap. 13. 19. c. 14. 1. Ion. 1. 5. 6. neq; uspiam de alia quam *divinâ* & religiosâ invocatione legitur nisi forte Es. 34. 12 Os. 7. 11. ubi tamen in priori versio est vitiosa, in posteriori vero item τὸ invocare in vitio positum est, ut nimium falsus sit Bellarm, qui *l. 1. de B. S. c. 19. §. propterea* ait in utroq; Testamento sæpe legi viventes à viventibus *invocatos:* compellatos forte fuisse legas, sed invocatos nuspiam, nisi forte iis duobus locis, qui tamen ad rem nil faciunt, Ioh. Gorop. Becan in Cimbrorum vocibus ut ipse vocat, Be. Bet. Been / mysteria quærit, &, ut solet in his talibus suo more vestigare, ait indicari, *quod solus Deus sit orandus & invocandus.* In Hermath. l. 6. p. 115. B, ait, *idonea erit litera ad propinquitatem, conjunctionem, compressionem & his cognata denotanda,* inde, ut ait paulo post, *Hebrei ex* בי *quo apud significatur nobis, & id, & aliquando per, ut cum dicimus* By GOTT *id est, per DEUM, eam loquendi formulam duxerunt ut* ב *pro in, cum, quando, ad, per, contra usurparent, nobis* B. *longa vocali & Bet preces signat & quod per eas ad ipsum unum & ipsum caput arctissimè conjungamur.* Prolixius in Hyerogl. l. 9. p. 232 seqq. B ait, *pressum & fixum contactum significat, quo ipsi uni, quod per* ב *denotatur, nos jungimus, cui sive Tau accedat, sive non, eadem manet significatio. Hinc mox cernitur, orare nihil aliud esse, quam se uni opprimere & affigere, & idcirco omnem orationem ad ipsum unum pertinere: Unus ergo Deus orandus &c:* Paulo post: *Mirifica profecto vocula est ipsum* B *qua hæc omnia denotantur, ipsum enim* B *consonans intra labra fixum maneret, ut Terentianus docet, nisi ob vocis protruderetur, oramus igitur ipsum unum & ut orare unum & possimus & velimus, ab ipso uno accipimus.* Obstupesco sane,

dum

dum hujus vocis artificium cum iis confero, quæ doctißime à philosophis de oratione disputantur, quæ licet sint prorsus admiranda, longe tamen ab hac vocula superantur, quæ mox omnem Deorum excludit multitudinem, & clare demonstrat & unum orandum esse & ab uno ut oremus nos habere ac præterea in ipsâ hac pressâ & fixâ cum ipso uno conjunctione finem quoq; orationis contineri. Neq; enim uni affixi esse possumus, ut non simul participes simus eorum, quæ ab uno fluunt, bonorum. Hæc & plusscula alia ex suis hypothesibus Becan. quæ utut nobis mysteria sint autori relinquenda, aurem tamen Pontificijs vellicant, qui juxta Becan nil minus agere dicendi sunt quam orare, etiam cum orant, quia in preculis & invocationibus sese ad ipsum solum unum non convertunt.

V.

Est IV. *Colere Deum, Dei cultum propagare, instaurare, fovere*, promovere per Synecdochen partis. Quo sensu *invocare DEUM* ponitur pro colere 1. Pet. 1. 17. Dominum *non invocare*, pro non colere Ps 14. 5. Ps. 79. 6. Ier. 10. 25 Ita *Invocare nomen Domini*, est doctrinam de vero Deo, (quod innuit illud, *nomen Domini*, quod nos revocat ad Deum in verbo suo nominatum & patefactum, sicut enim aliæ res per nomina, ita Deus per verbum patefit & cognoscitur, imo per ipsum Dei filium, quem non desunt, qui putent in scripturis dici nomen Domini, Conf. Ex. 23. 21.) fovere, promovere, Deum juxta præscriptum voluntatis suæ colere, ut Gen. 4. 26. *Tunc cæptum est ad invocandum in nomine Domini* ut ad verbum vertit Arias Montan. Quem locum ut ut Hebrei plerique sensu contrario exponant, putentq; tunc cæpisse idololatriam, & *profanos fuisse in diebus filios hominum, ad non invocandum in nomine Jehova*, ut legit Targum Onhelos notant. Drusio & Rivet. in h. l. alij item putent hic indicari distinctionem quæ post à Mose notatur inter filios Dei & filios hominum, quod tunc posteritas Sethi *cæperit vocari de nomine Domini*, quam sententiam tenet editio Gallica, & Cornel. Bertram notante Chamiero, Etsi item non desint, qui putent indicari illud, quod tunc *invocari cæptum sit nomen Domini*, usurpato *nomine tetragrammato* Jehova, quod Cajetanus opinatur: Non tamen est ratio, quæ nos à recepta inter-

pretatione, quod hic de restauratione cultus divini sermo sit, abire compellat: *Marius* vero sine causa B. Luth. sugillat, quod uti suspicatur aut cavillatur potius, *ex prædicationis affectu & orationis tædio* קרא verterit per prædicare: Nam ut taceam קרא in scripturis quoq; habere significationem *prædicandi*, annunciandi, ore, aut scriptis significandi Ios. 8. 34. Lev. 25, 10. Es. 40. 2. 3. c. 61. 1. Neh. 6. 7. Lutherus totum Dei cultum, qui invocationem gratiarum actionem & prædicationem verbi comprehendit, ista prædicandi voce ad idiotismum linguæ nostræ emphatice expressit: Da fieng man an zu predigen vom Nahmen des HErrn: h. e. cæpit restaurari verus Dei cultus, *non quod ante nulla vera religio floruerit sed quod tunc multo glorioſior fulgere cæperit quam antea obscurata religione Abelis morte*, ut Flacius exponit, sive *quod Enos super omnes priores pius ac religiosus erga Deum fuerit, non modo colendo pietatem & religionem, adversus Deum, sed eam quoq; prædicando divulgando, aliosq; homines docendo, vel quod cæperit congregare populum, ad tractandum simul Dei cultum, quasi Ecclesiam fidelium inchoans & adunans* ut juxta vulgat. vers. Pererius h. l. interpretatur, Ita & alijs locis *Invocare nomen Domini* est sacrificijs, precibus, adoratione, verbi prædicatione Deum colere Gen. 12. 8. c. 13. 4. Ps. 80. 19. Ioel. 2. 32. Rom. 10. 13. *Invocare nomen Domini nostri* JEsu *Christi* 1. Cor. 1. 2. est, ut Beza exponit, *Christum pro Deo agnoscere*, ut Deum suspicere, colere & venerari: Alibi *Deum testem invocare* 2. Cor. 1. 23. est jurare, sicut & jurare aliquando est Deum invocare & recte colere Es. 19. 17. c. 48. 1. &c.

V I.

V. Bellarmino Invocare nomen Domini est *Monachatum instituere*: *Habemus*, ait l. 2. de Mon. c. 5. *imprimis Gen. 4. de Enos, Iste cæpit invocare nomen Domini, Ex quo loco colligunt autores hunc Enos instituisse peculiarem aliquem cultum, & sublimiorem quam esset religio vulgi: Nam ante Enos certe Adam & Abel & Seth Deum invocarunt, & tamen iste dicitur primus cæpisse invocare nomen Domini*: At vero facile est Bellarmino ex quovis ligno Mercurium facere: Quæ enim hæc exegesis, quæ argutatio est? Enos cæpit invocare nomen Domini, Ergo Monachatum instituit: Itane Bellarmine E-

nos

nos Monachus fuit, qui tamen genuit filios & filias Gen. 5. 10? Itane Enos Monachus fuit, quia invocare cæpit nomen Domini? Ergone & Abraham Monachus, quia invocavit nomen Domini Gen. 12. 8. c. 13. 4? Et omnes pij Monachi erunt, quia invocant nomen Domini Ps. 80. 19. Rom. 10. 13? Ubi locorum reperit Bellarm. quod invocare nomen Domini sit Monachatum instituere? aut ubi didicit à genere non determinato ad determinatam speciem argutari? Enos incepit peculiarem cultum (ut Bellarm. supponit) Ergo instituit Monachatum: Quid si fuisset alius generis cultus quem Bellarm forte non novit, aut nosse non potuit? Tum vero non dicitur de Enos, quod ipse cæperit, sed quod *tunc cæptum* sit הוחל אז indefinitè, sive ab Enos sive ab alijs, ut ita non personæ sed temporis circumstantia significetur: Neq; tum cæpit peculiaris religio institui, quæ antea non fuerit, sed vera & à mundi exordio instituta religio cæpit propagari & in forma augustiori Ecclesiæ magis conspicua fieri; cæpit ibi publicum ministerium verbi, & collectis ad unum pluribus populis Deus publicè coli: Idq; Bellarm. non nostri interpretes sed sui gregales Jesuitæ qui in h. l. scripsere, abunde docere potuissent.

VII.

VI. Pontificij quidam insuper; discrimen comminiscuntur inter *Adorare & Invocare*, & quæsiti de Sanctorum & Angelorum cultu promte obvertunt Invocandos equidem esse Angelos & Sanctos, verum non adorandos, Man ſol ſie anruffen aber nicht anbeten/eo quod adoratio in solum Deum, in vocatio vero etiam ad creaturas dirigatur: Socinus in resut. Franc. David *Adorare & Invocare* ita dispescit, ut illud Christo putet tribui posse, etsi de hoc non sit in SS. mandatum: *Non est idem* ait *adorare quod invocare, Invocat is qui in necessitate constitutus confidenter alienam opem & benignitatem implorat, adorat vero qui corpo & animam reverenter alicui inclinat, & coram eo venerabundus procumbit, etsi nihil ab eo petat*, c. 24. p. 226. Et ideo *de invocatione Christi nullum*, ait. *mandatum extat, adorandum vero Christum esse non inficiamur*: Hæc Socinus: Nos etsi non valde refragamur adorationem religiosam ab invocatione

catione religiosâ tanquam latius ab angustiori distingui, non tamen patiemur ita dispungi & sejungi, ut unum cuiquam competere possit, cui non possit competere alterum, adeoq; religiose aliquis invocari possit, quin simul adoretur, aut adorari quin simul invocetur: Juxta SS. sane *Invocatio & Adoratio proprie sumta in unum idemq; objectum* (verum nempe Deum) *vergunt* Conf. Deut, 6. 13, cum. Ps. 50. 15, & Ps. 72. 11. cum Rom. 10. 13. ita ut in vocari nemo possit qui adorari non potest quod conrra Pontificios attendendum: Christo vero Domino, quod contra Socin. notamus, in SS. non solum religiosa adoratio tribuitur, eaq; talis quę sculptilium & Deorũ alienorũ adorationi opposita est Ps. 97, 7. Ebr. 1. 6. & ab ipsis Angelis defertur Ebr. 1. 7. adeoq; Deo soli propria est, sed & invocatio tanquam *debita* vendicatur, 1. Cor. 1. 2. *ipsũ gentes deprecabuntur*, ait Es. c. 11. 2. *mihi curvabitur omne genu* ait Deus Es. 45, 23. quod ad Christum futurum mundi judicem refert Paulus Rom. 14. 11. sicut & *dives* dicitur *super omnes qui invocant eum* Rom. 10 12. Huc accedit, quod *filius honorari debet καθὼς πατὴρ*, Joh. 5. 22. sicut ergo pater, ita & filius est religiosè invocandus, quod item *in nomine filij*, Matth. 28. 19. h. e. invocato nomine filij (Conf. Act. 22. 16.) baptisare jubemur, item quod *in Christum credere* jubemur, Joh. 14. 1. eâ fide quæ remissionem peccatorum justiciam & salutem à Christo impetrat, Act. 10. 43. Joh. 1. 12. Rom. 3. 22. Joh. 3. 16. & cum invocatione arctissime connexa est, adeo ut in eum credi non possit, qui non invocatur, neq; invocari, in quem non creditur Rom. 10 14, quod *item in Christum sperare* jubemur Es. 14. 32. Rm. 15. 12. 1. Cor. 15. 19. Eph. 1. 12. Col. 1, 27. 1. Thess. 1. 3 1. Tim. 1. 1. *ab eo gratiam & pacem precamur*, quod Paulus in plerisq; Epistolarum suarum exordijs facere solet, illiq; *gratias agimus* Col. 3. 17. Ap. 7. 11, 12, quæ omnia cum religiosâ invocatione oportet arctissimè conjuncta esse. Idq; Racovienses diffiteri non potuere, *qui Christum putant in omnibus necessitatibus invocari posse & cum plena auxilij fiduciâ invocandum esse*, Ipseq; ẽtiam Socinus, qui in disput. contra Fr. David *Christum inquit, colere in eoq; fiduciam collocare debemus. & ad ipsũ preces nostras dirigere possumus*, Item *Exempla sola invocati Christi*

Christi ex Sacris literis petita nec præterea aliud, evincunt Christum invocatum fuisse & proinde invocari posse. Proinde exemplis eorum recensendis, qui Christum religiosè invocarunt, supersedeo.

IIX.

Franc. David. in disp. contra Socin. verbum græcum quod *Invocare* à Latinis Interpp. redditum est, *duplicem* ait *habere significationem, ut scil. vel cultum ac petitionem, vel cognominationem declaret, nullique adeò dubium esse debere, quin cognominandi significatio in illis locis, ubi nomen Christi invocatum à fidelibus fuisse dicitur, ei tribui possit: Hoc nimirum sensu, quod Jesum cognominarent Christum, quemadmodum alibi scriptum est, Simeonem cognominatum fuisse Petrum, & Josephum Barnabam.* Cui Socinus, *Quomodo hoc fieri potest?* inquit, *Nam, ut allata à te exempla & sensus ipse communis demonstrat, necesse est, quandocunque in ejusmodi sensum verbum, quod cognominandi activam significationem habere velimus, accipi debet, ut & persona, quæ cognominatur, & cognomen quo cognominatur, asscribantur, & utrumque quarto casu enuncietur. At in locis illis plorumque nec persona, nec cognomen est asscriptum, & interdum quidem utrumque, sed secundo casu, & ab alio nomine rectum, ut in testimonio illo 1. Corinth. 1. cum* τοῖς ἐπικαλουμένοις *nomen Domini nostri Jesu Christi. Præterea vox* nomen *immediatè à verbo illo tanquam persona patiens recta, quæ in ipsis omnib est, in allatis exemplis non est, nec esse potest. Quippe quia in phrasi exemplorum illorum necesse est, ut persona patiens, quæ immediatè à verbo illo regitur, sit vera persona, neque enim nomina, sed personæ cognominantur, & tu in testimoniis meis non quidem nomen Jesu, sed ipsum Jesum cognominatum fuisse Christum intelligi debere contendis.* Hæc & alia plura in hanc rem Socinus in disput. de adorat. Christi p. 108.109. seqq. Et verò nusquam in SS. dicitur, Christianos Iesum Christum ἐπικαλεῖν, quod cognominare esse posset, sed Iesum Christum, sive nomen Iesu ἐπικαλεῖσθαι, quod Invocare est. Hæc de verbo Invocandi.

IX.

Porro Honor, reverentia, *invocatio religiosa* triplici sensu dici potest, *vel quia elicitur à religione, ita ut sit proprius ejus actus, continens in se virtutem & directam relationem illam, quæ est in cultu religioso, vel tan-*

tum quia imperatur à religione, tanquam aliquid congruens illius naturæ, vel deniq; quia & imperatur à religione, & fundamentum habet in relatione rei, aut personæ alicujus ad religionem & cultum sacrum, ut Amesius notavit l. 5. de Consc. cap. 31. Primi generis invocatio propriè est religiosa, secundi & tertii generis improprie, quo sensu & honor civilis, qui in secunda tabula præscribitur, religiosus dici potest, quia à religione, tanquam aliquid ipsius naturæ congruens imperatur: sicut & res & instrumenta ad cultum quoquo modo pertinentia dici possunt coli religiosè, non positivè, quasi sint objectum proprium cultus, quibus honor verè religiosus sit deferendus; sed quasi privativè, quia non irreverenter & irreligiosè tractanda, cavendumque, ne fiat quidquam circa res illas, quæ cultus divini instrumenta sunt, cujus ratione aut cultus divinus, aut reverentia in cultu illo debita, possit imminui aut violari; Uti v. g. Religiosè colitur SS. quando cavetur, ne scripturarum verba ad jocos illicitos & prophanos adhibeantur; religiosè colitur panis & vinum in sacrâ Cœna, quando reverenter dispensatur, & cavetur, ne pedibus conculcetur, aut contumeliæ exponatur, propter connexionem & relationem ad id, quod colitur religiosè, cujus sive vehiculũ sive instrumentũ est.

X.

His verò, quæ de nominis notione moneri poterant, præmissis, in medium accersendus est status quæstiõis, qui juxta Jesuitarum hypotheses statui formariq; fortè posset duplex: *I. An Angeli sint invocandi*, ea invocatione, quam simplicem compellationem vocant, quæ sine omni fiducia animiq; religione est, quomodo invocat, h.e. compellat vivens auxilium alterius viventis. *II. An Angeli sint invocandi religiosè*, ea invocatione, quã propriâ notione, religiosam, h.e. fiducialem dicimus, quæ cum fiduciâ mentis q; animiq; devotione, in eũ qui invocatur, cõjuncta est. Hîc verò etsi qui dam adversariorum didicerint τὰ σκληρὰ μαλθακῶς λέγειν, dicantque Angelos invocandos esse, sed ea invocatione, quæ sine fide est, & *quod petit, non per eum impleri petit, quem invocat, sed tantum per eum impetrari vult, quod desiderat*, ut Staplet. in Antid: ait, protestatio tamen illa facto, publicisque illorum scriptis est contra-

traria, quibus testatum faciunt, ad merita, præsidia, intercessionem, opem Angelorum suppliciter confugiendum, nomen, patrocinium, reconciliationem eorum petendam, imo verò & Angelos, ut καρδιογνώστας, præsentes nobis, &c. suspiciendos esse: Vide *disput. 2. th. 9. p. 38. 39.* & adde hos flosculos: In orat. de Michaele: *Te quæsumus* ut nomen *prædicti Michaëlis triumphatoris* invocantibus *fortitudinem & victoriam contra visibiles & invisibiles hostes concedas.* De Gabriele: *Petimus, ut* confugientibus ad præsidium *tanti paranymphi ejus intercessione fortitudinem adversus visibiles & invisibiles hostes concedere digneris.* De Raphaele: *Rogamus ut nobis* implorantib. opem *dicti principis astantis patefacias semitam salutis.* Ad omnes Angelos: *Me fragilem, me peccatorem* supplicem *vestrum firmate precibus, ut spirituales pravitates vestro juvamine devincens fortiter nunc & in ævum vestris patrociniis fulciri, vestræ beatitudinis gratia perfrui merear.* Utut verò sit, utraque invocatio sive simplex vocetur compellatio, sive religiosa dicatur & fiducialis invocatio, est illicita, vana, superstitiosa, & idololatrica, idque, ut confidimus, argumentorum munimentis omni muro firmioribus, demonstratum ibimus.

XI.

I. *Invocatio propriè dicta, prout in SS. describitur, soli Deo tribuitur.* Card. Baron. tom. 1. Ann. Chr. 82. n. 4. ait, *naturali quodam instinctu homines doceri, ut, cum aliquâ necessitate premuntur, quantumlibet gentilitiæ superstitionis cultores sint, nihilominus eo tempore primis illis naturalibus impulsionibus animi*, non Deos, sed Deum *protinus invocent*, & in hanc sententiam citat *Lactant. Tertull. Minut. Fel.* Nobis verò non tàm è naturâ quàm Scripturis est evidens, solùm Deum invocandum esse. *Veri adoratores adorabunt PATREM*, Ioh. 4. 23. *Invoca ME*, ait Deus Psalmo 50. 15. *Quærite Dominum*, Esa. 55. 6. nusquam verò Angeli invocationis objectum statuuntur, sed redarguuntur potiùs, qui extra Deum alios sibi Deos faciunt, quos invocent, Os. 7. 14. Ex. 20. 3, 4. 2. Reg. 17 33. &c. Etsi verò expressis verbis fortè non legas usquam: *Solum Deum invocabis*, sensus tamen dictorum omnium, quæ Deum invocari jubent, est exclusivus: Nam I. sicut, cum scriptura dicit, *Deo servies*,

vies, Deut. 10. 23. Christo interprete dicendum est exclusive, *Soli Deo servies*, Matt. 4. 10. Et ubi Scriptura dicit *DEum adorabis*, Deut. 6. 13. c. 10. 23 *recte dicitur, Deum* solum *adorabis, nam certum est vocabulum adorationis eo loco significare genus veneration is Deo soli conveniens, per quam sc. honor divinus deferatur. Nam ad probandum adorationem eam Soli Deo tribuendam adducit eum locum Dominus*, ut ait Valent. tom. 3. d. 6. q. 3. p. 1. Ita etiam cum SS. dicit *Deum invoca*, Christo præeunte exclusive intelligendum est; Solum Deum invoca, quia invocatio cum servitute, adoratione, & reliquis actibus ad Dei cultum pertinentibus, est in eodem genere. II. Deo his & similibus dictis ubi sese jubet invocare, intentum est homines à cultu idolorum & creaturarum ad sui cultum revocare, proindeq; sensum illorum dictorum oportet esse exclusivum, quæ, quando Deum jubent invocari, omneillud excludunt à participatione prædicati quod non est Deus. Alias non bene abstraherentur hominum mentes ab idolorum & creaturarum cultu: III B. Patres prævia scriptura ex invocatione veram Deitatem contra hæreticos hinc inde demonstrarunt, oportet ergo attributum esse solius Dei proprium: Athan. orat. 2. contra Arian. exinde Christi Deitatem demonst*rat, quia ejus auxilium in rebus afflictis invocatur:* Basil. l. de Sp. S. c 22. Sp. S. verum Deum esse inde arguit, *quia piorum preces ubiq; locorum exaudit;* Neq; ipse Bellarm. aliter, qui l. 1. de Chr. c 8. *Omnes fere Prophetæ*, ait *prædixerunt post adventum Meßiæ exterminandam idololatriam, Ecclesiæ autem semper in toto orbe terrarum Christum coluit templis, aris* invocationibus, *festis diebus, ergo vel Christus est verus Deus, dignus latriæ cultu, vel omnes prophetæ decepti sunt, nam si Christus non est verus Deus, nunquam fuit tam insigne idolum in mundo, nec tam floruit idololatria, quam post Christi adventum.* Hic sane invocationem ita Soli Deo assignat, & recte, ut ilico fiat idolum, & idololatria committatur si cuiquam extra Deum tribuatur. IV. Invocatio Sacrificium spirituale est soli Deo consecrandum Ps. 50. 14. Ps. 107. 22. Os. 14. 3. Ebr. 13. 14. 1. Pet. 2. 5. Ap. 5. 8. Sicut sacrificia externa Soli Deo offerri debuere Ex. 22. 20. Jud. 13. 16. *Sacrificium* enim *nullus hominum est, qui audeat dicere deberi nisi Domino soli* ait August

l. 10

l. 10. de C. d. c. 14. Conf. l. 22, c. 10. l. 20. contra Faust. c. 21. & *voluit Deus hunc cultum Sacrificij sibi Soli exhiberi*, ait Bell. l. 1. de B. S. c. 12. Quæ ergo ratio est exterioris, ea quoq; imo & potior est interioris Sacrificij, quod invocationem vocamus: Illud soli Deo offertur: Itaq; & hoc soli Deo offerendum, Deoq; Sacrificandum sed *prece pura* ut Tertull. ait, Conf. August. l. 10. de C. d. c. 19. Tum etiam V. Invocatio cum fiducia in SS. idem objectum habet, & supponit omniscientiam, omnipotentiam omnipræsentiam ejus qui invocatur, ut ex dicendis constabit, quæ omnia *Soli* Deo competunt: Hoc vero posito hanc machinam contra Jesuitas admovemus: *Quicquid non est unus verus æternus Deus, non est religiose invocandum*, quia solus Deus est invocandus per dicta: At vero *Angeli non sunt ille unus verus & æternus Deus. Ergo.* Item *Qui invocat illud quod non est Deus, invocatione sua idolum facit, & idololatriam committit*, quia quod *Solius* Dei est alteri tribuit, *At vero Pontificij invocando Angelos invocant id, quod non est verus Deus.* B.

XII.

Ut verò hic elabantur Jesuitæ, rimas quærunt, quas utut sint rimarum pleni, hic tamen non inveniunt. Ajunt *Invocationem soli Deo competere quidem, sed eam, quæ sit actus latriæ, Deum implorans, ut primum principium, primum autorem & fontem bonorum, omnipotentem, omnipræsentem, &c. Dari verò & aliam illâ divinâ longè inferiorem, quæ sit actus duliæ, Sanctos & Angelos implorans, ut creaturas præstantes, eorumq; suffragia & merita sollicitans.* sive, ut Stapletonus distinguit: *Invocationem aliam esse, quæ, quod petit, ab eo implendum petit, quem invocat. aliam verò, quæ non quod petit, per eum impleri petit, quem invocat, sed tantùm per eum impetrari quæ desiderat; illam soli Deo, hanc sanctis competere.* Conf. Bellarmin. l. 1. de B. S. cap. 20. Valent. tom. 3. d. 6. q. 11. p. 5. Quo sensu etiam Bremensis Martinius papizans, invocationem & adorationem κατὰ θεμὲν *in eam, quæ sit Deo soli propria, & aliam inferiorem, non tamen civilem sive politicam, sed verè religiosam, quæ Christo ut homini competat, & sine scelere gravis blasphemiæ nulli creaturæ exhiberi possit.* Ita Martinius cum Jesuitis: Quæ tamen omnia κύμβαλον sunt ἀλαλάζον, profanus sine mente sonus. Nam 1. Unam unam, eamq;

religiosam invocationem, soli vero Deo debitam novit SS. non duas pluresve: probent ergo quod supponunt Jesuitæ, invocationem quandam in Scripturis reperiri, illâ divinâ inferiorem, aliisq; extra Deum jure competentem, nisi velint ἐκ δρχῆ λαμβάνειν, quod disputatori turpe: Omnis cultus, quod nostræ assertionis fundamen est, aut est primæ, aut est secundæ tabb. SS. enim quicquid ad boni operis aut cultus ratione pertinere vult, in illis exactissimè comprehendit: Si primæ, est cultus religiosus, soli Deo debitus; Si secundæ. est cultus honorque officiosus proximo deferendus: Et sic omnis cultus vel religiosus solius Dei; vel officiosus proximi est: sicut autem inter tabulam primam & secundam non datur media quædam, sive per participationem, sive per dispatationem, (duas enim non tres dedit tabulas legis Deus) ita etiam non datur cultus quidam medius, inter cultum latrias solius Dei, & cultum civilem proximi; sed necesse est, ut, modò à Deo dicatur institutus, referatur ad alterutram: Invocatio itaque religiosa, qualis qualis illa est, juxta Dei præscriptum solius primæ tabulæ, adèoque solius Dei est, ubi non solum ab objecto invocationis omne illud, quod non est Deus, excluditur, sed etiam omnis omninò invocatio creaturis in solidum adimitur, Deoque vendicatur: Non enim honorem invocationis ita inter sese & creaturas dispertitus est Deus, ut sibi ex semisse, & creaturis ex semisse vendicari voluerit, sed cultum religiosum, cujus invocatio pars est, prorsus ἀδιαίρετον esse voluit: Uti Deus unus ita agnoscendus est, ne ullo modo præter ipsum agnoscantur alii, ita colendus religiosè, ne ullo modo religiosè colantur alii; ita adorandus religiosè, ne ullo modo religiosè adorentur alii; Ita etiam ita est religiosè invocandus, ne ullo modo invocentur religiosè alii: *Quemadmodum si quis magni regis honores satrapis ejusq; præfectis tribueret, non stultitiæ solùm argueretur, sed & periculosæ audaciæ, tribuens servis quod debetur domino*, ut Philo ait l. de Decal. pag. 479. Ita profectò non minus arguendi, qui quod soli Deo Domino proprium esse voluit Scriptura, aliis extra Deum vendicant. Etsi verò Jesuitæ dicant, *sese invocationem deferre Angelis non ut Deo, aut primo bonorum autori, sed ut creaturis, ut*

Ange-

Angelis, tribuunt tamen hoc ipso servis quod soli debetur Domino: Cultus enim divinos certum est transferri posse de facto ad non Deum, etsi non sub ratione Dei & primi principii, sed non Dei potius & creaturæ, eoque ipso idololatriam committi: quomodo v. g. Si creaturæ quis sacrificet, etsi ut creaturæ, peccat tamen hoc ipso, quod *sacrificat*, quia sacrificare ex institutione divinâ est actus latrias soli Deo competens: Et profectò risu dignus esset potiùs, quàm refutatione, si quis (prorsus ut hîc Pontificii invocationem dispescunt) pro palliandâ idololatriâ diceret, sacrificium quidem soli Deo deberi, sed illud quod offeratur Deo, ut primo principio, & primo Enti, tanquam aliquid ab actu latrias proveniens, posse tamen sacrificium aliis quoque infra Deum offerri, verùm non ut Diis, sed ut creaturis præstantibus: proinde sacrificare aliquando actum latrias notare, ut sit idem ac offerre Deo ut primo autori bonorum, aliquando verò actum latriâ inferiorem, ut sit idem ac offerre creaturæ præstanti. Hæc, inquam, talia si quis comminisceretur, non nobis solùm, sed & Pontificiis ridiculus esset, quia sacrificium, nisi uni soli Deo debitum Scriptura nullum agnoscit. Et, ut ait Val. d. 6. de sac. q. 4. p. 2. *ex parte ejus cui sacrificium offertur, requiritur, ut is sit verus Deus, non creatura ulla, quæ sacrificij honore afficiatur, vel quia sit* creatura præstans *& benefaciens, ut afficiebantur divinis honoribus angeli, vel qui perversè habentur pro vero Deo*; Juxta Valentian. ergo, etsi parum sui memorem, creatura potest affici divinis honoribus per sacrificiũ, *quia sit creatura præstans*, & tamen etsi ut creatura præstans ita honoretur, potest hoc ipso idololatria committi, cujus ratio alia esse non potest, nisi, quod sacrificare sit cultus soli Deo competens, ideoque creaturæ, etiam sub illâ ratione, quâ creatura præstans est, neutiquam deferendus. Thraces illæ mulieres in Arabiâ & Schyticis partibus superioribus degentes, quæ olim in sellâ quadratâ expanso linteo, in honorem Mariæ panem seu collyridem proponebant, *dæmoni mensam parare* dicebantur, *non Deo*, apud Epiph. hær. 79. quia sacrificabant Mariæ, etsi hoc ipso sacrificio eam ut primum Ens non colerent, sed ut creaturam suspicerent, Non ergo ægrè ferant, quod pariter à nobis explo-

dun-

duntur, & idololatrias arguuntur Monachi, quod creaturas invocant, etsi non ut Deum invocare sese dicant, sed ut creaturas, quia invocare est actus latriæ soli Deo debitus, & invocationem nullam nisi uni soli Deo competentem Scriptura uspiam agnoscit. 2. Ario & ejus sequacibus facem præbent hac distinctiunculâ Jesuitæ. Socinus sanè in defens. animadvers. in assert. coll. Posnan. c. 13. utrâque, quod dicitur, manu hoc arripuit, & modo non dissimili duas invocationes, sed impares, commentus est: sicut & idem Socinus, vel potius Socini interpres in disput. de adorat. Christi contra Christian. Francken p. 11. *Duplex.* inquit, *est adoratio religiosa; altera quâ Deus adoratur, nullo alterius personæ respectu, sed tantum propter ipsummet Deum; altera quâ Christus religiosè adoratur propter alium, id est Deum, quia videlicet ipse Deus eum vi rebus donavit, quibus religiosa* adoratio *debetur, eumq; adorari jussit, ac præterea, quia Christi religiosa adoratio in ipsius Dei honorem & gloriam cedit.* Ita sc:tela suppeditant Arianis Papicolæ; & ut sanctorum Angelorum cultum religiosum obtinere possint, Christi gloriam & Deitatem obliquè enervant. Argumentetur Bellarminus: Quicunque religiosè invocatur, non est creatura, sed Deus omnipoteus. At verò Jesus Christus est is qui religiosè invocatur. Est ergo non creatura, sed Deus omnipotens. Ex Bellarmini placitis reponet Arius, aut si quis est Arii discipulus: Invocationem religiosam non esse unius generis; aliam Deo competere, quæ sit actus latriæ, aliam verò, quæ sit latriâ inferior, creaturis quoq; tribui; majorem proinde distinguendam esse. Viderit sanè Bellarminus; viderint Jesuitæ, quomodo hîc sese extricare velint, & per suas hypotheses argumenrum illud ab invocatione pro Deitate astruendâ petitum, ab interitu vindicare.

XIII.

II. *Invocatio, prout in SS. describitur, cum fiduciâ cordis arctissimè connectitur, & ex ea oritur*, ita ut unum idemque habeant objectum, in quod feruntur, & invocari debeat unicè is, in quem & fiducia cordis collocanda est. Disertè Paulus: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* Rom. 10. 14. h. e. uti in h. l. Jesuita Justin.

πῶς πιστεύσωσιν, *eum* planè *invocare non possunt, in quem non credunt*; Non enim, ut Costerus ad h. l. excipit, hoc tantum dicit Apost. quod *nemo* possit *invocare, orare, aut honorare* Deum, *si eum ignoret & non in eum credat*, sed generatim dicit, non posse invocari nisi in quem creditur, neq; credi posse nisi in eum qui invocatur; ut ita posito uno horum poni necesse sit & alterum, & cui competit unum, competere necesse sit & alterum, fides enim est causa invocationis, causa verò positâ in actu, ponitur effectus; & ubi non ponitur causa, non intelligitur effectus adesse; Et sic ea demùm vera est, & Deo placens invocatio, quæ fluit ex fide, ea demum vera fides, quæ conjuncta est cum invocatione Dei; Unde aliud nihil consequitur, quàm Angelos invocari non posse, quia *invocatio fidem exigit*, ait h. l. Chrysostomus. *Quod non est objectum fidei, non potest neq; debet objectum esse religiosæ invocationis*: In quem non est credendum, ille non est invocandus; Quomodo invocabunt ait Ap. in quẽ non credidẽre? *At verò Angeli non sunt Objectum fidei*, in Angelos non est credendum, Hoc enim totum soli Deo in solidum ascribit S S. Psal. 9. 10. 11. Psal. 11. 1. Psal. 13. 6. Psal. 14. 6. Psal. 51. 2. Jer. 17. 5. 7. & passim, sicut & confessio nostra, quâ profitemur, nos credere in Deum patrem, quâ *præpositione IN creator à creaturis secernitur, & divina ab humanis separantur. Itaq; ubi de divinitate fides ordinatur, in Deum patrem dicitur, & in Jesum Christum filium ejus, & in Spiritum S. in cæteris verò, ubi non de divinitate, sed de creaturis ac mysteriis sermo est, IN præpositio non additur*, ut Ruffin. ait in exposit. Symb. Non ergo, quod inde conficitur, Angeli sunt invocandi; Sicut autem is, qui in Angelos fiduciam collocat, jure ἀγγελολατρείας accusatur, quia illud, quod Deo soli competit, Angelis tribuit; Ita eodem jure qui Angelos invocat, Angelolatriæ reus erit, quia cum fiduciâ invocatio pari passu & gradu ambulat, unumque prorsus & idem cum illâ objectum habet. Quæ hîc regerunt, inferiùs discutientur, ubi de spe & fiduciâ in Sanctos.

XII.

III. *Invocatio religiosa juxta SS.* τὸ *Scire, Adesse, Posse, Velle ejus necessariò supponit, qui invocatur* I. τὸ SCIRE; ut is qui suppliciter in-

vocatur, sciat postulata, petita, cogitata & gemitus ejus qui invocat, quiq; ad ipsũ diriguntur; Quî enim audire possit preces is, qui scire non potest? Et, Quî oratione ἀνυπόκριτον ab hypocriticâ, sinceram à fucatâ discernere atque dignoscere poterit is, qui cordis gemitus atque cogitata penetrare non valet? Præcipuè quòd deprecatio ea sit potissimùm, *cum ab intimis voces sursum feruntur*, ut ait Chrysostomus, ubi non vox, sed votum, non musica chordula sed cor, non clamor sed amor, preces fundunt, adeoq; etiam solo cordis cogitatu sæpius absolvuntur. Inde est, quod SS. invocationi substernit τὸ videre ἐν τῷ κρυπτῷ, Matt. 6. 6. Rom. 8. 27 cordis abscondita nosse, Psal. 44. 21. desiderium & gemitus penetrare, Psal. 38, 10. indeque Baalitas redarguit Elias, quòd Deum invocent, qui neque scire, neque audire possit preces supplicantium, 1. Reg. 8. 27. II. τὸ ADESSE, ut is qui invocatur, præsens, non absens sit illi, qui invocat, simulque & semel possit ubiq; locorum suis supplicibus *adesse in cunctis obsecrationibus*, Dan. 4. 7. Hoc enim fundamen invocationis est, ideoque Deus invocatur, quia *invocantibus prope est*, Psal. 145. 18. Psal. 91. v. 15. Sancti verò exauditionem sibi pollicentur, quia propè est qui invocatur, Esa. 55. 6. Matth. 18. 19. sicut & Elias inde convicit Baalitas ineptiarum, quòd invocent eum, *qui forsan meditetur, aut negotium habeat, aut in itinere sit, aut dormiat*, 1. Reg. 8. 27. & sic, ut Bellarminus non diffitetur, *ad cognoscendas preces, quæ simul fiunt in diversis locis, non sufficit quævis celeritas, sed requiritur vera ubiquitas.* Quî enim audire possit preces is, qui supplici suo nullâ ratione præsens est? III. τὸ POSSE, ut is, qui invocatur, auxiliari possit, & eripere eum, qui invocat; Hic enim invocationis finis est, ut impetrare possimus ea quæ petimus ab eo, *qui dare potest omnibus affluenter*, Jac. 1. 5. 17. ideò cum invocatione omnipotentiam connectit Deus, *Invoca* me, & *eripiam* te, Psal. 50. 15. Conf. Exod 15. 2. Psal. 18. 2. Psal. 62. 6, Psal. 115. 3. Psal. 146. 2. gentiles verò stoliditatis & impietatis reos arguit, quòd deprecentur *eos, qui servare non possunt*, Esa. 45. 12. c. 44. 20. Jer. 10. 5. Sap. 13. 16. seqq. &c. IV. τὸ VELLE, ut velit quoque eripere is qui invocatur, eum qui invocat, adeoque constet invocanti de hac voluntate, ne du-

bia

biâ & fluctuante conscientiâ oret, adeoque oret, quod nescit ipse. Hæc verò singula non in Angelos, sed in solum Deum cadunt, neque Angelis uspiam, sed soli Deo, in sacris Scripturis tribuuntur: non Angeli habent τὸ scire, sed solus Deus, ut qui *occultorũ solus cognitor* est, ut ait Ambros. de obitu Theod. idque supra est visum, punct. 5. p. 79. Non Angeli habent τὸ Ubique adesse, sed solus Deus, quia illi sunt in determinato & finito suo Ubi, hic verò simul & semel omnibus iis propè esse potest, qui illum deprecantur, uti itidem visum p. 6. p. 83. Non Angeli habent τὸ Posse, sed solus Deus, qui omnes invocantes sese potenter potest eripere, omnibusque petentibus sese affluenter dare, Angeli verò, etsi potentes sint, non tamen sunt omnipotentes, & sic omnia nobis dare non possunt, quia *ea quibus indigemus, superant vires creaturæ*, ut ait Bellarminus l. 1. de B. S. c. 17. *Hæc ab alio orare non possum*, ait Tertull. in Apolog. c. 30. *quàm à quo scio me consecuturum, quoniam & ipse, qui solus præstat, & ego sum cui impetrare debetur famulus ejus, qui ipsum solum observo.* Non Angeli habent τὸ Velle, sed solus Deus; quia præterquam quod soli Deo debitum honorem hic præripere nolint Angeli, adeoque sibi fieri nolint, quod illis fieri non vult Deus, propter constantissimam voluntatis angelicæ cum divinâ harmoniam, Papicolæ de voluntate illâ Angelorum nuspiam in SS. sive scriptâ sive pictâ certi esse nequeunt, fluctuare adeoque eos & dubitare in angelicis invocationibus oportet, imo & orare quod nesciunt, quia quod Angeli velint eos audire, nesciunt ipsi: Neque nesciunt solùm, quod audire velint, sed & contrarium scire possunt, quod audire nolint, quia adorari nolunt, Apocal. 19. 10. cap. 22. 8. 9. adoratio verò cum invocatione religiosâ tàm est arctè & indivisè connexa, ut in unum idemque objectum tendant, ideoque, qui adorari recusat, ille invocari sese non permittit.

XV.

IV. *Invocatio religiosa & Deo grata cum invocationis norma & forma à Christo præscripta congruere debet*: Christus enim *qui inter cætera salutaria sua monita & præcepta divina quibus populo suo consulit ad salutem orandi ipse formam dedit, ipse quod precaremur monuit &*

instruxit, dicente Cyprian. Serm. 6. in explicat. Orat. Dom. *legemq;* illam *orandi* ut Tertull. appellat orationem Dominicâ, l. de Orat. c. 9, eâ fide nobis præscripsit, ut nil in ea, quod ad veram invocationem, requiritur desiderari merito possit. Falsus sane Bellarm. est, quando ait *Christum cum Apostolos docuit orare, non de eo qui orandus est, sed de iis rebus quæ petendæ sunt, discipulos admonere voluisse* l. 1. de Bapt. c. 20. De modo enim & forma orandi (non solum de rebus petendis) Apostoli solliciti, petebant ut doceret eos orare, *doce nos orare*, inquiunt Luc. 11. 1. ubi si petiissent, doce nos, *quid* orare oportet, aut doce nos *orare Deum*, videri forte poterant, preces esse non tàm de modo, quàm materia precum, & rebus petendis conceptæ, aut etiam preces distinctæ, quæ ad Deum, & quæ ad Sanctos feruntur; At vero generatim petunt, ut doceat *orare*, quod non tàm ad materiam, quàm ad modum formamq; orandi spectat: Sicut autem orandi modum petierunt à Christo Apostoli, ita & quod petiêre, fideliter docuit, modumque rectè orandi præscribens, vel maximè invocationis objectum unà cum rebus petendis indigitavit, cum ad modum benè orandi & id pertineat, ne aut in rebus petendis, aut objecto orationis erretur; *Quisquis* ergo *in oratione id dicit, quod istâ Evangelicâ prece non continetur, vel carnaliter vel illicitè orat*, juxta Augustinum epist. 121. cap. 12. *Aliter orare quàm Christus hîc docuit, non ignorantia solùm, sed & culpa est*, ait Cyprianus cit. l. *Qui non sic orat, quemadmodum docuit Christus, nec est Christi discipulus, quia nec pater libenter exaudit orationem, quam filius non dictavit, cognoscit enim pater filij sui sensus & verba, nec suscipit quæ usurpatio humana excogitavit, sed quæ sapientia Christi exposuit*, ut optimè Chrysostomus inquit homil. 14. op. imp. in Matth. At verò invocatio S. Angelorum cum hac norma orationis à Christo præcepta non congruit: Christus enim modum invocandi præscribens non alium legitimum invocandi modum præscribit, quam qui est ad Patrem nostrum, neque ostendit aliud invocationis objectum legitimum, quam patrem nostrum, ad quem solum preces nostras directas esse voluit; Pontificii autem non sic orant, quando invocant Angelos, neque dicunt illud, quod istâ oratione continetur; Non enim invocant

vocant patrem illum cœlestem, sed Angelos, qui non sunt pater ille noster qui est in cœlis, cujus nomen sanctificari debet, &c. proindeque ab invocationis objecto, prout Christus illud describit, excluduntur. Utiq; invocabimus Angelos, si sunt pater noster, qui est in cœlis; Si non sunt, ægrè haut admittant, quod Christum veracem magis quàm fallaces Iesuitas hîc imitamur. Tale itaq; conficimus argumentum: *Qui non est Pater ille noster, qui est in cœlis, non est invocandus*, quia is à Christo objectum adæquatum orationis constituitur. *At verò Angeli non sunt pater ille noster, qui est in cœlis. E.* Item: *Qui in oratione id dicit, quod istâ evangelicâ prece non continetur, vel carnaliter vel illicitè orat*, quæ Augustini maxima est: *At verò, qui invocant Angelos, in oratione illâ id dicunt, quod istâ Evangelicâ prece non continetur. E.* Item: *Qui non sic orat quemadmodum docuit Christus*, definiente Chrysostomo, *non est Christi discipulus. At verò, qui invocat Angelos, non sic orat, quemadmodum docuit Christus. E.* Item; *Qui eum invocat, qui non est pater cœlestis, gloriam patris cœlestis alteri vendicat, adeoq; peccat contra primum præceptum. At verò, qui Angelum invocat eum invocat, qui non est pater cœlestis. E.*

XVI.

Bellarminus l. 1. de S. Beat. c. 20. putat argumentum illud non concludere: *Non concludit*, ait, *illud argumentum: Christus verbo & exemplo solùm patrem invocari docuit, Ergo sancti homines aut Angeli invocandi non sunt. Nam si hoc concluderet, concluderet etiam illud: Christus verbo & exemplo solum patrem invocari docuit, Ergo filius Dei & Spiritus sanctus invocandi non sunt.* At verò num, Bellarmine, eodem loco, classe & ordine habebis Filium & Spiritum sanctum cum Sanctis & Angelis, & quia Filius & Spiritus voce patris ab invocationis objecto non excluduntur, pariter & Angelos Sanctosque putabis non exclusos esse? Nam I. solus pater cum invocari jubetur, vox patris non κατηχητικῶς (uti nostros sentire calumniatur Bellarminus) sed οὐσιωδῶς sumenda est, quo sensu etiam Filius & Spiritus sanctus sunt Pater ille noster, *Quando enim vox patris Deo tribuitur, & sit relatio sive respectus ad creaturas, sumitur essentialiter.* Et II. Solus Pater cum dicitur invocari, fit

illud πρὸς ἀνθιστολὴν τῶν οὐ φύσει θεῶν, non verò, ut Filius & Spiritus sanctus à Patre excludantur: *particula* enim *exclusiva Solus uni Deitatis personæ addita, non excludit personas reliquas, sed tantum creaturas & fictitia numina*, quæ observatio Cyrilli est l. 10 thes. c. 6. Fieri enim non potest, ut Pater invocationis objectum statuatur, quin cum Patre quoque statuatur Filius & Spiritus sanctus, propter summam essentiæ, potentiæ, majestatis & gloriæ identitatem: Est enim pater Domini nostri Jesu Christi, qui unum est cum patre, Joh. 10. 30. & in patre, pater item in illo, Joh. 14. 10 adeoque, sicut Pater, ita & Filius honorandus & invocandus est, Joh. 8. 23. à quo simul & patre Spiritus S. ejusdem essentiæ, majestatis & gloriæ, procedit. Habet ergo rationem Bellarminus, quare per nomen solius Patris excludantur Angeli, Creaturæ, fictitia numina, ab objecto invocationis, Filius verò & Spiritus sanctus non item.

XVII.

V. *Invocatio religiosa, quæ est ad mediatorem intercessionis, soli Christo in SS. tribuitur*; Dicetur fortè de intercessione Sanctorum suo loco pluribus, Hìc observasse sufficiat seqq. I. *Solus Christus est in cujus nomine* Joh 14. 13. 14. c. 16. 23. *h. e. propter cujus merita & intercessionem, fiduciâ in meritum ejus locatâ, petere & preces nostras fundere debemus*, qui *ideo addit, in nomine meo, ut mediatorem se, & collargitorem ostendat*, juxta Cyrillum lib. 11. in Iohann. c. 7. neq; uspiam ita invocationem divisit, ut partim propter se, & per se, partim per & propter Angelos, partim in suo, partim Angelorum nomine, partim propter sua, partim propter Angelorum merita, Deum exorare & placare nos voluerit. *Qui* itaque *non invocat in nomine Christi, & per Christum, Christo ejusq; honori detrahit, frustrà invocat, nihil impetrat*: quia solus est Christus, cujus nomini hęc gloria competit, ut in *nomine*, & per nomen istud orantes audiri debeant: Ac qui invocat Angelos, non invocat in nomine Christi, quia in nomine & merito & suffragio Angelorum. E. II. *Solus Christus est, per quem itur & venitur ad Patrem*; Ipse disertissimâ oratione: *Nemo*, ait, *venit ad Patrem, nisi per ME*, Joh. 14. 6. quod si dixisset, Nemo redimitur nisi per me, haberent, quod fortè di-

stin-

stinguere possent Pontificolæ. At disertius verba formans, nemo ait, venit ad Patrem, nisi per me. Itur autem & venitur ad patrem oratione quoque, itur intercessione. At nemo venit, ait Christus, nisi per Me; non per Angelos, non per Angelorum merita & suffragia, sed per M E. *Hoc tibi dicit Salvator tuus, Non est quò eas, nisi ad Me, non est quâ eas, nisi per Me*, August. tract. 22. in Iohann. Est enim is, *per quem adductionem habemus ad Patrem*, ut Cyrillus lib. 11. in Ioh. c. 7. sive, *cujus solius ductu pervenitur ad patrem*, ut Origen. ait l. 8. cont. Cels. Qui ergo non venit per Christum, non venit ad patrem, quia nemo venit, nisi per Christum: Qui autē invocat Angelos, non venit per Christum, quia per Angelos, per merita, suffragia, intercessionem Angelorum venit, & facilius sese, ut quidem Pontificii statuunt, perventurum credit. E. III *Solus Christus est Mediator noster* 1. Timoth. 2. 5. non solum, ob has causas, quia *1. ipse fuit solus mediator per modum redemptionis, quia 2. Christus non solum est mediator ratione officii quia conciliat Deum homini, sed etiam ratione naturæ, quia est medius inter DEum & hominem, cum ipse & Deus & homo sit, id quod erat necessarium ad reconciliandum hominem Deo, & 3. quia solus Christus ita est mediator omnium hominum, ut ipse nullo mediatore indigeat*, quas causas Bellarm. assignat l. 1. de B. S. c. 20. sed etiam quam causam nos addimus, quia ipse solus per redemptionem merita & intercessionem ἱλασκῶ nobis aditum facit ad patrem, Joh. 14. 6. Act. 4. 12. Rom. 8. 34. 1. Joh. 2. 2. Rom. 5 1. 2. Ephe. 3. 12. & *Christianorum licet peccantium causas exorat*, ut Ambros. ait Serm. 60. & pro nobis interpellat Ebr 7. 27. c. 9. 24. Rom. 8. 24. tanquam Pontifex noster fidelis ad Deum Ebr. 2. 17. & Angelus, cui dantur preces Sanctorum ut offerat Deo, Ap. 8. 3. cujus V. T. Pontifex Ex. 30. 7. Aaron, Num. 16. 32. propitiatorium, 1. Reg. 8. 38. typum gessit: *Qui in quantum filius & Deus est, unâ cum patre nobis bonum largitur, quod ostendens Paulus dicebat, Gratia vobis & pax à Deo patre & Domino J. Christo, in quantum vero mediator est, & pontifex & paracletus, nostras preces ad patrem adducit, Ipse enim nobis libertatem atq; fiduciam ad patrem largitur*, dicente Cyrillo l. supra cit. *Ipse est vox nostra, quæ patri loquitur, est oculus noster, quo patrem videmus*

mus, est dextra nostra per quam patri sacrificia offerimus, dicente Ambros. l. de Isaac & an. c. 8. *Non ad Deum omnipotentem accedere licet nisi per Christum*, Clemens Constit. l. 2. c. 32. *Non oportet quærere alios mediatores per quos arbitremur nobis perventionis gradus esse moliendos*, August. l. 9. de C. D. c. 15. Etsi vero, quod præfracte non negamus, Angeli pro nobis orent DEum, & orando pro salute nostra sint solliciti, oratio tamen, vel ut alij vocant, intercessio illa non est (1.) ἱλαστικὴ, meritoria, mediatoria, propiciatoria, in Angelorum meritis fundata, quia propiciare Deum, meritisq; suis apud Deū quicquam homini impetrare, sive quo ad expiationem, sive quoad applicationem est opus θεανδρικὸν, solius Christi mediatoris proprium, neque est (2.) ἰδιοσυμπαθητικὴ, ex quadam ἰδιοσυμπαθείᾳ, & singulari omnium omnino necessitatum gemituumq; cordis perspectione orta, neque est (3.) συναγωνιστικὴ, ex communi quâdam compassione ad Deum facta, qualis viventium in his terris est, sed est (4.) συμπαθητικὴ, ex communi charitatis debito, & vinculo, quo nobis obstricti, & erga nos propensi sunt, pro ratione vocationis (si quæ est) ipsorum orta, & ad DEUM facta: Non tamen, ut Pontificii volunt, ideo vel Angeli ut Intercessores sunt compellandi, vel Deus per & propter ipsorum merita & intercessiones sollicitandus erit, neq; mediatores ipsi constituendi, qui intercessionis & meritorum gratiâ Deum nobis propitient. Nam solus Christus in SS. hoc nomine venit, ut dicatur Mediator & Advocatus noster, ad solum Christum, ut intercessorem ἱλαστικὸν remittimur, solum Christum ut intercessorem implorare jubemur. *Qui itaq; mediatores & intercessores juxta aut infra Christum, extra & contra SS. sibi constituit, eos religiosè ac suppliciter implorat, eorum nomen, intercessionem, & merita invocat, propter eos, eorumq; merita & intercessiones exaudiri sese petit & confidit, is alium ditat*, Psl. 16. 4. *Christiq; mediatoris quâ redemtionem & intercessionem unici gloriam alteri tribuit, & est idololatra.* Hoc enim est Christo gloriam adimere, & alteri vendicare, I. Illi ut mediatori in suo officio alios sive pares sive inferiores mediatores adjungere, quos ille non admittit, II. Illos ut mediatores suppliciter

ter implorare, & ad eorum opem & intercessionem confugere, III. Per & propter eorum intercessionem & merita exauditionem postulare & sperare: Hoc inquam est Christi gloriam alteri tribuere, quam Soli Soli Christo SS. vendicat: *Ac vero Papicolæ invocatione illa S. Angelorum, Angelos mediatores intercessionis constituunt, eos supplici ter invocant, eorum nomen, merita, suffragia implorant, per Angelos audiri sese sperant &c.* Ut ex superius dictis est evidens. Alium ergo ditant, alium quærunt, alteri gloriam soli Christo debitam tribuunt, & sunt idololatræ. Quæ hic de *viventium intercessione* obtendunt, videbuntur infra: Hic nota I. viventes nusquam dici in SS. *intercessores* nostros, neq; esse, si proprie loquaris, etsi sint oratores, qui pro nobis orent sollicitentque Deum: II. viventes non constitui pro nobis oratores *extra* & contra Dei verbum, sed ad Dei mandatum, III. viventes *juxta Dei mandatum* ut oratores pro nobis recte compellari, compellationem iraq; illam non posse esse irritam & vanam quia Dei mandatū habet: IV. Cōpellationem illam esse *opꝰ charitatis*, non *cultum religionis*, non enim qui alterum juxta Dei mandatum compellat, ut pro se preces fūdat, eum ideo religiose invocat sed officiose invitat, & charitatis *debitū* in memoriam revocat: V. Orationē illam pro proximo non esse ἱλαστικὴν, sed συναγωνιστικὴν, non *meritum* sed *debitum*, proindeq; viventes sua virtute meritisq; nobis nil quicquam impetrare, neq; eo nomine, ut tanquam mediatores intercessionis nobis quicquam impetrent, aut Deo nos reconcilient, ad eos recurrendum esse: Unde apparet, quod viventium compellatio & mutua unius pro alterius salute ad Deum facta precatio non sit in Christi intercessionem injuria: Illa vero Pontificia Angelorum invocatio vel maxime Christo Domino injuria est, quia I. intercessores Angelos extra Dei verbm esse volunt, quod solius Christi est, II. quia religiosè ut intercessores extra Dei verbum *invocant*, quæ item invocatio ad solum Christum dirigenda est. III. quia per merita & suffragia Angelorum sese audiri posse sperant & confidunt, quod item de solo Christi merito statuendum est.

XVI.

VI. *Invocatio religiosa & Deo grata non debet carere mandato divino*; Nam, *quæ absq; autoritate & testimoniis Scripturarum, quasi Apostolica traditione sponte quidam reperiunt, & confingunt, percutit gladius Dei*, Hieron. comm. in Hagg. cap. 1. Scriptura uti unica credendorum, ita & agendorum norma est, & qui extra SS. fingitur cultus, quam etiam cunque speciem habeat, attamen ἐθελοθρησκεία est, Matth. 15. 9. Es. 29. 13. Deut. 17. 3. Num 15. 39 Coloss. 2. 18. 23. Neque fides, quæ in omni invocatione necessaria est, extra verbi divini semitas vagatur, sed juxta illas tam accurate & cautè incedit, ut fides non sit amplius, ubi verbum Dei non est, sed dubitatio potius & incredulitas, quia vera fides ex auditu est, Rom. 10 17. & τῶν μὴ βλεπομένων, eorum quæ non videntur, Ebr. 11. 1 & non aliter quam in verbo Dei revelato visenda præbentur, unde etiam unicè de voluntate Dei potest esse certa, an cultus ille, quem intendit, placeat Deo, nec ne. Fides ergò verbo destituta, non est fides salvifica, cultus item extra Dei verbum susceptus, quia est sine fide, non est cultus Deo placens, & omne consilium extra Dei verbum de cultu susceptum, non est Dei consilium, quia omne Dei consilium est in Scripturis, Act. 20. 27. c. 26. 22. & omnis SS. ita *est utilis ad doctrinam, ad arguitionem, ad correctionem, ad informationē in justitiâ, ut homo perfectus sit ad omne opus bonum instructus*, 2. Tim. 3. 16. quicqnid verò est præter eam, *est anathema*, Gal. 1. 8. At vero Invocatio Pontificia sanctorum Angelorum caret Dei mandato; Nam ne apicem quidem unum proferre hactenus potuit omnis Jesuitarum sapientia, qui in Scripturis extet jubeatve, ut invocemus Angelos: Monstrent, si poterunt, & manus dabimus; Dicant, ad quam Decalogi tabulam pertineat cultus Angelicus: Quicquid enim facere aut fugere nos voluit Deus, duabus his tabulis tam exactè comprehendit, ut addere detrahereve nil liceat, Deut. 4 2. c. 12. 32 At verò cultus ille Angelorum est neutrius tabulæ: *Non primæ*, quæ solius Dei cultum jubet, creaturarum verò ut idololatricum damnat: *In primo Decalogi præcepto, sicut unius Dei cultura servitusq; manifestissimè præcipitur, Ita omni creaturæ adoratio ac servitus à fide-*

à fidelibus exhibenda vehementissimè prohibetur, ait Fulgent. lib. de fid. orth. c. 5. *Neq; secundæ*, quæ cultum illum charitativum, officiosum & civilem jubet, quem alter alteri debet, neque verbulo mentionem facit de cultu quodam alio Angelis sanctisque exhibendo: Referant ergo invocationem Angelorum, aut ad primam, & cultus idololatricus erit, aut ad secundam, & cultus merè politicus erit, imò verò ejus invocationis fundamentum in secundâ tabulâ demonstrandum erit, aut fateantur se hujus invocationis in SS. præceptum non habere. Ideoque inde hoc fundamento suppositio ita colligimus: I. *Quod non est opus vel in primâ, vel in secundâ tabulâ Decalogi præscriptum, illud non est opus à Deo præceptum*, adeoque non est opus Theologicè bonum: Cerebri enim figmenta, & hominum ἐντάλματα sunt, Matth. 15. 9. quæ extra Decalogum suscipiuntur opera, de quibus dicit Deus: Quis hæc requirit de manibus vestris? At verò, *Invocatio Angelorum non est opus sive primâ, sive secundâ tabb. præscriptum. E.* II. *Ubi lex non est, neq; prævaricatio est*; *De Invocatione sanctorum Angelorum lex non est.* quia in Decalogo non est. *Ergò nec prævaricatio*; anathemate proinde feriendi non sunt, qui Angelos sese extra legem scriptam invocare, non posse contendunt. III. *Quod præter Scripturas est, anathema est.* Gal. 1. 8. *At verò invocatio Angelorum præter Scripturas est*, quia in lege non est. *Ergo anathema est*, anathemate ergo magis digni, qui eam ut indubitatum fidei articulum urgent. IV. *Quicquid extra divinam Scripturam est, ex fide non est*, ait Basil. reg. 80. quia fides & verbum sunt correlata, ut fides extra verbum scriptum esse non possit. *At verò Invocatio Angelorum est extra divinam Scripturam*, nam in Scripturâ eam extare probabunt Jesuitæ ad Calendas Græcas. E. V. *Quicquid absq; verbo Dei est, Dei consilium non est*, quia omne Dei consilium est in verbo patefactum, Act. 20. 27. *Invocatio Angelorum absq; Dei verbo est* E. VI. *Qui absq; Dei mandato invocat, id quod nescit, orat & invocat*, quia nescit, an rectè & juxta Dei voluntatem oret, adeoque *non orat in spiritu & veritate*, Ioh. 4. v. 22. Samaritanorum orationes, de quibus Christus hæc dicit, etsi erant ad Deum directæ, non tamen erant ex præscripto Dei, & juxta Dei verbum directæ, & ideò non erant in spiritu & verita-

te peractæ. *At verò, qui Angelos invocant, absq; Dei mandato invocant. E. VII. Quicquid ex fide non est, ex dubiâ & hæsitante conscientiâ est, adeoq; peccatum est*, Rom. 14. v. ult. *& Deo placere non potest*, Eb. 11. 6. *& prorsus vanum & frustraneum est*, postulet, qui postulat, *in fide nihil hæsitans, nam qui ambigit, similis est fluctui maris, qui ventis agitatur & jactatur. Non enim existimet homo ille, se quicquam accepturum à Domino*, Jacob. 1. 6. 7. *Omne quod agitur sine fide, id est, sine scientiâ & persuasione, quod credatur id licere, quod agitur, peccatum est. Nam si deerit hæc fiducia sive credulitas conscientiæ, necesse est, ut aut quis agat contra dictamen conscientiæ, aut saltem contra dubium conscientiæ, quorum utrumq; damnabile est*, ait Salmeron in c. 14. Epist. ad Roman. At verò *Invocatio Angelorum ex fide non est*, quia sine Dei verbo & præcepto est. Ergo ex dubiâ & hæsitante conscientiâ est, quæ incerta est de voluntate divinâ, an placeat ille cultus Deo, Ergò peccatum est, Ergo Deo placere non potest, Ergo irrita & frustranea est, quæ nihil impetrat.

XIX.

Hic vero ad tantam lucem quid Jesuitæ? Cæcutiunt prorsus & obmutescunt, ut quod dicant, habeant pene nihil: Bellarm. l. 1. de Beat. S. c. 20, ne nihil dixisse & tacuisse videretur, *Nullum*, ait, *mandatum requiritur, quando ipsa necessitas nos impellit!* Egregiam vero laudem & spolia ampla! Hæc enim necessitas licita sit (in actibus ad cultum pertinentibus & in fidei articulis) quæ mandatum non habeat? Itane Saul ad Pythonissam, Ahasia ad Diabolum in Ekron, Judæi ad hominum idolorumq; opem confugientes recte fecere, quia ipsorum opinione necessitas coegit? Nulla nulla potius necessitas est, ubi mandatum non compellit, *Quod tibi præcipio hoc facito, non addas quicquam neq; minuas ex eo*, ait Deus, Deut. 12. 32. c. 4. 2. Denuo ergo discant Jesuitæ, neq; necessarium, neq; utile neq; pium esse, Invocare Sanct. Angelos: *Non necessarium*, sive id sit ratione officii quod Angelis præstare teneamur, quia nobis id præceptum non est, sive ratione medii, quia invocatio & intercessio Angelorum ad impetranda à DEO bona tanquam medium nuspiam præscripta est: *Non utile*, quia cultus non præceptus est inutilis & frustraneus, ex ore Christi

Matth.

Matth. 15. 9. *Non pium*, quia actio per sese pia esse non potest quæ divina institutione & Jussione sanctificata non est. *Non opus est*, ait Chrysost. homil. de profect. Evang. *patronis apud illum, neq; ullo discursu, ut blandiare aliis, sed licet solus sis, patronoq; careas & per te ipsum Deum preceris, omnino voti compos eris.*

XX.

VII. *Invocatio religiosa Deoq; grata non debet carere promissione divinâ.* Promissione, inquam, tali, unde certus sis, te exauditum iri; veræ enim invocationis finis est exaudiri. Oportet ergo aut verbo aut factis promissum uspiam esse in S. Script: te, cum hunc illumve invocaveris, non frustrà id agere, sed certo certius exauditum iri: Et ideo, quia in promissione illâ sese fulcit & firmat oratio, Deus veræ invocationi illam subinde annectit promittitque, sese auditurum eos, qui invocant juxta præscriptum voluntatis suæ, Psal. 50. 15. Psal. 90. 15. Psal. 138. 3. Matt. 7. 7 c. 18. 19. Luc. 18. 8. Joh. 16. 23. 1. Joh. 5. 14. 15. &c. At verò invocatio Sanctorum Angelorum caret promissione divinâ. Passim quidem Deus verâ fiduciâ sese invocantibus in nomine Christi, promittit exauditionem, Ioh. 14. 13. c. 16. 23. &c. Sed ubi locorum hæc promissio est, quod petentibus à Patre per Angelos, aut ad Angelorum intercessionem fugientibus, pariter, quod petunt, ratum esse debeat? Ubi locorum ad Angelos, ut patronos & intercessores, remittimur, per quos accedere debeamus ad Deum? Ubi scriptum dictumve, quod Angelorum patrocinium invocantes *facilius à Deo per Christum impetremus, quæ petimus?* ut asserit Bellarminus lib. 1. de B. S. c. 20. Quod sanè si demonstrare non possunt Iesuitæ, ubi scriptum extet, fateantur oportet, sese citra Dei verbum promissum & ordinationem, ad creaturas cor dirigere, illis honorem indebitum tribuere, Deo detrahere, adeoq; ab idololatriâ absolvi penitus non posse. Incerti utique sunt de Angelorum intercessionibus, incerti de eorum καρδιογνωσία & præsentiâ; certi tamen esse possunt de Christo, quòd in nomine suo petentibus velit esse paratissimus, quòd causæ nostræ circumstantias, & necessitates nôrit, quòd nos videat, audiat, juvare possit & velit, quòd pro nobis intercedat. Quæ ergo, malum!

hæc dementia, quæ hæc audacia est, ad alium confugere, de quo hæc tam ampla promissa non extant? ab alio petere, quæ in Christi nomine possumus impetrare? *Non tâm facilè*, ut Chrysost. ait cit. l. *Deus annuit, cum alij pro nobis orant, ut cum ipsi oramus, etiamsi plurimis pleni simus malis. Non ostiario*, ait idem autor tom. 2. hom. 12 de mul. Can. *non mediatore, non ministro opus est, sed dicito, Deus miserere mei, & ilicò aderit, adhuc loquente te, dicet, adsum.* Cyrill. quoque, *Petere*, ait, *aliquid per orationem à Patre nullo modo permittit, nisi in nomine suo, Patremq; facilimè daturum pollicetur*, lib. 11. in Ioh. c. 9.

XXI.

IIX. *Invocatio Deo accepta non caret probatis piorum exemplis.* Pii enim ut habent eundem spiritum gratiæ & precum, Zach. 12. 10. & fidei, 2. Corinth. 4. 15. ita & in uno Spiritu Deum invocant, Eph. 2. 11. & sicut piorum omnium una fides, una religio, una devotio, ita & una est invocatio: Cujus itaque invocationis nullum probatum (Bileami enim, quod producere solent, non multùm curamus) exemplum proferri potest, illa sine omni pio exemplo frustrà fit: At verò Angelorum invocatio caret omni probato exemplo, neque hactenus ullum à Iesuitis, quàm anxiè etiam super eâre desudârint, proferri potuit. Plurima quidem invocationis Patriarcharum aliorumq; Sanctorum exempla in SS. reperias, quæ ad unum verum Deum directa sunt; sed quòd Angelorum subsidia piorum quisquam imploraverit, & ab Angelis opem & auxilium petierit, nuspiam extat in sacrarum literarum pandectis. Habent pauca, quæ huc torquent, sed admodum aliena, uti cum Deo videbimus in progressu.

XXII.

IX. *Invocatio religiosa naturæ Angelorũ repugnat:* Probo id, præterquã quod jè dictis constet, in præsentiarum ex hypothesi: Fr. Hallyer S. Th. D. Parisiensis & Socius Sorbonicus in def. Eccl. Hier. l. 3. c. 1. §. 2. officium Angelicæ custodiæ pastorali longe inferius esse pluribus ostendit, *quod sc. Episcoporum sit remittere peccata non Angelorum, quod Episcopalis & pastoralis cura sit circa animum, & in ipsum animum habeat potestatem, Angelorum vero officia circa corpus nostrum, aut certe facultatem corpoream phantasiam sc. humanam solum attingant, quod*

Sacer-

Sacerdotes dicantur Salvatores, Christi, pro Christo legatione fungentes, ministri Christi, dispensatores mysteriorum Dei, corporis & Sanguinis Christi consecratores, cum Angeli solum dicantur custodes nostri administratorij, quod Sacerdotes habeant potestatem consecrandi corpus Christi, quam non habeant Angeli, quod Angelorum custodum omnia munia Sacerdotes obeant; adeoq; Sacerdotum & Episcoporum sit inexplicabilis potestas, donum altitudinis dignitatis, quod omnem intellectum, orationem, omnemq; cogitationem excedat, juxta Ephraem, ὑπερβάλλουσα δόξα, juxta Chrysost. *honor & dignitas quæ nullis comparationibus poterit adæquari,* juxta Ambros. θεῶν χρῆμα *quod Christiani debeant* ἀνθέαζειν *inter res divinas referre,* juxta Isidor. *opus Angelorum humeris formidandum,* juxta Concil. Trident. *quod ipsi quoq; Angeli puri purissimi Dei cultores, tanquam ipsorum cultui minime impar veneratione dignentur,* Hæc & alia plura fusissime cit. l. Hallyer, quibus Francisci autoritatem pro coronide subnectit, qui ut autor est Bonavent. in ejus vita, dicere solebat, *si sibi occurrerent simul Angelus & sacerdos se prius sacerdotem salutaturum quam Angelum, Tantæ nimirum,* ait, *dignitatis sacerdotium esse judicabat, ut cum sciret Angelos hominibus naturâ superiores esse ac conditione beatiores, nullius tamen ponderis Angelicæ naturæ excellentiam, conditionis eminentiam duceret, præ officij Sacerdotalis dignitate, quâ solâ homines naturam, officia, conditionem Angelorum superarent,* Ex hac vero hypothesi ita argumentor. Quorum excellentia est multo eminentior ac dignior Angelica, illi multo majori præ Angelis honore sunt digni: *Honor* enim *debetur propter excellentiam* ait ex Thoma Bellar. l. 1. de B. S. c. 12. major proinde honor debetur propter majorem excellentiam, Qui ergo honor Angelis jure competit, multo majori jure competere poterit iis qui Angelos dignitate excellunt: At vero, uti disputat Hallyer, *Sacerdotes excellentiam plusquam angelicam sortiti sunt, ab ipsis Angelis suspiciendam, longe enimentius est officium pastorale custodum officiis, custodiæ vero Angelicæ munia pastorali officio longe sunt inferiora, quanto supernaturales effectus naturalibus præstant, tanto pastorale officium episcoporum & presbyterorum Angelorum homines custodientium officio anteponendum est,* ut subinde cit. l. dictus autor inculcat: Et ideo quidam Pontificiorum dicunt Ange-

gelum Ap. 19. 10. c, 22.. 8.9. adorationem recusasse, quod Johannes eum adorare volens, fuerit Sacerdos, adeoq; honore non admodum impar. Ergo quod inde consequitur Sacerdotes multo majori honore digni sunt quam Angeli: Aut ergo Sacerdotes religioso cultu sunt prosequendi, & religiose invocandi, quia ita invocandi & prosequendi sunt Angeli, illorum enim excellentia, quam propter debetur cultus, horum excellentiâ est longe eminentior; Aut Angeli non sunt religiose colendi & invocandi, quia Sacerdotes angelis longe digniores ita colendi non sunt (neq; enim, credo, id facile assertum ibunt Jesuitæ) etsi officium quod gerunt sit inexplicabilis potestas, & Sacerdotes sint terreni Dii, qui juxta Ignat: tanquam præsidentes εἰς τύπον Θεοῦ reveverendi sint, ut Christus ipse, cujus vicarij sunt, uti locum illum citat Hallijer.

XXIII.

X. *Invocatio religiosa, pia, Deo grata primitivæ & purioris Ecclesiæ praxi non omnino destituitur*, multo vero minus eidem contrariatur, vide th. præced. 21. Etsi enim primitivæ Ecclesiæ praxis norma fidei nobis neq; sit neq; esse possit, sed unica & sola Sacra Scriptura, attamen juxta legem & testimonium primis illis crescentis Ecclesiæ temporibus homines Christianos quam maxime vixisse, cultumq; & invocationem à corruptelis accuratius vindicasse est indubium: Jucundum ergo erit intueri prioris & purioris Ecclesiæ tempora, illiusq; cum hac nostrâ, quam novam eum Judæis subinde inclamant Jesuitæ, consensum demonstrare. Primis sane 400, & quod excurrit, annis, si ψευδεπιγράφους & suppositiitios patrum partus excipias, in Ecclesiâ primitiva Angelorum invocatio neq; probata, neq; recepta est. Non Angeli invocati sed Deus solus: Non ad Angelorum opem & præsidia sed ad Deum pro impetrandis Angelorum subsidiis vota directa, Non Angelis uspiam sed soli Deo invocatio vendicata, imo vero & Angelis disertè denegata: Non Angeli mediatores intercessionis habiti, sed Christus solus, per quem sine intercessoribus aliis immediate patere possit ad Deum accessus. Imo vero, quod contra Pontificiorum glossemata notandum, non cum certa so-

certâ solum limitatione, Patres illi prisci solum Deum adorandum, colendum & invocandum dixere, ut hodie Pontificii, sed sine limitatione, & absolutè cultum religiosæ invocationis Angelis ademtum, & soli Deo tributum voluêre: neque uspiam distinctionis illius rancidæ patrocinium, (ut hodie Pontificii desperatæ causæ) inter cultum latrias & dulias religiosæ adhibere visi sunt, ita ut Deum certo cultu religiosæ latrias, Angelos verò cultu religiosæ dulias invocandos colendosve esse dixerint: Quando ergo hanc & similes distinctiones in Patrum scripta inferunt Jesuitæ, oportet ut primùm eas è Patrum scriptis nobis demonstrent: Optimus enim, sicut Scripturæ, ita & Patrum interpres is est, non qui sensum Patrum dictis violenter infert, sed qui inde refert: Tum etiam religiosus & civilis cultus in primitivæ Ecclesiæ Patrũ scriptis ita sunt oppositi, ut tertium non habeant, & ex cultu religioso, tanquam unius veri Dei proprio, Deitatem sive Christi, sive Spiritus sancti demonstrent; quod fieri nequaquam posset, si invocationem religiosam *certo respectu* etiam aliis rebus creatis extra Deum competere credidissent. Videbimus aliquot testimonia.

XXIV.

In Primo Seculo.

Scripta primi seculi Ecclesiastica, quæ circumferuntur, pleraque sunt supposititia. Et sanè, quæ fuerit hoc tempore Ecclesiæ de Invocatione Angelorum sententia, non poterit accuratius, quàm è γνησίοις Apostolorum Scriptis in canonem redactis cognosci, quibus ultimam manum suâ Apocalypsi superimposuit D. Johannes Theologus, anno ut Baron. supputat, post Chr. natum 97. adeoque ad hujus seculi finem. Extant etiam tom. 1. Concil. *Constitutiones Apostolicæ*, quæ à Clemente Romano, *antiquo*, ut Baron. appellat, *Petri & Pauli discipulo*, congestæ dicuntur: Liber ille quidẽ *Clementis nomine supposità autoritate* editus, adeoq; *honesto confugio* Apocryphus dici potest, Baron judice tom. 1. ad an. C. sect. 17. & 19. quicquid etiam Turrianus pro eo vindicando contra Magdeburgenses deblaterârit, Attamen dicitur lib. 2. c. 32. *Non*

ad Deum omnipotentem accedere licet, nisi per Christum, quod eos attendere jubemus, qui hujus libri autoritatem magni faciunt.

XXV.

In Secundo Seculo.

Ignatius Antiochenus Episcopus, & discipulus Johannis Evangelistæ, Romæ à bestiis discerptus, martyrii coronam accepit Anno 107. sive, ut Baron. 109. Epistolas aliquot conscripsit, quarum Hieron. suo tempore septem recensuit, hodie verò prole dimidium aucta ita crevêre, ut factæ fermè sint quatuordecim; Recensent enim Ignatii Epistolas duodecim, quibus insuper alii addunt Epistolam ad B. Virginem, & Virginis ad eam responsionem: Baron. verò censore in illis Epistolis, ejus temporis *Orientalis Ecclesiæ facies propemodum viva redditur, atq; adeo, ut non tantum res tum gestæ, sed & Ecclesiastica disciplina & mores, & Apostolicæ ipsæ traditiones Apostolicarum Ecclesiarum, velut in tabulâ quadam eruditæ manus penicillo habeantur expressæ. Quæ enim Petrus & Paulus docuerunt Antiochenos, quæ ijdem atq; Johannes tradiderunt Asiæ Ecclesiis, quas ad pietatem instituerant, quæ eædem Ecclesiæ tradita susceperunt atq; servârunt, hæc eadem suis Epistolis Ignatius memorans atq; inculcans, illis custodienda præscribit*, ait tom. 2. annal. ad ann. Chr. 109. sect. 20. At verò Ignatius nuspiam Angelorum invocationem, ut ab Apostolo quopiam, sive Petrus sit, sive Paulus, sive quispiam alius, præscriptam tradidit & inculcavit, nuspiam in his Epistolis expressit, potiùs solum Deum precibus invocandum esse docuit Epistolâ ad Philadelph. quæ est inter septem ab Hieronymo recensitas (quas, etsi multis in locis interpolatas, Ignatii tamen esse docti volunt) αἱ παρθένοι μόνον τὸν Χριστὸν πρὸ ὀφθαλμῶν ἐχέτωσαν καὶ τὸν αὐτοῦ πατέρα ἐν ταῖς εὐχαῖς φωτιζόμεναι ὑπὸ τοῦ πνεύματος: *Virgines, ait solum Christum ante oculos habete in precibus, & patrem illius illuminatæ à spiritu.*

XXVI.

Ecclesia Smyrnensis in Epistola de Polycarpo Martyre, qui Smyrnæ martyrio coronatus est Anno Chr. 167. ait: ἀγνοοῦντες Ἰουδαῖοι, ὅτι οὔτε τὸν Χριστὸν ποτὲ καταλιπεῖν δυνησόμεθα τὸν σωτῆρ-

τῆς

τῆς τοῦ παντὸς κόσμου τῶν σωζομένων σωτηρίας παρόντες, οὐκ ἐπιρρίνα σεβειν. τοῦτον μὲν γὰρ ὄντα τοῦ θεοῦ προσκυνέω, apud Euseb. lib. 4. Histor. Eccl. c. 14. quæ verba Christophorsonus ita vertit: *At illud equidem miseri penitus ignorabant, nimirum nos non aliquando in animum posse inducere, ut vel Christum deseramus, qui pro salute omnium, qui in toto mundo salvi sunt futuri, crucis tormenta perpessus sit, vel alium quempiam aliquando colamus, ut Deum, Illum enim, qui verè Dei filius est, adoramus.* Ubi malâ fide & falsariâ manu illud *ut Deum* infarcit, quod in Græco non habetur, eoque ipso maturè Iesuitis diverticulum quærit.

X XVII.

Irenæus *vir Apostolicorum temporũ & Papiæ*, (ut & Polycarpi) *auditoris Evangelistæ Johannis discipulus, Ecclesiæ Lugdunensis Episcopus* fuit, ut Hieronymus de eo asserit epist. 29. *Apostolorum successor & priscus Theologus*, ut est apud Epiphan. hæres. 24. 31. quem *doctrinarum omnium accuratissimum exploratorem tum Tertull. prædicat, tum à patribus omnibus commendatur; Videas equidem in ipso Apostolicæ doctrinæ imaginem effulgere; quod enim à Polycarpo acceperat, & ille à Johanne, illibatè ipse custodiens communicavit Ecclesiæ: Quamobrem jure eum S. Hieronymus Apostolicorum temporum hominem nominat, licet multos post annos ab Apostolis vixerit, quippe qui ipsum vultum Apostolicum in omnibus redderet*, ut Baronii judicium habet de Iren. tom. 2. ad Ann. Chr. 205. sect. 30. Scripsit hic Irenæus circa annum Chr. 175. tempore Eleuteri aut circiter; & vero hic autor disertè testatur, *hæreticos fuisse usos Angelorum invocationibus*, l. 1. adv. hær. c. 23. formam invocationis exprimit cap. 35. *ô Angele te oro*: Ecclesiæ veræ praxin illis opponit l. 2. c. 57 pag. 160. *Non est numerum dicere gratiarum, quas Ecclesia à Deo accipiens in nomine Jesu Christi per singulos dies in opitulationem gentium perficit, nec invocationibus Angelicis aliquid facit, nec incantationibus, nec aliquâ pravâ curiositate, sed mundè & purè & manifestè orationes dirigentes ad Dominũ, qui fecit omnia, & nomen Domini nostri Jesu Christi.* Sic lib. 2. adverss. hær. c. 58. *In illius* (Christi) *nomine, qui verè sunt illius discipuli ab illo accipientes, gratiam perficiunt ad beneficia reliquorum hominum.* Hæc Irenæus, in quo, Baronio te-

ste, Apostolicæ doctrinæ imago, & vultus Apostolicus refulget. Angelica ergo invocatio, quam suo tempore gliscentem fortiter Irenæus repressit, Apostolicæ doctrinæ imaginem & vultum non refert.

XXVI.

Clemens *Alexandriæ* κατηχήσεων *Magister fuit: feruntur ejus insignia volumina, plenaq; eruditionis & eloquentiæ, tam de scripturis divinis quam de secularis literaturæ instrumento*, ut ait Hyeron. de Script. Eccles. in Clemente, vir ejusdem judicio *omnium eruditissimus*, ut est Ep. 84. ad Magnum: in *cujus Scriptis quoq; tanquam in viva tabula Catholicæ Ecclesiæ mores & disciplinam invenire est expressum*, juxta Baron. tom. 2. ad an. C. 196. sect. 27. Floruit sub Severo Imperatore circa annum 196. Hic in l. 7 Stromatum, à quibus libris Stromateus dictus est, *Extrema est insciti*a, ait, *ab ijs qui non sunt Dij tanquam à Dijs petere, unde merito cum sit bonus unus Deus, ab ipso ex bonis alia quidem dari alia vero permanere precamur nos & Angeli.*

XXVII.

Tertullianus Afer, patria Carthaginensis, homo præstantissimi ingenij, quo *nil eruditius nil acutius* censet Hieron. in Epist. ad Magn. Orat. Rom. floruit itidem circa finem secundi & initium tertij Seculi sub Severo Impp. & præscriptionum libros circa annum C. 195. sive ut Baron. conijcit 197. confecit, Apologeticum vero pro Christianis, circa annum 199. vel ut Pamel. & Baron. observarunt, 201. elucubravit: Post *cum ad mediam ætatem Ecclesiæ presbyter permansisset, invidia postea & contumelijs Clericorum Romanæ Ecclesiæ ad Montani dogma delapsus est*, ut Hyeron. testatur in l. de script Eccles. in Tertull. Hic vero l. de præscript. p. 101. (quem ante defectionem conscripsit) *Simoniana*, ait, *disciplina Magia Angelis serviens, utiq; & ipsa inter idololatrias deputabatur & à Petro Ap in ipso Simone damnabatur* Quod sane ita intellexit Bellarm. quod Simonis ea hæresis fuerit, *qui Platonicos secutus docuerit quosdam Angelos adorandos esse quasi minores Deos qui & mundum fabricarint & per Prophetas locuti sint, nec posse ullum placare summum Deum, nisi per hos Angelos* l. 1. de B. S. c. 20. *quos per se ut aliquid valentes adhibere solebat Simon* ut ait Salmeron in Ep. ad Col. c. 2. Etsi ut

supra

supra vidi d. 2. th. 3. p. 30. seqq. hic Bellarmino Baronius alijq; sui gregales adversentur. Idem Tertull. in Apologet. (quem l. ut & illos contra gentes *cunctam seculi continere disciplinam* ait Hieron. in Epist. ad Magnum,) cap. 30. *Hæc ab alio orare non possum, quam à quo scio me consecuturum quoniam & ipse qui solus præstat, & ego sum cui impetrare debetur famulus ejus qui ipsum solum observo:* Item: *Nos pro salute Imperatorum Deum invocamus æternum Deum verum, Deum vivum, &c.* Huc facit quod in Apol. contra Gent. c. 32. negat *Christianos velle jurare per genios Cæsaris*, sed jurare asserit & concedit *per salutem Cæsaris, quæ omnibus geniis sit augustior.* Gentiles enim pro defectionis argumento habebant, quod Christiani juramentum illud *per genium*, gentilibus sanctissimum usurpare nollent, cogebant itaq; Christianos, ut non immolarent solum Dijs immortalibus, sed & per Cæsaris genium jurarent; Unde illa Proconsulis vox ad Polycarpum Martyrem: ὄμοσον τὴν καίσαρος τύχην, *Jura per Cæsaris fortunam*, ut Christophorsonus vertit, apud Euseb. l. 4. Hist. c. 14. p. 96. h. e. ut alii explicant, *per Cæsaris genium*, quia à cujusq; genio bonam aut malam cujusq; fortunam pendere existimabant, adeoq; idem erat per fortunam alicujus, aut per genium alicujus jurare, quo sensu Apul. l. 8. Metam. *Per fortunas vestros, genios sic ad meæ senectutis spatia validi latiq; veniatis, decrepito seni subsistite &c.* Et per hos Genios jurare, sive ut Tertull. ait, *dejerare* nolebant Christiani, ne honorem divinitatis conferrent ijs, quos pro dæmonijs habebant; Ubi si Tertull. aut quisquam Christianorum Angelos religiosè colere aut per eos jurare didicisset, aut vidisset per Angelos jurari jure meritoq; posse, per bonum Imperatoris genium quem Angelum custodem esse noverat, jurare non recusasset.

XXIIX.

In Tertio Seculo.

Succedit *Origenes Adamantius* qui *Alexandriæ Ecclesiasticam scholam tenuit succedens eruditissimo viro Clementi presbytero*, juxta

Hieron. ep. 65. vir sane, *cujus tanta vis ingenij tam profundi tam acris tam elegantis ut omnes penè multum longeq; superarit, tanta doctrina ac totius eruditionis magnificentia, ut pauca forent divinæ, penè sortasse nulla humanæ philosophiæ, quæ non penitius assequeretur*, ut ait Vincent. Lyrin. contra hær. c. 23. Pontificiis plerisq; *hæreticus* est ut eum Bell. appellat l. 4. de not. Eccl c. 9. *ab omni Ecclesia rejectus & ut hæreticus habitus*, ut ait Marinus Victorius Reatinus in Schol. ad Epist. Hieron. ad Avit. oper. Hieron. p. 646. adeoq; miratur Baronius vehementer, *post damnationem ejus ab Anastasio Papâ Pontificia autoritate inflictam, post ejusdem reprobationem in Sexta Synodo pronunciatam, post tot antiquorum patrum in id ipsum conspirantes sententias adhuc recentiores quosdam ausos esse pro eodem novas edere Apologias & autoritate totius Ecclesiæ judicatas sæpius controversias denuo temerè excitare quod visus est fecisse haut pridem Sixtus Senensis*, quæ Baronij verba sunt tom. 2. annal. ad ann Christi 256. sect. 40. Cui tamen Sixto sese quoq; adjunxit Gilbertus Genebrardus Parisiensis Professor, qui *Magnum & vetustum scripturarum Interpretem & secundum Ecclesiæ post Apostolos magistrum* appellat, cujus de Origene judicium encomiasticon testabitur Epistola editioni operum Orig. præfixa, ubi inter alia: *Ejus labores*, inquit, *plurimi sunt semper habiti & pluris semper habebuntur quamdiu Ecclesia in his inferioribus exulabit, ac ex illis cœlestis doctrinæ lac perpetuo sugent Catholici, seq; tuebuntur adversus omnium Seculorum hæreses.* Nostrum equidem non est, ut hujus viri patrocinium nobis sumamus, qui utut fuerit plane talis tantusve, ut *arcem totius scientiæ condiderit*, Vincentio Lyrinensi judice, suos tamen habuit nævos imo & errores nunquam à quoquam excusandos: Attamen & hoc attendimus Epiphanium Salaminæ Cypri Episcopum *Origeni infensissimum*, & Hieronymum *eodem in eundem stomacho* ut Baronius ait, partium uti videtur studio abreptos in Originem multa vehementius scripsisse, pro quo tamen Apologias Eusebius, Ruffinus, Gregorius Thaumaturgus prolixe prodidere, imo etiam inter antiquos patres præter Origo fermè reperiri neminem, cujus scripta & dicta acriorem & accuratiorem censuram, & rigidius examen passa sint, neminẽ ferme, cui plura invidiæ Zelo, quæ virtutis comes est,

affictâ sint, neminem, sub cujus autoritate suppositâ plura scripta in publicum prodierint, qui non ut alieni sed ut Origenis & leguntur & amantur: Baronius ipse eum à crimine lapsus & apostasias absolvit, dicitq; *patens commentum & affectatam calumniam*, tom 2. ad an. C. 235. n. 107. seqq. quod illi intentare voluit Epiphan. hæresi 64. Utut vero sit, nos Origenem contra Pontificios tuto in aciem producimus, ejusq; libros contra Celsum, *insigne illud, laboriosum multarumq; lucubrationum, opus cæptum Gordiani tempore*, Anno Christi 243, ut testatur Baron. tom. 2. ad an. 243. sect. 3. Ita vero ait l. 5. contra Cels. p. 479. edit. Paris. Anno 604. ex versione Sigismundi Gèlenij: *Omnia vota, omnes interpellationes deprecationes & gratiarum actiones destinandæ sunt ad Deum rerum omnium Dominum, per majorem omnibus Angelis summum Pontificem, vivum verbum & Deum. Gratias agemus etiam ipsi verbo interpellabimus, vota & preces ei offeremus, modo intelligamus, quomodo hæc accipiantur vel abusivè vel propriè: Angelos enim invocare absq; ipsorum cognitione cujus homo capax non est, non videtur rationi consentaneum: Atq; ut demus ab homine comprehendi miram quandam & arcanam eorum naturæ noticiam, officiorumq; quibus funguntur singuli, hoc ipsum cohibebat ne quis audeat offerre preces nisi Domino soli, qui unus abundè sufficit per servatorem nostrum Dei filium*: Et paulo post: *Quia & cœlestes Angelos nemo adorat, qui sese legi Mosis subdidit, & sicut solem lunamq; & astra ornamenta Mundi adorare non audent, sic nec cœlestes Angelos inhibiti lege sic præcipiente.* Et rursum: *Judicamus non opus esse, ut precibus sollicitemus eos qui ipsi precantur, quandoquidem id gratius est eis, si precaturi Deum potius accedamus, quam se, & preces nostras non dividamus: &c.* Cum Origeni Celsus obiiceret, *supremo Deo non posse displicere, si etiam alij inferiores quos Dæmonas appellabant votis & supplicationibus colantur, ut hominum causas apud supremum Deum adjuvent*, Origenes non contendit, ut hodie Pontificij, loco Dæmonum Platonicorum sollicitandos esse Angelos, sed consuetudinem illam ut malam & honori Dei injuriam graviter increpat, Deumq; unice invocandum esse asserit l. 8. contra Cels. in princ. *Ipsi*, ait, *Deo omnibus præsidenti per unigenitum ipsius filium supplices vota offerimus, cui supplicamus, quandoquidem nostrorum peccatorum ille sit propitiatio, ut tanquam Pontifex nostras DEO*

offerat

offerat preces. Item: Deus solus est adorandus unigenitusq;, & primogenitus omnis creaturæ Deus verbum suppliciter & ut pontifex est deprecandus, ut nostras, quæ ad se pervenerint, preces ad DEum referat. Cum vero Celsus seculi consuetudinem urgeret, quâ non reges tantum sed potentiores quoq; regni & secundum eos reges placandi sunt, Origenes regerit, *licet plena sit hæc vita exemplorum, quod primum potentiores placentur & secundum hos reges, unus tamen nobis placandus est Deus, & ut propitius sit exoptandum, qui utiq; pietate & virtute placatur, Quod si quis alios velit præter Deum omnipotentem placatum iri, Celsus intelligat, sicut corpus hoc cum movetur & umbram habet se subsequentem, sic item & qui summum Deum placarit, & illius amicos ut propitios habeat, sequitur, Angelos sc. animasq; & Spiritus cæteros beatiores, quippe qui simul sentiant, quinam Dei sint benignitatem promeriti. Nec solum se hi erga dignores quosq; pròpitios reddunt, sed & Deo gratificari volentibus opitulantur, hisq; & placabiliorem hunc faciunt unaq; & supplicant & precantur &c.* Item: *Quanto satius est &c: concredere se Deo uuiversorum Domino per Iesum Christum nostræ doctrinæ autorem & ab illo poscere omne auxilium & Sanctorum Angelorum justorumq; custodiam ut nos liberent à circumterraneis Dæmonibus:* Ita vides non docuisse Origenem Celsum ut ab Angelis sed ut à Deo Angelorum peteret auxilium. Item: *Ascendit ad summum Deum is qui eum inseparabiliter & indivisibiliter colit per Iesum Dei filium cujus solius ductu pervenitur ad patrem:* Item: *Unum Deum & unum ejus filium ac verbum & imaginem quantum possumus supplicationibus & honoribus veneramur, offerentes Deo universorum Domino preces per suum unigenitum, cui prius eas adhibemus, rogantes ut ipse, qui est propitiator pro peccatis nostris, dignetur tanquam Pontifex preces nostras & sacrificia & intercessiones offerre Deo Optimo Maximo &c:* Hæc & alia plura in hanc rem Origenes in scripto contra Celsum, commentario, quo doctiorem forte non vidit antiquitas, vel ut ut ipse Baron. testis est, *omnium celeberrimo, quo cum Celsi tum & gentilium omnium ac Judæorum* (addo, & Pontificorum) *disjecit in Christianam pietatem molitiones & arietes comparatos*, tom. 2. annal. ad an. 243. Sect. 3. & Pontificiam illam Angelos invocandi consuetudinem in Celso fortiter repressit, soliq; vero Deo invocationis

vocationis & adorationis gloriam in solidum vendicavit: Nec est, ut Jesuitæ hoc inter Origenis errores referant, quia utut accurate & exacte libros ejus pervestigarint, & quæ virgulam censoriam mereri videbantur, omnia notarint Epiphan. Hieron. & si qui sunt alij Origenis adversarij, hæc tamen ipsa, quæ Origenes contra Celsum prolixe de Invocatione docuit, non Angelos sed unum verum Deum invocandum esse, nuspiam videas legasve in Origene reprehensa: Quod argumento esse potest, Origenis seculo, neq; probatam neq; receptam in Ecclesiâ fuisse invocationē Angelicam: Extat quidē in Homil. 1 super Ezech p. 391. apostrophe, qua Angelos alloqui videtur: *Veni Angele, suscipe sermone conversum ab errore &c.* verum, rhetorica hæc apostrophe ad Angelos facta, neutiquam vero invocatio religiosa est, quibus apostrophis & in commodis locutionibus fateor, postea factum esse, ut paulatim consuetudo Angelos invocandi in Ecclesia obtinuerit. Perronius Cardinal. pompose, sed admodum Jesuitice, citat pro invocatione Angelorum Origen. l. 8. contra Celsum: *Sic item & qui summum Deum placarit, & illius amicos ut propicios habeat sequitur, Angelos se. animasq; & Sp. cæteros beatiores, quippe qui simul sentiant, qui nam Dei sint benignitatem promeriti: Nec solum se hi erga digniores propitios reddunt, sed & Deo gratificari volentibus opitulantur hisq; & placabiliorē hunc faciunt &c:* Jesuiticè inquam, quia verba quæ immediate præcedunt, *unus nobis placandus est Deus* &c: præterit, sicut & quæ immediate sequuntur, τῷ θεῷ μύριαι ὅσαι ἄκλητοι συνεύχονται δυνάμεις ἱεραὶ, corrumpit, & illud ἄκλητοι, *non invocati*, quia Perronij causam solidè convellit, turpiter omittit: Tum vero nil aliud asserit h. l. Origen. nisi quod Angeli pro nobis intercedant, de quo quæstio non est, illam vero quam Perronius inde probare satagit, Angelorum invocationem diserte negat. Sed de Origene plus satis.

XXIX.

In Quarto Seculo.

Initio quarti seculi, Anno ut Baron. conjicit 302. aut circi-

ter contra gentes scripsit Arnobius, *in Africa Rhetor clarus, qui quum in civitate Siccæ ad declamandum juvenes erudiret, & adhuc Ethnicus ad credulitatem somniis compelleretur, atq; ab Episcopis impetraret fidē quam semper impugnaverat, elucubravit adversus pristinam religionem luculentissimos libros, & tandem veluti quibusdam obsidibus pietatis fæd9 impetravit.* ut dè eo infit Hieron. in append. Chron. ad Euseb. Hic vero l. 1. contra gentes p. 19. Christianæ religionis statutum ait esse, *Deum principem rerum cunctarum quæcunq; sunt Dominum, summitatem omnium Summorum obtinentem adorare, obsequio venerabili invocare, in rebus fessis, totis, ut ita dixerim sensibus amplexari, amare, suspicere*: Paulo post: *Qui aut summum Imperatorem nescit, aut ignorat à nobis quotidianis ei precibus supplicari, qui si pectorum secreta nesciret, nec quid in intimis sensibus contineamus agnosceret, summum tamen invocare nos Deum & ab eo quod postulamus orare, vel auribus potuit scire, vel ipsius vocis sono, qua utimur in precibus noscitare.* Item: *Nihil sumus aliud Christiani, nisi Magistro Christo summi regis ac principis veneratores, nihil, si consideres, aliud invenies in ista religione versari: Hæc totius summa est actionis, hic propositus terminus divinorum officiorum, hic finis, huic omnes ex more prosternimur, hunc collatis precibus adoramus, ab hoc justa & honesta, & auditu ejus condigna deposcimus:* Item: *Deum colimus rerum patrem, atq; ab eo deposcimus rebus fessis languentibus tutamina*: Et l. 2. contra gent. *Hanc* (Christum) *omnipotens imperator esse voluit salutis, hanc vitæ ut ita dixerim januam, per hoc solum est ingressus ad lucem, neq; aliis datum est vel irrepere, vel invadere, cæteris omnibus clausis, atq; inexpugnabili arce munitis*: Omnium evidentissimè l. 3. contra gent. in init. ubi gentilium objectionem recenset qui ita: *si vobis* (Christianis) *divina res cordi est, cur alios nobiscū neq; Deos colitis, neq; adoratis nec cum vestris gentibus communia Sacra miscetis, & religionum conjungitis ritus?* Quibus, *possumus*, ait Arnob. *interim dicere, ad cultum divinitatis obeundum satis est nobis Deus primus, deus inquam primus, pater rerum ac Dominus, constitutor moderatorq; cunctorum, in hoc omne quod colendum est colimus, quod adorare convenit adoramus, quod obsequium venerationis exposcit, venerationibus promeremur. Cum enim divinitatis ipsius teneamus caput, à quo ipsa divinitas divinorum omnium, quæcunq; sunt ducitur, supervacuum putamus*

per-

personas ire per singulas &c: Atq; ut in terrestribus regnis necessitate nulla compellimur regalibus in familiis constitutos nominatim cum principibus adorare, sed in regum ipsorum cultu, quicquid illis annexum est, tacita vi se sentit honorificentia comprehendi, non alia ratione quicunq; hi dij sunt, quos esse nobis proponitis, si sint progenies regia & principali oriuntur è capite, etiamsi nullos accipiant nominatim à nobis cultus, intelligunt se tamen honorari communiter cum suo rege, atq; in illius venerationibus contineri. Hæc Arnobius, testis perquam evidens, quod ijs temporibus Christianorum religio fuerit, Unum verum Deum invocare & adorare, neq; quenquam alium hoc honore ulla ratione dignari: Cum enim fideles eo nomine apud atheos male audirent, quod non nisi solum verum Deum invocare didicissent, neq; alios extra Deum, quos invocarent, agnoscere vellent, non Angelorum aut Sanctorum invocationem & cultum obvertit Arnobius, (quod tamen ad declinandam invidiam commodè jureq; debuisset, si Pontificio more Angelorum invocationem noviſſet) sed Christianam simplicitatem iterum iterumque prætendit, quæ non nisi uni vero æterno Deo, nequaquam vero ulli creaturæ adeoq; ne Angelis quidem invocationis & adorationis religiosæ cultum deferre ex legis præscripto teneatur.

XXX.

Lactantius Arnobij discipulus, quem *eloquentiæ Tullianæ fluvium* Hieron. in epist. ad Paul. de instit. Monachi appellat, libros Institutionum adversus gentes tempore Imp. Constantini edidit, eidemq; etiam dedicavit, Anno 320, aut ut alij, 322, Hic l. 2. Instit. de Orig. error. c. 17. p. 124. edit. An tuerp. *Nec est in Angelis*, ait, *quicquam nisi parendi necessitas; Itaq; nullum sibi honorem tribui volunt, quorum honor in Deo est.*

XXXI.

Athanasius in Ecclesia Græca Alexandro Episcopo Alexandrino in Episcopatu successit Anno C. 326. Hic in scriptis suis ex invocatione Christi veram ejus divinitatem asseruit, soliq; vero Deo invocationem designavit, Sic tom. 1. disp. 1. contra Arr. *Isti autem* (Ariani) *cum Christum creaturam pronunciant, illi tamen quanquam creaturæ religionis cultu ceremoniisq; inserviunt: Quid igi-*

tur quæso ab Ethnicis differunt? Orat. 2. contra Arr. *Sancti non postulant à creato aliquo ut sit auxiliator. Christus ergo, cujus auxilium Sancti invocant, est verus Deus.* Item. *Agnoscunt quod Sancti creatum non dignantur fieri auxiliatorem sibi & domum refugij.* Orat. 3. contra Arr. *Angelus Johannem in Apocalypsi se adorare volentem non admisit dicens: vide ne feceris &c: Quocirca solius numinis est adorari, neq; id ab Angelis ignoratur, qui quanquam cæteros gloriâ transcendunt, creaturas tamen se esse neq; in classibus adorandorum sed adorantium Dominum agnoscunt se computari debere.* Item: *Creatura non adorat creaturam sed Deum. Christus ergo quia adoratur Deus est.* Orat. 4. contra Arr. *Nunquam quisquam precaretur accipere à Deo & ab Angelis aut ullis rebus creatis, neq; quisquam hanc verborum formam concepit, Det tibi Deus & Angelus, sed contra à patre & filio, propter unitatem uniformemq; rationem dandi.* Vides Iesuita, Arianos gentilib. annumerari ab Athanasio, quia Christum invocabant, quem meram creaturam esse volebant: vides invocationem & adorationem soli Deo vendicari, & ex invoca tione Christi veram Deitatem ab Athanasio demonstrari, quæ omnia, si tuæ hypotheses eo tempore obtinuissent, si Athanas. invocationem quandam alijs extra Deum jure tribui posse didicisset, si certos in invocatione gradus agnovisset, frustra contra Arianos tentasset.

XXXII.

Eusebius Cæsariensis, Athanasio σύγχρονος, etsi quod Origenes ante sparserat, passimq; radices egerat, *animas Sanctorum virtutem quandam habere & post mortem rebus humanis auxiliari* dicat l. 12. de præp: Evang. c. 1. *totius* tamen *orbis Pontifici communi Christo Jesu gloriam preces tanquam sacrificia nostra concreta materiæ expertia Deo patri offerendi & pro nobis intercedendi* designat l. 10. Hist. Eccl. c. 4. Sic l. 4. de præpar. Evang. c. 5. *Nos solum omnium DEUM religiosè colere edocti sumus*, c. 10. *illi soli τὸ προσηκον σέβας debitam venerationem tribuimus.* Et l. 7. Hist. Eccl. c. 10. memorat Dionysium Episcopum Alexandrinum dixisse: τὸν θεὸν τὸν ὄντα μόνον καὶ οὐκ ἄλλον τινα σέβω. *Illum qui solus est Deus & nullum alium veneror.* Hoc tamen ipso tempore & sequioribus illa

illa vulgi opinio de Sanctorum & Angelorum interceſſionibus, jam ante tanquam probabilis ſententia in patrum ſcriptis ſparſa, vires acquiſivit eundo, paſſimq; cæpit obtinere, ipſis etiam patribus occulte & ignoranter ad vulgi opinionem abreptis, ſuisque apoſtrophis & rhetoricationibus Sanctorum & Angelorum invocationi occaſionem paulatim & tacite promoventibus.

XXXIII.

Concilium Laodicenum, *ſecundum quosdam in fine Liberij, ſecundum alios in initio Damaſi Papæ primi* (qui circa annum 368. electus eſt, magna populi contentione) *ſervatum ſeu celebratum*, ut eſt tom. 1. Concil. p. 451. edit. Colon. anno 1567. diſertis verbis illam Angelorum invocationem proſcribit, Can. 35. ὅτι οὐ δεῖ χριστιανοὺς ἐγκαταλείπειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ καὶ ἀπιέναι καὶ ἀγγέλους ὀνομάζειν: &c: *Quod non oportet Chriſtianos relicta Dei Eccleſia abire, & Angelos nominare, vel congregationes facere, quod eſt prohibitum, ſi quis ergo inventus fuerit huic occultæ idololatriæ vacare, ſit anathema, quia reliquit Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & acceſſit ad idololatriam*: ut verſio habet Gentiani Herveti: Hic vero ut Canonem illum eludant, ejusq; fulmen elidant, Jeſuitæ maxime deſudant: Surius Canonem falſariâ manu temerare, & pro Angelis Angulos in margine ſufficere auſus eſt: *Non oportet Chriſtianos relicta Dei Eccleſia abire & Angulos nominare*: Sat temere, & contra fidem Codicum, patrumq;, qui canonem citarunt, adeoq; à cæteris ſuis gregalibus, quod ego quidem ſciam, derelictus eſt: Sane non ita legit hunc Canonem Theodor. in Coloſſ. 2. ut inferius patebit, non Gentianus Hervetus, non Baronius, non Bellarm. non Perronius, non denig; qui hunc canonem citarunt, alij: Bellarm. l. 1. de B. S. c. 20. ait, *Concilium non damnare quamlibet venerationem Angelorum, ſed eam quæ Deo propria eſt*, Perronius, autore Molineo, dicit, *Concilium eos damnare, qui Angelos ita nominari & invocari contenderint, ut Deum & Chriſtum voluerint eſſe excluſum, & ideo dici, illos relinquere Dominum noſtrum Jeſ. Chriſtum &c*: Becan. tom. 1. op. 14. c. 21 ait, *Concilium in illo Canone non damnaſſe venerationem Sanctorum Angelorum, ſed malorum, quos aliqui Magiæ cauſâ invocare ſolebant & venerari*: Baronius tom. 1. Annal. ad ann. Chriſt 60. n. 22. 23. ait, *Synodum illam nequaquam*

rectum Angelorum cultum imminuere, sed eum qui ex gentibus erat contra divinitatis numen efficere, sicut cum in superiori canone illos damnet, qui relicto cultu sanctorum martyrũ, falsos adirent hæreticorum martyres, Ita etiam sequenti Canone ait *gentilium idolorum sectantes errores cõdemnari &c. & si eadem Synodus cultum veri martyris recipit, multo magis* putat *oportuisse* idem Baron. *Angelorum cultum recipere, quia ut Sublimiori naturæ cultus potius debetur Angelis quam hominibus, adeoq; expreßè patere* ait, *quod sicut superiori Canone recipiens synodus cultum veri martyris à pseudomartyrum cultu fideles cohibuit: Ita & sequenti, falsorum Angelorum, eorum nimirum quos venerarentur idololatræ, venerationem prohibuerit, alludens fortasse ad genij cultum, cujus gratia gentiles diem natalitium celebrantes affines & amicos convocarent, & hoc fit, quod ait Canon: Ad Angelos idololatriæ abominandæ congregationes facere, vel,* quod verius existimat, *quod Magi ad suas magias perficiendas non tantum Dæmones sed & Angelos se invocare profiterentur hocq; honesto nomine velarent turpißimas impostoras*: Hæc in vel potius contra hunc Canonem Jesuitæ, quibus alias solemne est, sine fronte & sine pudore aliorum optimè dicta pervertere, flectere, torquere pro arbitrio: Equidem verum est I. Concilium canone isto *non damnare quamvis venerationem Angelorum*, ut Bellarm, neq; *rectum Angelorum cultum imminuere*, ut verè Baron ait, sed asserere potius & vindicare, quem neq; nos damnamus, aut imminuimus, aut ulla ratione imminutum volumus, sed fortiter potius asserimus, quando non Angelis sed soli vero Deo invocationis cultum, deferendum esse unâ cum Concilio contendimus: Verum II. & hoc, damnari Canone illo *venerationem eam Angelorum quæ Soli Deo propria est*, ut itidem ait Bellarm. quia non aliam invocationem religiosam agnovit, quam quæ est Soli Deo propria, & ideo quia soli Deo propria est, Angelis denegandã esse censuit: Probet itaq; Bellarm. aut si quis est ejus ὑπερασπιστὴς, aliã quandam inferiorem invocationem ab illa suprema soli Dei distinctam, à Concilio vel agnitam vel probatam fuisse, quæ Angelis jure deferri possit, eamq; si vir est, é Canonibus Concilij nobis exsculpat, nõ Canonibus per vim intrudat. Verum item III. quod

Synodus

Synodus damnet illos, qui *adirent falsos hæreticorum martyres*, ut Baron. ait, vel potius jubeat ut Canon 34. habet, *quod non oporteat omnem Christianum Christi martyres relinquere, & ad falsos martyres h. e. hæreticos abire, vel eos qui prius hæretici fuere: Hi enim sunt à Deo alieni;* sed quod hoc ipso cultum verorum martyrum (religiosum) ordinet præcipatque, nondum inde exsculpsit Baron. Quomodo coli voluerit Concilium veros martyres, videre licet ex Can. 51. ubi, *Non oportet*, inquit, *in quadragesimâ martyrum natales peragere, sed Sanctorum martyrum facere* commemorationes *in Sabbathis & Dominicis*: Sanctos ergo Martyres colendos esse vult non religiosâ invocatione, sed pia facta eorundem commemoratione, & concelebratione natalium, ubi Deo gratiæ actæ pro eorundem in Ecclesiam meritis & virtutibus, tum etiam laudes eorũ recensitæ: Et hoc modo prohibet Concilium ne eatur ad ψευδομάρτυρας, h. e. eos qui hæretici fuere, neq; eorundem aut natales aut cõmemorationes celebrentur, quia à Deo alieni fuere: Falsum vero est IV. quod Synodus illa *falsorum & malorum solum Angelorum venerationem* prohibeat, alludatq; *ad genij cultum gentilicium*, aut respiciat *ad Magorũ consuetudinem, qui Angelos ad magias perficiendas invocare consueverint*, ut iterum ineptiunt Becan. & Baron. aut quod *gentiliũ idololatriam proscribat*, qui Christo & Deo excluso Angelos invocarint, uti nugatur Card. Perronius: Nam *qui legem defendebant, ad Angelos colendos inducebant, dicentes fuisse legem per illos latam, quocirca Synodus quæ convenit Laodiceæ, quæ est Phrygiæ metropolis lege prohibuit ne precarentur Angelos & in hodiernum usq; diem licet videre apud illos, & eorum finitimos oratoria S. Michaëlis*, ut ait Theod. in Coloss. c. 2. Non ergo falsi erant Angeli, quos in vocare sese prætendebant, qui hic damnantur, quia videre licet apud eos oratoria *S. Michaëlis*: At num Michael falsus aut malus Angelus? Neq; gentilium cultus quem Genijs excluso Christo deferebant, sed hæreticorum prohibetur, *qui legem defendebant*, quiq; dicebant, *Deũ universorum nec cerni nec comprehendi, nec ad eum posse perveniri, & oportere per Angelos divinam benevolentiam sibi conciliari*: Neq; Gentilibus, aut Judæis sed ijs qui Christianos sese profitebantur, Concilium (sicut solent concilia, quæ hominibus in Ecclesia

clesia leges sanciunt & anathemata figunt) leges sancit & pœna anathematis cœrcet, adeoq; non ijs loquitur, qui Christum & Deum ab invocatione penitus excluſum volebant, quod athei & gentiles forte feciſſent, ſedeos, qui Chriſtianos ſeſe profitebantur, & hæreticos potius arguit, qui putabant *oportere per Angelos divinam benevolentiam ſibi conciliari.* Quod vero de illis hæreticis Concilium dicit, *illos derelinquere Dominum Jeſum & accedere ad idololatriam,* illud non ex hæreticorum ὑποθέσει, ſed rei veritate eſt dictum, qui vere dum invocant Angelos, Ieſum Chriſtum derelinquunt, & ad idololatriam accedunt, etſi ſeſe nil minus facere arbitrentur: Aliud enim eſt loqui de intentione & judicio hæreticorum, qui putabant, coli Deum, & Chriſtum non derelinqui, ſi accederetur per Angelos, aliud de intentione & judicio Concilij, quod juxta Dei verbum illam Invocationem Angelorum ita interpretatur, quod eâ ipſa derelinquatur Chriſtus & accedatur ad Idololatriam, quia contra Chriſti officium, Deiq; revelatam voluntatem vergit. Et idem ſibi quoq; dictum habeant Pontificii, qui etſi *ſuo judicio* videri nolint Chriſtum derelinquere, dum Angelos invocant, *Dei* tamen *judicio* vere derelinquunt, & ad idololatriam accedunt, quia ſolius Chriſti gloriam alteri tribuunt. Et hæc de Canone Concilij Laodiceni, cui & hoc ſuperaddimus, quod Concilia Apoſtolorum temporibus viciniora, ne verbulo uſpiam ullo Invocationis illius Sanctorum Angelorum mentionem fecerint.

XXXIV.

Hilarius Pictavienſis Epiſcopus circa medium tertij ſeculi & annum 350. floruit, qui etſi *Angelos* dicat *orationes deprecantium ad Deum deferre, & intercedere pro nobis* in Pſ. 124. invocationis honorem tamen non Angelis, ſed ſoli vero Deo tribuendum eſſe docet, quem ideo Chriſto deſignat, quia verum Deum eſſe credit: *Adeſt enim & cum fideliter invocatur per naturam ſuam præſens eſt, & ei qui in eum credit, aſſiſtit.* ut ait cit. l. in Pſ. 124. Sic alibi m. Pſ. 129. *Deus ubiq; eſt, & ubiq; adeſt, audit videt, efficit, ſed orandus à nobis eſt, ut ſecundum precem noſtram adſit, audiat, videat, efficiat: Natu-*

ra ſua

ræ suæ est, ut audiat, sed fidei nostræ est ut precemur audiri &c. Ubi invocationem vero Deo tribuit, ejusq; fundamen omnipræsentiam esse vult, quæ soli Deo competit.

XXXV.

Epiphanius Salamine Cypri Episcopus, hæresium confutationem scripsit Anno C. 374. Mascule vero illam, suis temporibus gliscentem de Sanctorum & Angelorum invocatione sententiam repressit, occasione data per mulierculas stato anni tempore Mariæ collyridem offerentes; DEUS inquit hæres. 79. *Angelos adorari non vult*: Et paulo post: *Neq; Angeli capiunt talem glorificationem*: Sic hæres. 74. *Spiritum S. esse Deum non creaturam inde* probat, *quia religiose adoratur*, & subnectit οὗ λατρεύεται δὲ ἡ κτίσις *Non adoranda creatura est*: Hæres. 64. πῶς ἔτι προσκυνητὸς ἐὰν ἔργον πιητὸς *Quomodo adhuc erit adorandus si factus fuerit?* & postea: κατὰ τὴν εὐσεβῆ πίστιν τὴν μηκέτι κτίσει προσκυνοῦσαν, ἀλλὰ τῷ κτίσαντι: *Secundum piam fidem quæ non adorat creaturam sed creatorem*: Item πᾶν δὲ τὸ κλιστὸν δὲ προσκυνητόν: *Nullum creatum adorandum est*: Hæc Epiphanius, qui Angelis & omni creaturæ adorationem proindeq; & invocationem religiosam denegandam soliq; Deo vendicandam esse censuit.

XXXVI.

Ambrosius eodem anno quo Epiphan. contra hæreses scripsit, Mediolanensis Episcopus factus est, qui l. de Isaac & an. C. 8. *Christus*, inquit, *est oculus noster, ut per illum videamus patrem, Ipse est vox nostra per quam loquimur ad patrem, Ipse dextera per quam Deo patri sacrificia offerimus*: In Orat. super obitu Theod. *Tu solus Dominus invocandus es, tu rogandus* l. 1. de fide ad Gratian. c. 7. *Prohibuit me Paulus creaturæ servire, sed Christo admonet serviendum, non ergo creatura Christus. Paulus, inquit, servus Jesu Christi, Bonus servus, qui Dominum recognoscit, ipse creaturæ servire nos prohibet, quem ad modum ergo Christo Domino ipse serviret, si creaturam Christum putaret?* l. 2. de Sp. S. c. 6. *Si igitur creator est Spiritus, non est utiq; creatura, creaturam enim Apostolus creatorem q; divisit, dicens, servierunt creaturæ potius quam creatori, simul creatori admonet serviendum damnando eos, qui*

serviunt creaturæ cum creatori servitium debeamus: Et quoniam creatorem Spiritum noverat, docet eidem serviendum, dicens, videte canes &c: Nos enim sumus circumcisio quia Spiritui Deo servimus &c: E. si serviendū dicat Spiritui idem Apostolus, qui non creaturæ sed creatori asserit serviendum, evidenter utiq; ipse Sanctum ostendit Spiritum creatorem, & in æternæ divinitatis honore venerandum, quia scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies: Quibus verbis Ambrosius Duliam ut vocant, sive servitutem religiosam soli Deo tribuit, & exinde veram Sp.S Deitatem demonstrat, eoq; indicat Angelis illam neutiquam deferri posse, Eadem habet l. 3. de Sp.S. c. 12. Sic in comm. Epist. ad Coloss. c. 1. *Cuncta in ipso constant, quia in omnibus ipse primatum tenet, ut si quis alicui elementorum aut ANGELORUM vel potestatum devotum se debere esse putet, errare se sciat.* Idem Ambros. vel si quis alius autor est commentariorum in Epist. ad Rom. quæ sub nomine Ambrosij circumferuntur, quem Bellarm. putat floruisse Anno 372. l. de Script. Eccl. p. 98. disertis verbis illam ad Sanctos & Angelos factam precationem refutat comm. in c. 1. *Ad Deum*, ait *quem utiq; nihil latet, omnium enim merita novit, ad promerendum suffragatore opus non est, sed mente devotâ, Ubicunq; enim talis locutus fuerit ei respondebit* ille &c: Vide integrum locum, & videbis plusculas Jesuitarum exceptiunculas ab illo autore contundi: Objicit Becan. & sui cum illo gregales locum ex libro Ambr. de viduis p. 185. ubi, *obsecrandi sunt*, inquit, *Angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt.* Sed, si quisquam alius, sane Ambrosius optimus pater falsariam manum in suis scriptis passus est, uti in Censs. Ambr. & in præfat. N. T. conqueritur Erasm. eamq; hunc quoq; librum involasse fatebuntur, puto, illi, qui verba legerunt huic ipsi loco addita *martyres*, sc. *proprio sanguine etiam si quæ habuerint peccata laviſſe!* Quis hæc tribuat tanto patri, tam pio & orthodoxo, quæ ne ipsos quidem saniores Pontificios ullo modo probare posse confido, quia Christus is unice est, qui proprio Sanguine nostra peccata lavit 1. Joh. 1. 7. Ap. 1. 5? Et vero si autor est libri illius de viduis Ambrosius, primis suæ initiationis annis illum scripsit adhuc juvenis, in oratione vero super obitu Theodos., quam paulo ante obitum habuit,

buit, φροντίδας habuit σοφωτέρας, cum enim Theodosius diem obijt, jam per annos pene quindecim Episcopatu functus erat Ambrosius.

XXXVII.

Hieronymus florere cepit anno 372. quo, cum triginta jam annorum esset, literas Hebraicas didicit, occasione vero datâ à Vigilantio in Gallia orto Ann. 390. multa de Sanctis contra illum, &, uti videtur, vehementius scripsit. *Quando* enim, ut de eo ait B. Chemnitius, *aliquem sibi refutandum proponit, omnino nimis hyperbolicus est, & acerbitas illius & hyperbolica vehementia etiam sui temporis hominibus displicuit.* Honorem tamen Sanctorum ita contra Vigilantium asseruit, ut nuspiam invocari aut adorari debere contenderit, quod sane non intermississet, si consuetudo Angelos religiose colendi tum in Ecclesia obtinuisset, & modum sive rationem Angelos religiosè colendi ad declinandam calumniam explicare debuisset, qui tamen nihil in invectivâ adversus Vigilantium, nihil, inquam, habet de Invocatione Angelorum: Potius contrarium asserens, *Nos autem,* ait, *non dico Martyrum reliquias, sed ne solem quidem & Lunam, non Angelos, non Archangelos, non Cherubim, non Seraphim colimus & adoramus ne serviamus creaturæ potius quam creatori,* ut ait. tom. 2. Epist. 53. ad Ripar. p. 118. Angelorum ergo adorationem, adeoq; & invocationem diserte satis improbavit.

XXXVIII.

Joh. Chrysostomus Hieronymo σύγχρονος, Episcopus Constantinopolitanus constitutus est Anno 398. in fine hujus tertij seculi: Hic quid de Invocatione Sanctorum statuerit, dicetur suo loco: Quo loco Invocationem Angelorum habuerit ex seqq. constat. Hom. 7. in Epist. Col. f. 1360. edit. Commel. *Sunt quidam, qui dicunt non oportere per Christum adduci sed per Angelos, illud enim est majus quam ut id possimus assequi:* Homil. 9. in Epist. ad Col. f. 1380. ἢ τοῦτο φασὶν κατὰ θεὸν πάντα καὶ λέγετε καὶ πράττετε, μὴ τοὺς ἀγγέλους ἐπεισάγετε. *Aut hoc dicit* (Paulus) *secundum Deum omnia & dicite & agite, nolite Angelos introducere:*

Et paulo post: διὰ τοῦτο διάβολος τὰ τῶν ἀγγέλων ἐπεισήγαγε, βασκαίνων ἡμῖν τῆς τιμῆς. Τῶν δαιμόνων τοιαῦτα αἱ ἐπῳδαί. κἂν ἄγγελος ᾖ, κἂν ἀρχάγγελος, κἂν τὰ χερουβὶμ μὴ ἀνέχου: ἐπὶ οὐδὲ αὗται αἱ δυνάμεις καταδέξονται, ἀλλὰ καὶ ἀποσείσονται, ὅταν ἴδωσι τὸν δεσπότην ἀτιμαζόμενον, ἐγώ σε ἐτίμησά, φησι, καὶ ἔπαν ἐμὲ κάλει, καὶ σὺ ἀτιμάζεις αὐτόν: *Propterea Diabolus introduxit ea, quæ sunt Angelorum, nobis honorem invidens, Dæmonum tales sunt incantationes, etiamsi sit Angelus, etiamsi Archangelus, etiamsi Cherubim, ne patiaris, nam ne hæ quidem potestates excipient sed excutient, quum viderint Dominum contumeliâ affectum, ego te honoravi, inquit, & dixi, Tu me invoca, & tu cum dedecore afficis.* Idem Hom. 3. in c. 1. Epist. ad Hebr. f. 1771. τί κεχήνατε πρὸς τοὺς ἀγγέλους, φησὶ, δοῦλοί εἰσι τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ καὶ πολλαχοῦ δι' ἡμᾶς πέμπονται καὶ πρὸς σωτηρίαν τὴν ἡμετέραν λειτουργοῦσιν, ὥστε ὁμόδουλοι ἡμῶν εἰσιν. *Quid, inquit, Angelos hiantes suspicitis? Sunt servi filij Dei & in multa loca propter nos mittuntur, & ad nostram ministrant salutem; quamobrem sunt nostri conservi.*

XXXIX.

In Quarto Seculo.

Augustinus magnum illud Africæ lumen initio quarti seculi circa annum 400. floruit, qui in fine prioris seculi Anno C. 395. ætatis 41. Hippone ordinatus erat Episcopus. Hic vero Doctor *cui omnium eruditorum judicio cõceditur palma*, ut alicubi de illo Chemnit. ait, multus est in convellenda illa Sanctorum Angelorum invocatione. L. 10. Conf. c. 42. tom. 1. oper. edit Paris. Ann. 1614. p. 79. *Quid invenirem, ait, qui me reconciliaret tibi? An eundum mihi fuit ad Angelos? qua prece? quibus Sacramentis? Multi conantes ad te redire, neq; per seipsos valentes, sicut audio tentaverunt hæc, & inciderunt in desiderium curiosarum visionum, & digni habiti sunt illusionibus.* L. de vera relig. c. 55. tom. 1. op. p. 318. *Hoc etiam ipsos optimos Angelos & excellentissima Dei ministeria velle credamus, ut unum cum ipsis*

ipsis colamus Deum, cujus contemplatione beati sunt: Neq; enim & nos videndo Angelos beati sumus, sed videndo veritatem, quâ etiam ipsos diligimus Angelos & his congratulamur &c. Quare honoramus eos charitate non servitute: Nec eis templa construimus, nolunt enim se sic honorari à nobis, quia nos ipsos cum boni sumus, templa summi Dei esse noverunt; Recte itaq; scribitur, hominem ab Angelo prohibitum esse ne se adoraret, sed unum Deum sub quo ei esset & ille conservus. Tom. 6. oper. p. 8. n. 39. de hæres. ad Quodvult Deum, meminit hæreticorum quos *Angelicos* nominat, quod *in Angelorum cultum fuerint inclinati.* l. 20. contra Faust. c. 21. cum dixisset, Angelis aut Sanctis non esse sacrificandum, subnectit: *Quisquis in hunc errorem delabitur, corripitur per sanam doctrinam, sive ut corrigatur sive ut caveatur: Ipsi enim Sancti vel homines vel Angeli exhiberi sibi nolunt, quod uni Deo deberi norunt &c: Apparuit in Angelis, sicut in Apocalypsi legimus, Angelum se adorari prohibentem, & dicentem adoratori suo, Conservus tuus sum, & fratrum tuorum. Superbi Spiritus ista sibi exigunt Diaboli & Angeli:* Et hoc exemplum Angeli adorari recusantis etiam habet l. de pastor. c. 8. *Angelus multa divina & mira ostendens homini ab homine adorabatur, ille tanquam levantem oculos ad montem revocat ad Dominũ, Noli, inquit facere, Deum adora, Nam ego conservus tuus sum & fratrum tuorum.* l. 9. de C.D.c. 15. tom. 5. op. *Boni Angeli inter miseros mortales & beatos immortales medij esse non possunt, quia ipsi quoq; & beati & immortales sunt, &c: Ut ad unum illud beatificum bonum perduceremur, non multis sed uno mediatore opus erat, &c. Non oportet quæri alios mediatores per quos arbitremur nobis perventionis gradus esse moliendos.* In Enarrat. Ps. 34. tom. 8. oper. p. 103. *Sed forte & hic dicetur mihi: ANGELOSCOLE, Angelos adora: Et hic dicam, Domine quis similis tibi & ipsos Angelos tu creasti. Nihil sunt Angeli nisi videndo te: Melius est cum ipsis posidere te, quam ipsos adorando cadere à te,* In Enarrat. Ps. 96. p. 445. *Utinam ipsos (Angelos) colere velletis, facile ab ipsis disceretis, illos non colere, Audite Angelum Doctorem, docebat quendam discipulum Christi, & ostendebat illi multa miracula in Apocalypsi Johannis. Ille autem quodam sibi demonstrato visionis miraculo exp[illegible], & misit se ad pedes Angeli, Et ille Angelus, qui non quærebat nisi gloriam Domini sui, surge quid facis, inquit, illum adora, nam & ego*

conservus tuus sum & fratrum tuorum, Quid ergo fratres mei? Nemo dicat, timeo, ne irascatur mihi Angelus, si non illum colo pro Deo meo, tunc tibi irascitur, quando ipsum colere volueris: Quomodo enim Dæmones irascuntur si non colantur, sic Angeli indignantur si pro Deo colantur. Ibidem: *Omnes Sancti vel Angeli illius quærunt gloriam quem diligunt, Ad ejus cultum, ad ejus orationem, ad ejus contemplationem omnes quos diligunt rapere & inflammare student, volunt potius, ut Deus unus colatur unus adoretur, Deo uni sacrificium offeratur non sibi.* Tractat. 13. in Joh. *Hæc est religio Christiana, ut colatur unus Deus & non multi Dii, quia non facit animam beatam nisi unus DEUS: Participatione DEI fit beata, non participatione Angeli fit beata Sancta anima. Sed si quærit beata esse infirma anima, quærat unde beata sit Sancta anima. Non enim beatus efficieris ex Angelo tu, sed unde Angelus beatus inde & tu.* Hæc & alia de Angelorum cultu B. Augustinus. Objicere solent Jesuitæ l. Meditat. c. 40 ubi ita legitur: *Sancte Michaël, Sancte Gabriel, Sancte Raphaël, Sancti Chori Angelorum, atq; Archangelorum, Patriarcharum atq; prophetarum &c. Per illum qui vos elegit & de cujus contemplatione gaudetis vos rogare præsumo ut pro me culpabili ipsi DEO supplicare dignemini.* Verum Meditationes illæ non sunt Augustini, sed sequioris cujusdam autoris, qui tamen ut Erasm. autumat, *non indiligenter legerit scripta Augustini:* Bellarm. quoque in l. de Script. Eccl. p. 134. fatetur ipsemet, *non posse certo astrui, quod Meditationes illæ sint Augustini:* Theologi Lovan. in titulo hujus libri: *Auctor est*, ajunt, *vel B. Augustin. vel qui ejus libros non indiligenter legit.* Ex libris ergo illis, de quibus an Augustini sint ipsi adhuc Papicolæ dubitant, sententiam illius de Angelorum invocatione statuminare aut elicere non licet, præcipuè si scriptis alijs magis γνησιοις diserte contrarietur.

XL.

Cyrillus Alexandrinus, qui circa Annum 412. factus est Episcopus, l. 10. contra Julian. *Scriptura*, inquit, *nobis unum Deum prædicavit, alium autem præter illum omnino nullum adorare consuevimus:* l. 11. in Joh. c. 7. *Nullus accedit ad patrem nisi per filium*

lium per quem adductionem habemus ad patrem in Spiritu, ut scriptum est, ideo se portam & viam appellat, Cap. 9. *Petere aliquid per orationem à patre nullo modo permittit nisi in nomine suo, patremq; facilimè daturum pollicetur.* l. 9. in Joh. c. 33. *Sanctus nemo erit unquam, nec recta vivendi disciplinâ sanctificabitur, nisi ope & patrocinio Christi, sed nec ipsi patri poterit unquam quicquam conjungi, non mediante Christo.* l. 1. de Trinit. *Accedimus ad Deum patrem non aliter quam per Christum.*

XLI.

Theodoretus qui ex Monacho factus est Cyri Episcopus an. C. 423. ἀγγελοθρησκεία dicit in Synodo Laodicenâ sub anathematis fulmine damnatam, *hæresinq; illam tempore Apostolorum exortam, quæ diceret Deum universorum nec cerni nec comprehendi, nec ad eum posse perveniri, & oportere per Angelos divinam sibi benivolentiam conciliari, & id vitium diu mansisse in Phrygia & Pisidia &c.* cujus verba plenius recitata sunt superius. Ubi notandum Theodoretum non hoc hæreticis tribuere, quod Angelos coluerint tanquam Deum, quæ Jesuitis latria est, sed quod per Angelos dixerint summum Deum esse conciliandum, & ad illum perveniendum, quæ Jesuitis dulia, & verè ipsissima illorum doctrina est, in illis hæreticis jam olim à Theodoreto & Laodicensibus damnata. Idem in c. 3. Epist. ad Coloss. *Quoniam enim illi Angelos jubebant adorare, ipse contrarium præcipit ut & dicta & facta exornent recordatione Christi Domini, & Deo inquit, & patri gratiarum actionem emittite per ipsum, non per Angelos. Hanc etiam legem sequens Laodicena Synodus, & volens veteri illi morbo mederi, lege cavit ne precarentur Angelos, & ne relinquerent Dominum nostrum Jesum Christum.* Quæ hic contra Theodoretum moliti sunt Bellarm. & Baron. superius discussa sunt, d. 2. th. 4. 5. p. 32. seqq. Idem Cainis tribuit in comp. hæret. fab. quod *Angeli alicujus nomen invocarint.*

Sedu-

XLII.

Sedulius, qui circa annum 432. videtur floruisse in c. 1. Rom. *adorare*, ait, *alium præter patrem & filium & Sp. S impietatis crimen est*, Remigius Francorum Apostolus, Rhemensis Ecclesiæ Episcopus qui vixit circa annum C. 471. in Ps. 96. *Nec etiam*, inquit, *Angelus adorandus est, quia legitur in Apocalypsi cum quidam voluisset adorare Angelum, pro miraculis quæ fecit, quod ipse prohibuisset, ne adoraretur.* Fulgentius, qui in persecutione Vandalica innotuit circa annum Christi 490. Monachus primo, postea Episcopus Ruspensis in Africa, l. ad Donat. de fide Orthod. *Si filius Dei*, ait *creatura esset, serviendum ei scripturarum sacrarum autoritas non juberet, sed potius prohiberet.' In primo enim Decalogi præcepto, sicut unius Dei cultura servitusq; manifestissimè præcipitur, Ita omni creaturæ adoratio ac servitus à fidelibus exhibenda vehementissimè prohibetur.* Et hæc de S. Angelorum cultu religioso & invocatione B. Patres, quæ paulo fusius ex illorum scriptis deducta sunto, ut constet, quæ primis quatuor seculis Ecclesiæ de Invocatione & Adoratione Angelorum sententia fuerit. quæ post temporis successu, labente simul priscâ Ecclesiæ puritate in pejus est mutata, donec illa tandem, quæ nunc publice in Jesuitarum Scholis defenditur, Angelorum invocatio tanquam fidei dogma in Ecclesiam invecta est, cum à simplicitate verbi divini ad superstitiones & apparitiones homines abrepti, nimiumq; deducti fuere'. Pro Coronide vero ex hactenus dictis argumentamur'. *Quod dogma primis quatuor seculis in Ecclesiâ neq; probatum neq; receptum, à Patribus vero & Conciliis publice proscriptum & rejectum est, illud antiquitatem frustra prætexit.*

Atqui *dogma de Invocatione Angelorum est tale.*

Ergo.

DEO GLORIA.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958736/phys_0158
DFG

יהוה

De Idololatria

Disputatio V.

Quæ est

DE ANGELOLATRIA

Quarta.

Punctum IX.

Quid de Apparitione Trium virorum, quos Abraham adorasse dicitur Gen. 18. 2. seqq. statuendum? Et,

An inde religiosus Angelorum cultus firmari possit?

I.

EVictum, uti arbitror, hactenus, firmisq; rationibus demonstratum, cœlestes illos Spiritus, quos Angelos vocamus, religioso sive adorationis sive invocationis honore mactari jure non posse: Præsidijs itaq; validis muniti obviam ibimus adversarijs, eosq; suis, si quæ habent, præsidijs dejiciemus: In angustias namq; redacti, quibus possunt modis ratiunculas quærunt, & quædam pauca SS. exempla, etsi aliena & parum apta in præsentem materiam corradunt, in quibus se reperisse putant, non quod pueri in faba: Producunt in medium I. Exemplum *Abrahæ* adorantis, ut vulgata legit, tres viros, quos pro Angelis habent, Gen. 18. 2. seqq. II. *Jacobi*, benedictionem petentis à viro luctatore, Gen. 32. 26. III. Ejusdem *Jacobi*, benedictionem filijs suis adoptitiis comprecantis ab Angelo auxiliatore, Gen. 48. 16. IV. *Josuæ*, principem exercitus Jehovæ adorantis, Jos. 5. 14. V. *Angeli* pro populo orantis Zach. 1. 12. VI. *Angeli* Tobiæ comi-

Resp. EBERHARDUS SAXO, Westph.

tis, ejusq; preces Deo offerentis, Tob. 12. 12. VII. *Angeli*, Paulo astantis, cujus sese Paulum servum profiteri dicunt Act. 27. 23. seqq. VIII. *Johannis* Theologi, gratiam & pacem petentis à Septem Spiritibus, Apoc. 1. 4. IX. *Angeli* preces Deo offerentis, Apoc. 8. 3. seqq. Tum etiam X. *Præsidia* Angelorum prætendunt, eosque quod Ecclesijs, regnis, regionibus, urbibus, singulis deniq; hominibus præfecti sint, invocandos esse ajunt. De singulis ordine, prout ratio instituti feret, dicemus suisq; præsidijs destituemus adversarios.

II.

Primum Exemplum Abrahæ est, adorantis, ut vulgat legit, TRES VIROS Gen. 18. 2. seqq. quod sane *non parvam neq; transitoriam considerationem postulat*, juxta Augustin. l. 2. de Trinit. c. 11. tom. 3. oper. p. 100. Cui acceptam aliqui ferre volunt fabulam Poeticam, quam l. 5. Fastor. Ovid. refert, quod tres Dij, Jupiter, Neptunus, Mercurius, dissimulatâ majestate & ementito habitu venerint ad Hiram sive Hyreum senem ante casam suam stantem, & ab eo licet in speciem tergiversantes hospitio accepti, & benigne habiti, in hospitalitatis gratiam prolem inusitato modo promiserint, dederintque, Quæ tamen fabula spurca, & digna est, ut suis relinquatur autoribus. Nos potius ad rem ipsam, & videbimus I. De *Loco*, ubi facta apparitio: II De *Tribus viris*, qui apparuêre, III. De *Modo & formâ*, quâ apparuêre, IV. De *Scopo*, quare apparuêre, adeoq; de actionibus, quas in assumto corpore peregere: V. De *Cultu & honore*, quo ab hospitalitatis magistro affecti fuere:

III.

I. De Loco Apparitionis.

Locus, ubi Abrahæ contigit videre tres viros fuit בְּאֵלֹנֵי מַמְרֵא Gen. 18 1. πρὸς τῇ δρυῒ τῇ μαμβρῇ ut Sept. in Quercubus (sive querceto) Mamre, ut Vatabl. in convalle Mamre, ut Chald. & vulgat. legunt: אלון alijs planitiem, alijs ubiq; arborem camq; durioremsignificat, & vel alnum vel quercum

cum, vel pinum, vel ilicem, vel castaneam, vel denique; h. l. terebinthum: Sunt tamen, *qui ubique Quercum exponant*, ut Pagnin. in Lex. notavit. Et quia באלני *in quercubus* dicitur habitasse Abraham, Sylvulam, quercetum aut nemus arboribus sive quernis sive alterius generis consitum fuisse conijcio, ubi facta est apparitio: Lutherus, Im Hayn: Hyeron. arborem illam sub qua facta est apparitio, & paratum convivium, dicit Terebinthum fuisse, arborem admodum annosam quæ perdurarit usque ad Constantij Imperat. tempora: *Quercus Abraham* ait, *quæ & Mamre, usque ad Constantij regis Imperium monstrabatur, & Mausoleum ejus in præsentiarum cernitur: Quumque à nobis jam ibidem Ecclesia ædificata sit, à cunctis in circuitu gentibus Terebinthus superstitiose colitur, eo quod sub eo Angelos Abraham quondam hospitio excepérat:* in proœm. ad Loc. Ebraic. tom. 1. op. edit. Paris. anno 1609. pag. 405. Et Paulo post p. 418. *Drys, id est, quercus Mamre juxta Chebron, in qua*, ait, *usque ad ætatem infantiæ meæ & Constantij regis Imperium Terebinthus, monstrabatur pervetus, & annos magnitudine indicans, sub qua habitavit Abraham: Miro autem cultu ab Ethnicis habita est, & veluti quodam insigni nomine consecrata.* Joseph. quoque l. 5. de Bell. Jud. c. 7. *Cernitur*, ait, *Sexto ab eâ urbe stadio arbor maxima Terebinthus, eamque memorant ab initio usque mundi creati usque nunc durare:* Brocardus in descript. terræ Sanctæ, *Ilex Mamre*, ait, *juxta viam regiam quæ ducit Hebron sita, apud quam longo tempore habitasse patriarcham Abram, historia libri Geneseos ostendit, etiam hodie demonstratur ante ostium tabernaculi Abrahæ, sciendum tamen antiquam illam ilicem exiccatam fuisse, sed ex ejus radice pullulavit altera, de cujus ligno & fructu mecum tulit: Folia ejus paulo majora quam lentisci, sed fructum prorsus habet illa ut quercus.* Hæc de illa arbore Josephus & Brocardus.

IV.

Dicitur *Quercetum Mamre*, vel ab urbe adjacente & vix stadiis aliquot distante, Chebron, civitate pervetustâ, & si Annio est fides, urbe omnium primâ & à primo homine generis humani parente, aut si alijs, à Cham filio Noach, aut ab Heth filio Canaan anno post diluvium 60. ædificata, cujus hodieque rudera dicuntur

supereſſe, quæ alias dicta eſt *Ciriath arba*, non à quatuor Patriarchis, Adam, Abraham, Iſaac, Jacob, qui ibi ſepulti dicuntur, ſed ab Arbah, *homine maximo inter Hanakæos*, qui eam inſtauravit, Joſ. 14. 15. c. 15. 13. 53. Jud. 1. 10. Alias *Mamre*, Gen. 23. 17. c. 35. 27. Vel ita dicitur à viro ejus nominis Mamre, fratre Eſcol & Aner, homine Amoræo, & Abrahæ fœderato, Gen. 14. 13. quo cum fœdus pepigiſſe, quemq; ad veri Dei cognitionem Abraham deduxiſſe dicitur, adeoq; nil mirum, ſi in querceto illo apud Mamre hoſpitium reperit. Et in hoc Querceto memoratur fuiſſe ſpelunca Macpelæ, ut Tremell. ſive ut vulg. habet, ſpelunca duplex, in qua Adam & Eva, Abraham & Sara, Iſaac & Rebecca, Jacob, Lea, oſſa Joſephi, Jeſſe pater David, Abner filius Ner, & pluſcula alia Iſraelitarum corpora creduntur ſepulta fuiſſe, vide Gen. 23. 19. c. 25. 9. c. 35. 27. c. 49. 29. 30. c. 50. 13. &c. quæ ſpelunca temporibus Hyeronimi, qui 400. poſt Chriſtum natum annis vixit, etiamnum in illo querceto fuit monſtrata, ſicut & Abrahæ domus, ferme tamen collapſa, in quâ tum temporis cum illi Deus apparuit, habitaſſe dicitur. Turcæ hodieq; illic locorum ſpeluncam illam oſtendere dicuntur, ita tamen ut peculiari conclavi incluſam & reconditam non liceat niſi procul & per feneſtram contueri. Conſtantinus Magnus eo loco templum dicitur conſtruxiſſe, & *ut audiverat, ipſum ſervatorem, qui nuper in mundo verſatus fuiſſet, etiam olim Sanctis viris ex Palæſtinâ, propter Quercum Mamre, ſic enim appellabatur, divinitus apparuiſſe, ibi quoq; Deo viſo templum exædificari mandat*, ut eſt apud Euſeb. de vita Conſtant. l. 3. c. 50. p. 377. Occaſionem ejus rei ipſe refert Conſtantinus M. in Epiſt. ad Macar. & cœteros Palæſtinæ Epiſcopos, apud Euſeb. c. 51. *Locum*, ait, *qui propter quercum Mamre dicitur, in quo Abrahamum domicilium habuiſſe cognoſcimus, variis modis à quibusdam ſuperſtitioni deditis, inquinari ferunt, idola enim quæ nullo non vaſtationis genere deleri debent, in illo erecta eſſe, & altare propè locatum, & impuras victimas ſine intermiſſione immolari. Quapropter cum illud & ab Imperio noſtro alienum, & indignum loci ſanctitate videatur, veſtram gravitatem certiorem fieri velim, à nobis per literas Acatio illuſtriſſimo comiti amico noſtro ſignificatum eſſe, ut abſq; cunctatione & idola, quæ in loco prædicto*

reperta

reperta fuerint, ignis tradantur incendio & altare sedibus convulsum evertatur: Quin etiam neminem non qui post nostrum mandatum aliquid impietatis in hujusmodi loco audeat admittere, supplicio coercendum statuimus, quem sane locum decrevimus eximiâ templi structurâ adornare, ut consessus dignus Sanctis viris in eo deinceps existat. Sozomenus l. 2. Hist. Eccl. c. 3. p. 230. ita narrat: *Ibi*, inquit, (in querceto Mamre, *loco quem nunc terebinthum appellant*) *tum indigenæ tum Palæstini, qui longius absunt, tum Phœnices & Arabes quotannis æstate splendidum conventum, ad hoc usque tempus maximâ frequentiâ celebrant, eoq; commeant ad merces tum vendendas, tum emendas mercatores quam plurimi. Nam ab omnibus festum in eo loco maximo studio agitur, à Judæis quidem quod de Patriarcha Abrahamo gloriantur, à Gentilibus autem, quod Angeli illic apparebant Abrahamo, à Christianis denique quod pio viro idem ille olim itidem visus esset, qui posteris temporibus propter salutem humani generis natus ex virgine se mundo palam ostendit. Omnes igitur hunc locum, prout singulorum poscit religio colunt, quippe pars in ea preces Deo omnium moderatori fundunt, pars ibi Angelos invocant, libant vinum, thus denique, aut bovem aut hircum, aut ovem aut gallum sacrificant: &c. Dum hæc isto modo à gentilibus pro more non sine voluptate geruntur, mater conjugis Constantini, quæ eo voti causâ forte concesserat, imperatori nunciat, qui ut audivit, Episcopos Palestinæ non mediocriter incusavit, tum quod neglexerant officium, tum quod locum verè Sanctum libamentis & victimis impuris inquinari permiserant &c: Quin etiam imperat Episcopis Phœniciæ, ut conveniant in unum, atq; aræ quæ ibi ante steterat, funditus excisâ, & statuis in ignem conjectis Ecclesiam dignam loci tum antiquitate tum amplitudine exædificent. &c.* Nicephorus quoque l. 8. H. Eccl. c. 30. p. 347. edit. Basil. *Sed & (Helena) filij Constantini instinctu ad arborem Mamre, quæ nunc Terebinthus dicitur 15. Stadijs meridiem versus vicinam habens Hebron, Hyerosolimis autem circiter 250. stadia abest, ubi vera certaq; fama est, una cum Angelis contra Sodomam euntibus & filium Dei hospitaliter acceptum esse ab Abraham, ab eoque Isaaci procreationem annunciatam, maximum ornatissimumq; templum erexit. Intellexerat enim Constantinus, sub ea arbore, veteres Græcæ superstitionis aras construxisse, Græcis sacrificiis istic operatos esse, vinum libasse, thura adolevisse, bovem, hircum, & gallum sacrificasse, lucernas*

accensas oleo infuso apposuisse, placentas obtulisse, quosdam etiam numos & varij generis unguenta in vicinum puteum conjecisse, ita ut rerum conjectarum ingenti copia aqua inutilis sit reddita. Quod sane Constantini uxoris mater, quum forte istac transiret, genero ipsi renunciavit, animadverterat enim æstivo tempore loci incolas longinquiores etiam Palæstinos, Phœnices & Arabes annuas ferias in eâ regione peragere, & conventus celebritasq; ea grata fuerat omnibus, Judæis quidem, quod Patriarcham generisq; sui principem jactarent Abrahamum, Græcis vero, propter Angelorum in eum locum adventum, Christianis porro, quod Deo dilecto illi id predictum fuerat, quod multis post seculis de virgine futurum fuerat, Quæ re Constantino cognita Episcopis Palæstinis vitio vertebat, inprimisque Eusebium Pamphili perstringebat, quod sic tam Sanctum locum despexissent, Itaq; Episcopis Phœniciæ mandavit, ut ex ipsis fundamentis aræ everterentur, simulacra igne comburerentur, ac templum ibi tantæ antiquitatis nomini conveniens extrueretur, in quo divinum numen recepto ritu coleretur, locusq; de cætero à contaminatione omni liber esset. Socrates item l. 1. Histor. Eccl. c. 14. Constantinus vero denuo ad alias Ecclesias, ædificandas se convertit, atq; unam propter Quercum Mamre (subter quam sacra ostendunt eloquia Angelos ab Abrahamo hospitio exceptos) fabricavit: Nam cum certior factus esset, aras apud illam quercum erectas esse, gentilia sacrificia ibi peragi, per literas Eusebium Cesareæ Episcopum, quod eam rem neglexerat, graviter reprehendit, Jubet igitur aras disturbari, & templum prope quercum construi: Hæc de illo querceto & loco Apparitionis fusius paulo ê dictis autoribus recensere libuit: Unde, nisi me conjectura fallit, occasionem sumsere, tum aliæ gentes, tum ad earum imitationem Judæi quoque, quod lucos & nemora ad rem divinam peragendam consecrarunt, ipsamque quercum sacram arborem esse voluerunt, qua nil Sacratius habuere veteres Germani, forte quod per traditionem aliquam hausere, in lucis aut nemoribus Deos comparuisse, ibique specialiter & gratiose præsentes esse. Sed de Loco satis.

II. De

V.

II. De TRIBUS VIRIS, qui apparuere.

Personæ, quæ apparuere, dicuntur Tres Viri, Gen. 18. 2. Quinam autem illi fuerint, nondum convenit hactenus apud Interpp. Reperio potissimum quinq; variantes sententias: *Prima* eorum est, qui dixere, quod fuerint *tres viri Prophetæ missi ad Abraham*, ut de illis refert Tostat. tom. 1. op. in Genes. 18. cap. quæ opinio, quod sciam hodie non reperit applausores, eamque textus ipse satis coarguit, quia dicuntur *apparuisse*, subitoq; stetisse coram Abraha v. 1. 2. *Hoc autem specialiter aut de Angelis aut de Deo SS. divina tenere consuevit, ut, quod non potest videri, apparere dicatur &c: Nam qui ante non præsentitur, sed repentino videtur aspectu, apparere memoratur*, ut August ait Epist. 112. de videndo Deo ad Paulin. tom. 2. op. p. 202. tum etiam, duo ex illis diserte dicuntur *Angeli missi ad perdendum Sodomam*, Gen. 19. 1. 13, quod in viros Prophetas quadrare non potest. Sed, uti dixi, sententia illa patronos non habet, ideoq; missam facio.

VI.

Secunda est Illorum Iudæorum, qui duas visiones diversas comminiscuntur, & verba in initio capitis, *Apparuit Jehova* Abrahæ, de quadam Θεοφανείᾳ, sequentia vero, & *Ecce tres viri stabant coram eo* &c: de peculiari Ἀγγελοψίᾳ interpretantur, ut autor est Lyranus: *Dicunt autem Hebræi, quod isti tres Angeli fuerunt Michael Gabriel & Raphaël, ita quod Michael erat in medio, alii autem duo ad dextram & sinistram, & hic erat modus ambulandi tunc, quando aliquis superior erat duobus aliis, quod ille ambulat in medio, & in hoc cognovit Abraham, quis erat superior, & dicunt, quod Michael erat in medio, & hic venerat ad denunciandum Saræ conceptum, quia hoc erat principale negotium, eo quod Messias id est Christus erat inde nascituras, & interpretatio nominis consonat, Michael enim interpretatur, quis ut Deus, Gabriel autem venerat ad subvertendum Sodomam, & interpretatio consonat, interpretatur enim fortitudo Dei, Raphael autem venerat ad*

rat ad ſanandum Abraham & ſalvandum Lothb& interpretatio conſonat, quod interpretatur Medicina Dei, ita Hebreorum ſententiam refert Lyra ad h. l. & ex eo Toſtat. & Perer. Juxta B. Lutherum in h. l. *Judæi dicunt abeunte Raphaele & Gabriele diſparuiſſe Michaelem, apparuiſſe autem ſingulari apparitione extra illos tres Dominum, at Abraham cum eo collocutum eſſe.* Verum hæc opinio Judæorum partim incerta eſt, partim falſa; *Incerta*, quia certi eſſe nequeunt quod tres illi viri fuerint determinatè Gabriel Michael & Raphael, neque eſt ullum indicium ſaltem probabile unde hoc conijcere liceat, *Falſa*, tum (1.) quod tres illos Angelos omnes vult eſſe creatos, cum unus ex illis fuerit increatus, uti inferius oſtendam, tum (2.) quod officia Angelorum ita diſſeparat, ut unum dicat fuiſſe πμωεὸν v. g. Gabrielem, qui Sodomam everterit, alterum vero Raphaelem σωτῆριον, qui Lothum ſervarit, cum conſtet communi operâ ab utroq; Angelo utrumq; præſtitum eſſe, pariterq; & Lothum ſervatum & everſam Sodomam: *Delebimus locum iſtum, & miſit nos* Dominus *ut perdamus illos*, ait uterq; ad Lothum c. 19. 13. & *cum cunctaretur Loth, prehenderunt viri illi manum ejus & manum uxoris ejus* &c: v. 17. Ambo ergo communi operâ utrumq; præſtitere, pariterq; liberatores Loth, & Sodomiticæ everſionis apparitores fuere: tum etiam (3.) falſa eſt exinde, quod duas hæc opinio φανερώσεις comminiſcitur, quarum una θεο φανείας initio capitis v. 1. altera ἀγγελοφανείας v. 2. ſeqq. exhibeat: Indicat enim contextus ſeries, unicam tantum apparitionem eſſe, quæ deſcribitur, primumq; in genere dici, quod Jehova apparuerit, poſt in ſpecie oſtendi, qualis illa fuerit apparitio, & quid in ea actum geſtumq; fuerit: Alias enim inanis eſſet illa propoſitio, quâ Moſes dicit Deum Abrahæ apparuiſſe, niſi quo pacto & quam ob cauſam id factum, declararet, Tum etiam diſerte unus ex illis tribus dicitur Jehova, ut mox patebit, coram quo Abraham *adhuc* ſtetiſſe dicitur v. 22. c. 18. cum duo illi Sodomam verſus irent, adeoq; falſum eſt, extra illos tres ſingulari apparitione Dominum apparuiſſe, & cum Abrahâ collocutum

cutum esse. Erit a etiam ex R. Chijah, quem *ex præstantissimis & maximis Hebr. sapientibus* esse putat, R. Moses Majem. in More Nevochim p. 2. c. 42. *Posteaquam*, ait, *præmisit Moses summariter quod Deus ipsi Abrahamo apparuerit, incipit quoq; apparitionis illius formam exponere, quod nempe primo tres viros viderit, & deinde ad illos cucurrerit eosq; salutarit, & allocutus fuerit.*

VII.

Tertia Opinio est illorum, qui tres illos viros fuisse putant Tres Trinitatis personas, Deum trinum & unum, in externâ quadam specie ad tempus assumtâ Abrahæ apparentes. Et hæc opinio est quorundam Patrum, qui in hac apparitione Trinitatis mysterium quæsivere: Cum primis Athanas. Episcopus Alexandr. Dial. 3. de Trinit. quem cum Macedonio habuit, tom. 2. oper. edit. Commel. anno 1600. p. 186. seqq. οἱ τρεῖς, inquit, ἄνδρες ἦσαν ὁ Θεὸς, *Tres illi viri* (loquitur de ijs qui apparuere Abrahæ) *fuerunt Deus*: Paulo post: *Illud ipsum est, quod dicimus,* ὅτι τρεῖς ὑποστάσεις κύριον καλεῖ: Item, *Novimus illos duos postea Angelos dici, sed rursum eos SS. Dominum appellat, Filio vero & Sp. S. constat Angeli nomen tribui non hoc loco duntaxat, verum & alibi*: Item: *Modo dicit*, Nos, *propter hypostases, modo dicit* Ego, *propter naturam, sapite igitur qui desipitis in populo, & stulti tandem estote intelligentes, nam & Abraham* τὰς τρεῖς ὑποστάσεις ἐγνωκὼς κύριον λέγει. Eandem sententiam (quod ego tamen facere nolim) Eusebio, & Augustino tribuit Antonius Fernandius Conimbr. V S. c. 3, Ex. 5. 6. p. 180. & ipse in eam propendet, quando in margine, *tres viri*, ait, *Abrahæ apparentes videntur fuisse tres personæ divinæ*: Lyra quoq; *Communiter* inquit, *tenet Ecclesia, in h. l. Abrahæ fuisse factam revelationem de Trinitate divinarum personarum, & unitate essentiæ divinæ, unde Ecclesia communiter cantat, quod Abraham tres vidit & unum adoravit.* Etsi vero pio conatu pii patres hæc talia in hunc locum meditati fuerint, non tamen, quod fatemur, hæc satis sunt ad rem, neq; multum dabunt roboris, firmando trinitatis tremendæ mysterio, adversus præfractum adversarium: Piis mentibus in veritate firmatis contemplationes istæ jucundæ es-

se possunt, in pugna vero contra adversarios admodum infirmæ sunt, & veritatem doctrinæ hostibus exagitandam ridendamque proponunt: Et vero constat, Tres illos viros, quod pace illorum patrum dico, non fuisse tres trinitatis personas αὐθεντικῶς repræsentatas: Peracto enim convivio duo ex illis Sodomam eunt Gen. 18. 22, qui dicuntur *Angeli* cap. 19. 1. Ebr. 13. 2. & missos sese fatentur à Domino cap. 19. 13. Etsi vero nomen Angeli filio Dei in scripturis tributum legamus, attamen quod plures Trinitatis personæ uspiam in scripturis Angelorum nomine veniant, testimonio nullo firmari potest: Et quoniam Apost. Hebr. 13. 2. in eo tot9 est ut Abrahæ & Lothi hospitalitatem commendet, certe, si Angeli illi fuissent trinitatis personæ, ad virtutem amplificandam id minime dissimulasset, quia hospitalitatis argumentum multo nobilius & efficacius fuisset, si dixisset, quosdam nescientes trinitatis personas hospitio excepisse, quam si dixisset, quosdam nescientes excepisse Angelos.

IIX.

Non ergo opus fuisset, ut Enjedinus Photinianus tam operose contra hunc locum exciperet, quasi in illo magnum nobis tam ardui de Trinitate mysterij sit præsidium, tutiora nobis & firmiora sunt, quibus firmemur argumentorum, pondera: Quamvis, quæ ex hac opinione B. Patrum elicit Enjedinus, sint omnino nullius ponderis: *Primò*, inquit, *si hæc imaginatio est vera, sequeretur verum Deum totum esse incarnatum, & quidem ante tempus: Nam procul dubio ipsi non erant phasmata & spectra quædam inania, sed revera corpora habebant palpabilia, ambulabant, loquebantur & revera comedebant, ut etiam Calvinus fatetur: Ergo Pater etiam & Sp. S. carnem induisset; & filius ante matrem fuisset homo: At Deus certe semper & est & fuit Spiritus, & invisibilis, nullam figuram aut formam ullius creaturæ habens, ut tum ipse, tum omnes sacri scriptores testantur:* Dignum profecto patella operculum! Pari ratione Enjedinus colligat, & Angelos fuisse aliquando incarnatos, quia dubio procul aliquando in corporibus apparuere, sicut autem Angelos *incarnatos* ideo non dixerit hæreticus, quod in assumtis ad tempus corporibus apparuere, quo illud jure dicet de Dei filio

lio? Apparuit ille quidem V.T. patribus non in phasmate sed corpore visibili & palpabili, verùm non *verè humano*: Corpus illud *ad tempus* assumptum univit sibi non unione physica sive naturali, qualiter anima unitur corpori ad informandum illud, neq; hypostaticâ sive personali, qualiter homo factus ex muliere carnem induit nunquam deponendam, sed oeconomicâ sive accidentali, qua corpus ad tempus pro ratione oeconomiæ & voluntatis assumsit, ut suam in eo personam repræsentaret, & sese manifestaret, & postea iterum deposuit: Non ergo, ut hæreticus putat, filius Dei ante tempus fuit incarnatus, etsi ante tempus, nõ quidẽ in carne verè humanâ, sibi ὑποστατικῶς unitâ quod ad incarnationẽ requiritur, sed tamẽ in corpore assũpto ὡποπροσώπως apparuerit. Et licet Deus *semper sit fueritq; Spiritus & invisibilis, nullam figuram aut formam ullius creaturæ habens*, in se sc. & juxta suã naturam spectatus, quæ nullius figuræ propriæ capax esse potest, in signo tamen & symbolo corporeo majestatis sive præsentiæ suæ potest, quando, quib. & quomodo vult, visendũ sese præbere; *Quia cui voluerit sicut voluerit, apparet ea specie, quam voluntas elegerit, etiam latente naturâ, nam si quando Patres Deum viderunt, ipsa illius natura ejus apparuit, quamvis si noluisset, utiq; non apparuisset*, ait Augustin. Epist. 112. p. 202. *Deum* itaq; *assumpta visibili specie, sicut voluit apparuisse iis, quibus apparuit, quando per corporis oculos in scripturis sanctis visus esse narratur, in adjutorio Domini inconcusse credo, & quantum ipse donat intelligo*, cum eodem Augustin. ex Epist. III. ad Fortunat. tom. 2. op. p. 199.

IX.

Pergit Enjedinus: *Deinde, sequeretur hinc etiam illud, immensum & incomprehensibile numen certo aliquo termino fuisse conclusum, si enim tres personæ & una essentia h. e. quicquid usquam Dei est, Abrahæ in tribus istis apparuerunt, Ergo totus Deus conclusus fuit illis corporibus: Itaq; cum Angeli sederunt sub arbore & cælum & tota reliqua mundi moles Deum præsentem non habuit, quo quid magis stultum & ineptum cogitari potest?* At pro facto decem alembicis opus erit, si hæc portenta è sententia B. Patrum elicere velit Enjedinus: Quid enim

nim? Annon Deus *uno certo loco* potest apparere, quin appareat alio, ut tamen præsens maneat, & hoc & alijs, & omnibus locis? Jehovah sane sedens in solio & fimbriis templum replens apparet Esaiæ c. 6. 1. seqq. apparet sedens Danieli cap. 7. 9. apparet Sp. S. in specie columbæ Matth. 3. 16. Ergone tum DEUS ita in templo, ita eo loco ubi visus Danieli, ita eo loco ubi columba fuit, præsens erat, ut extra illa loca non fuerit? adeoq; cum Deus in templo visus est Esaiæ, in certo loco tanquam antiquus dierum Danieli, & in specie columbæ descendens super Christum Johanni, reliqua mundi moles Deum præsentem non habuit? aut numen incomprehensibile certo termino conclusum fuit? At ita sequitur ex consequentijs Enjedini: Proinde distinguendum inter præsentiam Dei, & manifestationem sive apparitionem præsentiæ ejusdē: sane præsentiâ sua ita replet omnia Deus ut nuspiam sit excluſus, *ipse intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia* ut ait Gregor. l. 2. c. 8. Moral. in c. 1. Job. tom. 1. col. 33. *cuncta replens, super omnia eminens & ipse omnia continens*, ut Damasc. ait. l. 1. de O. F. c. 16. p. 17. At præsentiæ suæ apparitionem ita quandoq; forma & specie visibili ostendit uno loco, ut non ostendat aut teneatur ostendere ubivis locorum, qui tamen non eo solum loco præsens est, ubi apparet, sed & alijs omnibus, ubi ita visibiliter non apparet, quia ita uno loco apparere potest, ut ibi non sit incluſus incomprehensibilis Deus, neq; excluſus reliquis: Quomodo v. g. Sp. S. non ubiq; locorum sed in Baptismo Christi sub visibili specie columbæ præsens *apparebat*, qui tamen non in Baptismo Christi solum sed & ubique locorum vere præsens *erat*, etiam tum cum in uno loco apparebat. Et ita quoque non ubiq; sed sub quercu Mamre potuit DEUS apparere Abrahæ, qui tamen eo ipso tempore non in illo querceto solum sed ubique præsens erat.

X.

Deniq;, ait Enjedinus, *sequeretur Deum esse divisibilem ac proinde*

inde mortalem: Nam isti tres non modo erant distincti numero & corporibus, verum etiam à se invicem separati & distincti loco fuerunt: Unus enim illorum mansit cum Abrahamo, reliqui duo iverunt Sodomam ad evertendum illam: Verum neq; hoc sequitur, etsi in tribus viris tres personas apparuisse credatur: Nam aliud est loqui de essentia sive existentia trium personarum, quæ in illis formis visibilibus dicuntur apparere, aliud vero de forma sive specie externâ in qua apparent: Etsi corpora, per quæ apparuit Deus, numero loco q; à se invicem fuerint separata non tamen ideo necesse est personas quoq; loco à se distinctas & separatas fuisse. Deus enim ita præsens est huic mundo, ut non sit *per spatia locorum quasi mole* diffusus, *ita ut in dimidio mundi corpore sit dimidius, & in alio dimidio dimidius, atq; ita per totum totus, sed in solo cælo totus, & in solâ terrâ totus, & in cœlo, & in terra totus loco, sed in seipso ubiq; totus*, ut optimè ait August. optimus pater, epist. 57. ad Dardan: adeoq; ita apparere potuit Deus in trib. illis distinctis loco q; separatis corporibus, ut tamen non fuerit in illa distinctus loco q; separatus, sed totus simul in illis corporibus & totus simul extra illa, illis non inclusus, nec tamen ab illis, quibus apparere voluerit, exclusus.

XI.

Et hæc ita ostendere placuit contra Enjedin. & B. Patrum sententiam a crassis istis absurdorum portentis vindicare, quam utut per omnia non probemus, non tamen traducendam esse putamus, quia ut B. Luther. h. l. monet, *S. patres scripserunt ista bono & pio animo, ac bene viderunt, quod cum adversariis non sic agendum est, ut cum auditoribus principia fidei non negantibus; Cum enim tuos doces ibi non bellum moves, sed exercitium ad bellum instruis, in exercitio autem vides non ferratis hastis, non acutis gladiis, sed etiam rudi ligno aut ad gladii formam facto recte nos uti: Sed in acie ferro opus est, eoq; ad feriendum firmo & bene acuto: Alia res est*, ait, paulo post, *docere, alia exhortari, Rhethorica, quæ ad exhortationem facit, ludit sæpe, sæpe prætendit lignum, quod tu putes gladium esse, dialectica autem belligeratur & agit res serias, igitur non ligna sed ferrum ostendit adversario &c*: Tum etiam B. Patrum plurimi, etsi hos tres viros noluerint

esse αὐθρωποτώπως tres Trinitatis personas, putarunt tamen tres Deitatis personas per hos tres viros, etsi Angeli fuerint fuisse repræsentatas: Ita enim B. Augustinus cujus sententiam infra recensebo, l. 2. de Trinit. c. 11. p. 100. tom. 2. oper. *Cum vero tres viri visi sunt, nec quisquam in iis vel formâ vel ætate vel potestate major cæteris dictus est, cur non hic accipiamus visibiliter insinuatam per creaturam visibilem trinitatis æqualitatem atq; in tribus personis unam eandemq; substantiam*: l. 3. contra Maxim. c. 26. tom. 6. op. p. 39. *visus est illi* (Abrahæ) *Deus ad quercum Mamre, sed neq; hic expressum est, utrum Pater an Filius, cum autem narraret scriptura, quomodo ei visus sit Deus, tres viros illi apparuisse declarat, in quib. magis ipsa trinitas, quæ unus est Deus intelligi potest: Deniq; tres vidit & non Dominos sed Dominum appellat, quoniam Trinitas Tres quidem personæ sunt, sed unus Dominus Deus*: Paulo post: *Quod si & in illis duobus Angelis* (qui Lotho apparuere) *unus Dominus invenitur qui secundum verbum suum in ipsis Angelis descendit in Sodoma, Nonne manifestum erit in tribus illis viris unum Dominum visum fuisse, ubi quid aliud quam ipsa trinitas figurata est?* Idem August. cit. l. p. 321. *Quid sibi vult ista Visibilis Trinitas & intelligibilis unitas, nisi ut nobis insinuaretur, quod ita tres essent pariter, Pater Filius & Sp. S. ut tamen simul non tres Dii & Domini essent, sed unus Dominus Deus?* Sermon. 70. de Temp. tom 10. oper. p. 261. *Tres viros suscepit, tribus mensuris panes apposuit, quare hoc fratres nisi quia mysterium Trinitatis intellexit?* Et paulo post: *Tribus occurrit Abraham & unum adorat, in eo autem, quod tres vidit, trinitatis mysterium intellexit, quod autem quasi unum adoravit, in tribus personis unum Deum esse cognovit?* Ita & Ambros. l. 1. de Abrah. c. 5. *vide primò fidei mysterium. Deus illi apparuit, & tres aspexit, cui Deus refulsit in Trinitate, non sine filio patrem suscipit, nec sine Sp. S. filium confitetur.* Et Rupertus l. 5. Comment. in Genes. c. 37. *ubi nascitur Isaac non jam solum, ut ante promittitur, sed & datur, trinitatis mysterium in formâ trium Angelorum homini se manifestare dignatur, quia videlicet uti Christus nascitur ex semine Abrahæ, ejusdem Christi filii Dei incarnationem præsentiâ suæ majestatis tota Trinitas in hospitio virginei ventris operatur*: Lutherus quoque in Gen. c. 18. p. 110.

voluit

voluit Deus apparere in trinitate Angelorum: quia igitur tres apparent, & unus loquitur, quia Abraham tres videt & unum adorat, ideo dicunt Patres significari, quod in Deo sit aliqua Trinitas, & non, quod illæ species seu personæ tres sint Trinitas. Unde constat, Patrum istorum sententiâ, non historico quidem & literali sensu in tribus illis viris tres personas triados apparuisse, attamen sensu occulto ut Luth. vocat, & accommodatitio sive mystologico in tribus illis viris tres divinitatis personas suo modo adumbratas fuisse: Et sane, ipse Philo Judæus in eo quod Abraham tres vidit & unum adoravit, aliquid mystici putat subesse, & illud non quidem ad trinitatis mysterium, quod non noverat, sed tamen ad triplicem divinæ naturæ cognitionem & cultum jucundâ contemplatione refert, in libro, quem scripsit de Abraham; *Cum anima*, inquit, *à Deo illustratur tanquam in meridie, & tota, quanta est, luce intelligibili repleta, ex obscuris umbris prorsus eximitur tres imagines unius naturæ divinæ percipit, unam ipsius rei, duas alias tanquam umbras ab ea redditas, ergo in illis tribus qui apparuerunt Abrahæ repræsentabat Patrem omnium, qui proprie appellatur in sacris literis, Qui est, hujus latus utrumq; claudunt duæ ejus antiquissimæ & proximæ virtutes seu potentiæ, una, per quam conditor rectorq; rerum omnium est, ex quo Deus rite appellatur, altera ex quâ nominatur Dominus, imperans sc. & leges ferens, quorum observatores & violatores meritis vel suppliciis vindicat: Atq; medius ille utrinq; stipatus suis potentiis perspicaci menti nunc unam nunc tres imagines exhibet, unam, quando exactissimè purgata anima omnem rerum multitudinem supergressa, ad unam illam simplicem & sinceram, & nullius indigam naturam contemplandam dedita & intenta est: Tres vero, quando nondum magnis initiata mysteriis adhuc minoribus operatur, nec potest eum, Qui est, sine aliarum rerum adminiculo comprehendere, sed per ejus effecta & opera ut Deum & Regem & Dominum agnoscit & colit &c:* Hæc & plura alia Philo, quibus tandem subnectit: *Quod autem unius Dei triplex sit cognoscendi imaginatio, & colendi varietas, liquet non solum ex contemplatione allegoricâ, verum etiam ex ipsius scripturæ narratione: Namq; Abraham cum suppliciter rogasset, tres viatoribus similes, ut suo uti vellent*

lent

lent hospitio, allocutus eos tamen est, non quasi tres, sed quasi unum, dicens Domine si inveni gratiam &c. Verba hæc, Domine, coram te, ne transeas, similiaq; ad unum non ad plures dici manifestum est. Jam vero in hospitio inter alia comitatis officia vicissim convivatori suo unus illorum trium perinde quasi adesset solus, pollicetur legitimi filij nativitatem dicens, Revertendo veniam &c. Hæc de hac apparitione Philo, quem ipse si placet, prolixius super hac de differentem vide.

XII.

Quarta opinio illorum est, qui Tres illos viros putant fuisse Tres creatos Angelos, etsi potuerint, quod quidam addunt, symbolicè repræsentare tres personas divinitatis: Et hanc opinionem amplectitur Augustinus l. 16. de C. D. c. 29. tom. 5. oper. p. 1045. *Deus*, inquit, *apparuit Abrahæ ad quercum Mamre in tribus viris, quos dubitandum non est Angelos fuisse, quamvis quidam existiment unum in eis fuisse Dominum Christum, asserentes eum ante indumentum carnis fuisse visibilem*, sicut & l. 3. contra Maxim. c. 26. dicit hac apparitione *visibiliter insinuatam per* creaturam *visibilem Trinitatis æqualitatem*, eorumq; sententiam hoc & priori loco expresse refellit, qui putarunt unum ex his tribus fuisse Dominum Jesum. Josephus item libro 1. Ant. Jud. c. 11. *Non sustinuerunt*, ait de his tribus viris, *amplius simulare sed fassi sunt se Dei esse Angelos, & quod missi essent unus nunciatum de filio, duo vero ad delendos Sodomitas*, Quæ tamen confessio ut & causa adventus illorum in textu non reperitur: Et in eam sententiam plerique; Scholasticorum & Jesuitarum concedunt, qui uno ferme ore docent tres illos viros fuisse tres creatos Angelos, *Intelligendum est*, ait Lyra h. l. *quod dicitur Dominus de identitate non essentiali sed repræsentativâ, sc. quod ille Angelus tunc loquebatur in persona divinâ, quam in illa apparitione repræsentabat.* Tostatus tom. 1. oper. in Gen. 18. c. *Dicendum, quod isti tres erant Angeli, quos Deus misit in specie virorum ut satisfaceret intentioni Abrahæ ardenti desiderio hospitalitatis.* Sallianus annal. tom. 1. ad ann. m. 2138. n. 34. p. 240: *Mox regresso in locum suum.*

Abra-

Abrahamo, ille qui Domini personam sustinuerat, revolavit in cælum, duo reliqui Angeli vespere Sodomam venerunt. Et illum qui Domini personam dicitur gessisse, Corn. à Lap. *Angelum aliquem superiorem*, Burgensis *Gabrielē Archangelū*, Rabbini *Michaelem*, ut etiam visum est superi9, esse volunt. Imo etiã autore Lorino in Act. c. 7. p. 312. *Universe magis cõmunis opinio est, cujus primus auctor præivit Dionysius, non Deum per seipsum in V. T. apparuisse, sed loco Dei Angelum, sic vero, ut pauca exempla annectam, dicitur Deus apparuisse Abrahæ, in Genesi, qui tamen Patriarcha hospitio Angelos excepisse scribitur à Paulo.* Et ita Scholastici, modernię; Doctores Pontificij *uno fere ore docent, apparitiones omnes visibiles in V. T. factas nomine Dei, & quibus Deus visus vel apparuisse dicitur, ministerio Angelorum, qui sibi corpora aptarunt & assumserunt, Deiq; personam sustinuerunt, esse perfectas*, ut testatur Leonard. Coquæus in l. 16. Aug. de C. D. c. 29. Ita & Tostat. tom. 2. oper. in Ex. c. 3. p. 25. *Sæpe vocatur Deus Angelus ejus, qui nomine ejus loquitur, & ut quàsi generaliter dixerim, Deum neminī unquam in V. T. apparuisse sed Angelum loco Dei* &c: Neq; aliter sentiunt Valentia. tom. 1. oper. p. 1087. Perer. in Gen. 32. d. 1. p. 822. Serar. in Jos. l. 4. c. 5. q. 40. & alii plerique, ipse etiam D. Hieronymus in hanc sententiam videtur inclinare in Expl. Epist. ad Gal. c. 3. tom. 3. oper. p. 899. quando scribit: *Quod ait Paulus legem fuisse ordinatam per Angelos, hoc vult intelligi, quod in omni veteri Testamento ubi Angelus primum visus refertur, & postea q. Deus loquens inducitur, Angelus quidem verè fuerit unus de ministris plurimis Dei, quicunq; sit visus* &c: Et ille ψευδο Dionysius Areopagita c. 4. l. de cœl. Hier. qui ita ait: *Inclytos illos Patres nostros qui ante legem, quique fuerunt post legem, Angeli ad Deum subvexere, sive, quid agendum esset, admonentes, & ab errore sacrilego vitaq; profanâ, ad rectum veritatis iter traducentes, sive sacra quævis instituta seu cælestium sacramentorum occultas visiones sive divinas aliquas prædictiones docendo pandentes.* Et paulo post: *Hujusmodi divinas visiones celeberrimi illi Patres nostri ministerio cælestiū virtutum ediscebant.* Judæorum quoq; quorundam hæc opinio est, ut prodidit R. Moses Majem. p. 307. in M. N. *Scito, quod omnium eorum prophetarum, qui prophetiam sibi factam esse dicunt, quidam eam Angelo alicui, quidam vero Deo opt. max. adscri-*

bant & attribuant, licet per Angeli ministerium *quoque ipsis obtigerit, de quo sapientes nostri nos erudierunt, quando ajunt, Et dixit dominus ad eam,* sc. עַל יְדֵי הַמַּלְאָךְ h. e. *per manus Angeli:* cui tamen sententiæ non astipulantur R. Tanchunam & R. Gerundensis, prout eos Masius citat in Ios. c. 5. p. 95. Avide vero hanc sententiam arripiunt Photiniani, & nominatim Enjedinus, qui fervide contendit *tres illos viros nudos fuisse Angelos,* ut nõ solum mysterium Trinitatis enervet, sed & obtineat nomen Jehovah in S.S. non soli vero & æterno Deo, sed etiam Angelis creatis tribui: Patronos ergo habet hæc opinio plurimos, quæ tamen nobis hactenus probari & vero consentanea videri nondum potuit: Etsi enim Angelos in V.T. quandoque ut Dei legatos & nuncios apparuisse, hominibusq; Dei voluntatem significasse, non negetur, neq; negari possit: Non tamen recte asserunt hujus sententiæ autores, semper id eveniisse, semper Angelos immediate & loco Dei apparuisse, ubi Deus visus aut apparuisse dicitur, DEUM vero nuspiam in visibili forma immediate & αὐτοπροσώπως sese manifestasse aut visum esse, Etsi enim in propria forma, sive figurâ quam nullam habet, videri non possit Deus, quia est ἀόρατος quem nemo vidit unquam neq; videre potest 1. Tim. 6. 16. potuit tamen in externa aliqua & visibili figura tanquam immediato præsentiæ suæ signo comparere: Idq; valde miror à Pontificiis negatum iri, qui tamen uno affirmant ore, Deum pingi posse in aliquâ forma visibili eâ sc. quâ hominibus apparuit. Hoc *argumento probant plerique Theologi Deum licitè pingi in figurâ corporali quia frequenter in illa apparuit,* ut Becanus infit tom. 1. op. 14. c. 23. p. 122. *Deus visus est corporea specie, quid ergo prohibet sic pingi,* ait Bellarm. l. de Imag. Sanct. c. 8. At vero quî pingi poterit corporea specie Deus, quia non Deus fuit qui in V.T. apparuit, sed Angelus vices Dei sustinens? Non ergo Dei sed Angeli potius Dei legati forma erit, quam juxta hanc opinionem pingere curabunt Pontificij. Unde factum, ut Jodocus Chlictoveus in Damasc. l. 4. de O.F. c. 17. affirmaret, *ex natura rei illicitum fuisse in V.T. figurare Deum, quia etsi*

appa-

apparuerit in formâ visibili, apparitiones tamen factæ sint ministerio Angelorum, in N. autem T licitum esse depingere Sp. S. sub specie columbæ, quia in ea ipsa per se, non ministerio Angelorū apparuerit: Quod nescio an considerarint Masius in c. 1. Ios. p. 95. & Salmeron tom. 14. op. in 1. Cor. 10 d. 17. p. 136. qui largiuntur, contenduntque, Christum quandoque V. T. patribus ἀνθρωπόμορφος visum esse; Ipse etiam Fernandius Conimbricensis Doctor p. 180. n. 3. disserte, *nobis* inquit, *ita videtur, probabilius esse Deum ipsum & specialiter verbum divinum interdum apparuisse patribus in V. T. Uno vel altero loco rem confirmare satis est. Tres illos viros, quos excepit Abraham Gen. 18. 1. Eusebius testatur fuisse Deum Trinum & unum, unde illud August. serm. 68. de temp. si ejus est, tribus occurrit & unum adorat, trina unitas, & una trinitas, consentit Cyrillus & alii ponderantes illa verba,* Apparuit ei Dominus &c cumq; elevasset oculos apparuerunt ei tres viri: *sunt etiam, qui unum ex illis cum quo Abraham familiarius locutus est, verbum divinum asserant.* Hæc Fernandius. Ita etiam aliquibus licet pauciſſimis, è Pontificiorum Schola communis illorum opinio suspecta est. Assertionem vero nostram, quod non semper Angeli vice Dei, sed Deus quoque ipse immediate quandoque & ἀνθρωπόμορφος visibili præsentiæ suo signo sese manifestarit, & patribus apparuerit, aliquot rationibus confirmamus.

XIII.

I. *Quædam apparitiones non possunt aliter commodè exponi, quam de immediatâ Dei apparitione factâ in forma visibili:* Ut Gen. 28. 12. in visione Scalæ à terra ad cœlum usq; pertingentis Angeli ascendentes & descendentes manifeste à Domino in scalæ summitate viso distinguntur: Et Exod. 33. 18. seqq Mosi Deus apparuisse legitur, quæ sane apparitio Angelo creato sine blasphemiâ tribui nequit: Sic Esaias c. 6. 1. dicitur vidisse Deum sedentem in solio, illum inquam Deum, cui Seraphim acclamabant, *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* & ad cujus tremendam & majestaticam præsentiam faciem pedesq; velabant. Hæc vero apparitio num dicetur facta efficienter ab Angelo creato? idq; sine blasphemia af-

firmabitur? Sic & Micha dicitur vidisse Dominum sedentem in solio cum omnium Angelorum exercitu ad dexteram & sinistram 1. Reg. 22. 19. Ita & Daniel dicitur vidisse antiquum dierum cui astitere millies millena millia & decies centena millia Angelorum &c: Dan. 7. 9. 10. Quis vero has visiones sine enormi in Deum blasphemiâ vendicabit Angelis, qui ibi diserte ab eo, qui visus esse legitur, distinguntur? Ita & Sp. S. non vero Angelus quispiam, ut impudenter asserere ausus est Valent. cit. l. p. 1088. in specie columbæ apparuit uti diserte historia Evangelica Matth. 3. 16. testatur. Quæ & alia plura evidenter demonstrant non semper Angelum loco Dei, sed Deum quandoq; ipsum per se & immediate apparuisse.

XIV.

II. *Nomen incommunicabile* יהוה *quandoq; tributum esse legitur illi qui appparuit*, ut v. g. uni è tribus viris, qui apparuere Abrahæ, sicut docebitur in progressu, item Angelo qui visus est ab Hagar Gen. 16. 13. quo cum luctatus est Jacob Gen. 32. 30. qui apparuit Mosi Ex. 3. 2. seqq. &c. Idq; non negant sed potius inculcant adversantes. At vero nomen tetragrammaton יהוה est unius & solius veri æterniq; Dei ita proprium, ut nulli unquam creaturæ ulla ratione in casu recto tribui & vindicari, & nulla nulli creatura in *casu recto immediate* & *directe* Jehovah dici possit: Dico, *in casu recto, directe, immediatè*, quia in obliquo, in directe & mediate de creaturis nomen illud prædicari non imus inficias, v. g. cum Angelus dicitur Angelus *Jehovæ*, *à Jehovâ* missus &c: item, quod creaturarum nomina esse leguntur Jehovah Schammah, Jehova-Nissi, Jehova Schalom, Jehovæ Jiræh &c: quæ sane nomina etsi composita sint ex nomine Jehovah, adeoq; illud suo quodam modo mediatè & in illa compositione creaturis tribuant, non tamen sunt idem ac nomen Jehova per se & absolute positum, quia Deum recte nominas Jehovah, non tamen illum nomine proprio unquam recte appellabis Jehovah ibi, Jehova nissi, Jehovah Jiræh &c: Pariter ut nomen El, in Israel, Raphael Nathanael, mediate & in illa compositione de creaturis dicitur, quibus tamen nomen illud El ideo in casu recto competere, ad

eoque

eoque illos recte El dici posse nemo asserere poterit: Hoc igitur est, quod asseritur, nomen יהוה in casu recto non posse dici de Angelo creato, ita ut Angelus dicatur Jehovah; Nomen enim illud יהוה solus Deus sibi vendicat, & vocat *nomen suum* Ex. 6. 3. Num. 6. 23. Es. 42. 8. Jerem. 16. 21. *Nomen suum magnum* Jer. 44. 26. per quod ab omnibus Deastris & creaturis vult discerni, sicut patet ex contentione Eliæ & Baalitarum, ubi controversia agitabatur, *an Jehovah, an Baal sit, Elohim*, 1. Reg. 18. 21. & per nomen illud יהוה verus Deus à Baal discernitur, & ille demum religiose colendus asseritur, cui nomen illud competit, Conf. & Mich. 4. 5 Ps. 96. 5 Ex. 3. 13. Tum etiam Sancti Dei viri nomen illud solius Dei proprium constanter asserunt: *Jehovah nomen ejus* Ex. 15. 3. Jer. 33. 2. Amos. 5. 8. c. 9. 6. *Jehovah Zebaoth nomen ejus*, Jerem. 32, 18. c. 10 16. *tu nomine tuo Jehovah solus*, Ps. 83. 19. Nehem. 9. 6. sic Ps. 68. 5. Es. 48. 2. c. 54. 5. Jer. 10. 16. Os. 12. 4. &c. Quæ sane, ut plura alia omittam, restantur abunde, nomen illud יהוה solius veri Dei proprium, ipso etiam Socino fatente, merito dici, adeoque creaturis directè & in recto tribui non posse. Quod etiam R. Mose Majem. in More Nevochim. p. 1. c. 60. diserte fatetur: *Omnia nomina creatorum*, inquit, *in libris omnibus inventa ab effectis sint derivata, præter unum nomen quod est Jehovah, & est nomen appropriatum creatori altissimo, & propter hoc vocatur Schemhammep horas. h. e. ipsum est, significans & ostendens creatoris substantiam & quidditatem significatione & ostensione perfecta*: Item: *Non est dubium quod hoc nomen gloriosum est nomen illud in quo non est participatio inter creatorem & aliquid aliud*: Proinde falsum est assertum eorum, qui Angelos putant Jehovah esse dictos, quod Jehovæ personam sustinuerint, Tostat. in Ex. c. 3. tom. 2. p. 25. *Sæpe vocatur Deus Angelus ejus, qui nomine ejus loquitur*, in Levit. c. 1. tom. 3. p. 13. *Iste autem Angelus qui hic loquebatur, vocabatur DEus, quia sic est consuetudo vet. Test ut Angeli vocentur Deus.* Bellarm. fluctuans, l. 1. de Chr. c. 5. *Posset aliquis respondere Angelum dicit Jehovam, non ut Angelus sed ut Deum repræsentans*: R. Mose Majem. in More Nevoch. p. 33. *Nihil novi est in libris Prophetarum, ut narrentur verba illa quæ Angelus Dei nomine loquitur ac si Deus ipse ea pro-*

ferret, R. Menasse Ben. Israel in Concil. p. 67. *Hinc quoque*, ait, *explicantur verba illa & Dominus demisit pluviam sulfuris à Domino cœlorum, alioqui locus is satis arduus est. Quamvis autem Aben Ezra schematicam locutionem esse existimet, melius tamen R. Helbo ex sententia R. Simonis putabat per primum nomen Domini designari Angelum Gabrielem, ut legatus usurpet nomen ejus à quo missus & potentiâ donatus erat ad consummanda destinata: Ideoq;* ait, *demisit tanquam causa instrumentalis pluviam sulphuris & ignis à Domino cœli, primâ causâ & proximo agente. Nec mirum videri debet Angelo dari nomen ejus à quo missus erat, quia ut rectè observavit Aben Ezra ad 3, c, Ex. & R. Joseph Albus l. 2. c. 3. Icarim, tetragrammaton etiam aliis rebus attributum constat, ut cum de columna nubis dicitur, & Dominus incedebat ante eos, &, Movit se Angelus Domini præcedens castra Israëlis: Etiam cum arca moveretur dixisse Mosen legimus, surge Domine &c: Angelis quoque idem vocabulum datum in historia Gedeonis & aliis locis animadvertere est, quæ fuse idem autor adducit &c:* His sese autoribus succenturiant Photiniani, qui nomen Jehova ita ajunt Deo tribui, ut etiam creaturis tribui possit: Ostorod. p. 2. c. 2 p. 91. *Angeli multo inferiores Christo, propterea quod Jehovæ personam sustinuerint, Jehovah vocati sunt,* Socin. contra Wiek. c. 6. p. 396. *Si Angeli Christo multo inferiores cum Iehovæ personam aliqua in re sustinent, Iehovæ nomine appellati inveniuntur, multo magis fieri potest, ut Christus &c. Iehovæ nomine appelletur.* Enjedin. in c. 18. Gen. *Iehovæ nomen & appellatio nō soli Deo creatori verum etiam multis rebus creatis attribuitur, sicut plurima testimonia ostendunt.* Photinianis calculum quoque suum addit Vorstius qui in Ex. Apol. c. 2. asserit *vocabulum Iehovah etiam creaturis & Angelis tribui,* & d. 11. de Deo th. 19. *Nomen Iehovah,* ait, *nonnunquam in sacris literis etiam rebus creatis tribuitur.* Neq; ab hac sententia procul esse videntur Calvinus, Zanchius, Alstedius, alijq; plures quos in chartam conijcere supersedeo. Uti vero dixi, hoc horum hominum assertum falsum est, quia è S. S. ante constitit, nomen יהוה soli Deo proprium, adeoq; incommunicabile esse, quod creaturis neutiquam possit in recto vendicari: Hoc autem posito atque evicto ita argumentamur: *Is, qui in SS. in casu recto, immediate, & directe dicitur nomine Dei proprio & incommu-*

communicabili Iehovah, est verus & præternus Deus: At vero aliquis, qui in V. T. patribus apparuit ἀνθρωπόμορφως, *dicitur in casu recto &c. Iehovah: Aliquis ergo qui in Vet. Test.* ἀνθρωπόμορφως *apparuit est verus & præternus Deus.* Et hoc est secundum nostræ assertionis fundamentum.

XV.

Excipiunt: *Legatum gerere nomen legantis, adeoq; Iehovam dici interdum, qui ceu legatus vicem Dei sustinet*: Ita Enied. Socin. Tostat. Manasse Ben. Isr. aliiq;: At vero, etsi Legatus vices gerat legantis ejusque personam quandoque repræsentet, & nomen ejus gerat *in obliquo*, & mediate, ut v. g. legati à Cæsare missi dicuntur legati *Cæsaris*, Non tamen patitur ullus loquendi modus, ut in recto legatus gerat nomen legantis, quomodo v. g. Cæsaris legatus, etsi dicatur *Cæsaris* esse, non tamen dicitur *Cæsar*, etsi sit *Ferdinandi*, non tamen est aut dicitur *Ferdinandus*, sicut enim missus non est mittens, legatus non est legans, ita etiam legatus nequit dici legans, aut nomine proprio legantis in casu recto: Probent ergo quod supponunt, nomen יהוה aliis *propter legationem* tribui posse: Eadem ratione de Mose, Aarone, prophetis, Apostolis dices, quod Iehova sint dicive possint, quia sunt legati ejusdem.

XVI.

III. *Actiones solius Dei propriæ, quandoq; tribui leguntur ei, qui apparuit*, ut v. g. Angelo, qui Hagaræ apparuit multiplicatio seminis Gen. 16. 10. illi qui hic apparet, judicium universæ terræ Gen. 18 25. Angelo, quo cum Jacob luctat9 est, benedictio, Gen. 32. 26. c. 48. 16. ereptio à malis c. 48, 16 Angelo qui Mosi visq; est, precũ exauditio Ex. 3. 7. & ita deinceps. At vero sicut gloriã suam, ita & actiones in scripturis soli sibi vendicatas nemini extra sese cõcedit Deus: Quædam quidem Dei opera sunt ἀλλοπρόσωπα καὶ ὀργανικὰ quæ mediate perficit per creaturarum ministeriũ, quædam tamen sunt αὐτοπρόσωπα καὶ ἀνόργανα, quæ ipse solus operatur sine creaturarum ministerio, qualia sunt, corda cogno-

cognoscere, preces audire &c: Tum etiam, etsi quædam Dei opera fiant per creaturas, fiunt tamen per illas διακονικῶς, Et κτ χάριν, non ἀυτοκεφαλικῶς, παντοκεφαλικῶς & κτ φύσιν: Et sane hoc modo prorsus incommunicabili, actiones Deo proprias sibi vendicat aliquando is, qui in Veteri Testamento ἀυτοπροσώπως apparuit: Multiplicare semen promissione & promissionis complemento, ita ut in prima persona dicat, qui promittit, Ego multiplicabo, est ἀυτοκεφαλικὸν solius Dei, qui etsi per creaturas hoc agat, nulla tamen creaturarum eo modo multiplicationem seminis sibi vendicare aut alijs promittere potest: At vero Angelus qui apparuit Hagaræ id sibi eo modo vendicat Gen. 16. 13. Judicare creaturas omnes, & universæ terræ judicium sibi tribuere, est opus αὐτοκεφαλικὸν solius Dei, At illud sibi sumit is, qui apparuit Abrahæ Gen. 18. 22. Benedictionem alicui impertiri, ita ut à sese eam patiatur peti & impetrari, est opus ἀυτοκεφαλικὸν solius Dei, qui omnibus dat affluenter Jac. 1. 5. Ac vero ita impertit benedictionem is qui Jacobo apparuit Gen. 32. 26. c. 48. 16. Cordis gemitus scire & exaudire, est opus ἀκοινωνήτον solius Dei proprium, & nulli creaturæ communicabile: Tu solus *nosti corda*, ait Salomon, 1. Reg. 8. 39. At vero illud sibi tribuit Angelus, qui Mosi apparuit in rubo, Exod. 3. 7. Unde argumentum: *Is qui* ἀυτοκεφαλικῶς & κτ φύσιν *facit opera Divina etiam illa, quæ prorsus sunt* ἀκοινώνητα, *est verus & præternus Deus: At vero aliquis qui in V. T. immediate apparuit, est is qui* ἀυτοκεφαλικῶς *fecit opera Dei &c: Aliquis ergo qui in V. T. immediate apparuit, fuit verus & præternus Deus.*

XVII.

Dicit vero Enjedinus: *Permixtim nunc DEO nunc Angelis eundem sermonem & actionem tribui, ut in multis S. S. locis, ut Luc. 1. Ea quæ dixerat Mariæ Angelus, Elisabetha v. 45. Deo tribuit. Et ibidem c. 2. cum Angelus pastores allocutus esset, & eis nativitatem Christi indicasset,* v. 9.

v. 9. ijdem pastores v. 15. se hoc à Deo didicisse fatentur, sic Act. 12. cum Angelus eduxisset Petrum ex carcere, ut scribitur v. 7. 8. tamen Petrus v. 17. se à Deo eductum asserit. Et Paulus Act 27 ea quæ ab Angelo audivit v. 23. Deo attribuit v 25. Et ne plura congeram: Qui Apostolos recipit Christum recipit, qui Christum recipit, Deum patrem recipit, qui Prophetas & Apostolos spernit Deum spernit: Ex quibus & similibus appareret, sæpe legatum & legantem non tanquam duos diversos sed ut unum individuum considerari & haberi: At vero 1. Unam eandemque actionem Deo sæpe & Angelo in SS. tribui fateor, idq; non erat opus, ut operosè probaret Enjedin. sed DEUM & Angelum per illam unius actionis attributionem ut unum individuum considerari & haberi, est, quod constanter nego, quia una quidem actio tribui potest Deo & Angelo, sed non uno modo, verum alio atq; alio, Deo quidem ut principi, Angelo ut administræ causæ, adeoq; Deus & Angelus per illam unius actionis attributionem non confunduntur in unum individuum, sed potius accurate distinguuntur: Tum etiam (2.) Angelos sæpe ut Dei Legatos nomine Dei opera quædam perficere, adeoq; quicquid Angeli loco Dei peragunt, quasi à Deo per Angelos peractum recte dici iterum non diffiteor, idq; ideo quia Deo & Angelo una sæpè actio in SS. expresse tribuitur: At vero ea, quæ Jehovah agit modo incommunicabili & ἀυτοπραγικῶς, per Angelos acta rectè dici, diserte nego: Etsi enim quicquid Imperatoris legati agunt, Imperator per legatos fecisse recte dicitur, non tamen quicquid Imperator agit per legatos agere dicitur, quia potest quædam agere immediate & per se ut liberum agens, potest item quædam habere opera χοινωνικὰ, quæ per alios per agi velit: Ita etiam de Deo statuimus: Quicquid Angeli agunt ut legati Dei, Deus per Angelos fecisse *præviâ scripturâ* recte dicitur, non tamen, quod tanquam opus ἀυτοπραγικὸν & ἀκοινώνητον Deo creatori ascribitur, illud per Angelos agere recte dicitur, quia ut agens liberrimum potest quædam agere per se, &, quæ sunt opera sibi soli propria alteri non vult vendicare.

XVIII.

IV. *Cultus soli vero Deo proprius, quandoq; tribui legitur illi, qui in V. T. apparuit*, ut v.g. h.l. facit Abraham, postquam vidit non esse meros homines qui apparuerant, sicut infra patebit, Item Jacob, qui benedictionem petit ab Angelo luctatore Gen. 32. 26. c. 48. 16. Item Moses qui adorat & invocat illum qui apparuit, Ex. 33. 18. seqq. Item Angeli Seraphim, qui facies pedesq; velant coram majestate ejus qui apparet in templo sicut & Abraham Jacob &c. postquam ex dictis factisq; cognorunt, homines non esse, qui apparebant, *altaria sæpe erexere* Deo, quem viderunt, Gen. 12. 7 c. 35. 1. &c. At vero cultum religiosum, cum primis sacrificia, ulli extra Deum deferre non licet, uti in præced. evictum; sicut enim in nemine extra Deum licet divinam naturam agnoscere, hoc enim esset facere Deos alienos, ita etiam nemini extra Deum licet divinos honores tribuere, qui divinam naturam profundamento habent: Quid enim est divino honore mactare nisi divinitatem in aliquo agnoscere, & eapropter illum suspicere, illi sese submittere, subijcere, prosternere? ἀνπφατικῶ ergo est, (quod tamen Photiniani adserunt,) aliquē pro Deo non habere, & divino honore prosequi: Sicut item Deo nemo est similis, Ps. 86. 8. Ps 89. 7. Ita etiam nulla gloria nullus honor, qualis etiam cunque sit, deferri alteri extra Deum debet, divino honori similis. Iterum ergo gerræ sunt, quod Photiniani de simili divinæ gloria nugantur, quæ extra Deum alijs deferri possit: Et disertedicit Jehova, Gloriam sese suam ALTERI non daturum, Es. 48. 8. non illi solum, qui Deo contrarius est, qui contra Deum est, ut putat Theoph. Nicolaides, sed alteri, alteri inquam, etsi sit Deo subordinatus, negat sese daturum suam gloriam, jubetque ut sibi *soli* serviatur, Deut. 6. 13. c. 10. 20. Mat. 4 11. Neq; cultum religiosum ita uspiam inter sese & suos legatos, Angelos v. g. dividit, ut illum ex semisse, aut modo graduq; inferiori legatis suis deferri posse largiatur, sed in totum & in solidum soli sibi vendicat, uti disput. priori prolixius est ostensum. Et ideo B. Patrum aliqui Angelum illum de quo est, Gen. 48. 16, increatum esse inde colligunt

gunt, quia ab eo petitur benedictio, *cum enim gratiam dare sit solius Dei, nemo pati debet aliquem dicentem, utinam Deus pater & Angelus quispiam dirigat vitam tuam*, ut ait Cyrill. qui pluribus id persequitur thes. l. 3. sicut & Athanas. serm. 4 contra Arian. Fulgent. quoque l. 2. ad Mon. c. 3. eo fundamento utitur contra Arianos, qui patrem negabant unquam visibili formâ in Veteri Testamento apparuisse, filium vero apparere solitum, & inde filij & patris diversam & inæqualem essentiam ostendi posse putabant, quod non patris sed filij natura visibilium mutabiliumq; formarum capax esse posset: Contra hos disputans Fulgentius ostendit, illi qui apparuit in V. T. quandoq; esse exhibitos divinos honores, ut quod Abraham legitur altare ædificasse Domino, qui visus est ei, Gen. 12. & Isaac, Gen. 26. & Jacob, c. 35. *qui non alteri Deo sed illi qui visus est altari fecisse cognoscũtur*, inde ergo Arianos convincit, ut vel fateantur Christum esse verum Deum, quem illi semper dicebant in V. T. apparuisse, quia illi extructa altaria, & oblata sacrificia, vel Deum Patrem dicant quandoq; in forma humana apparuisse, quia illi ut soli Deo ex Arianorum hypothesi sacrificium debeatur, adeoq; ex apparitionibus Christi inæqualitatem cum patre, ut qui & ipse apparuerit, concludi non posse. Hæc optimè contra Arianos Fulgent. Nos vero eandem machinam contra adversantes admovemus: *Is qui cultu divino jure meritoq; afficitur, est verus & præternus DEUS: At vero aliquis qui in V. T. ἀνθρωποπρεπῶς apparuit, est is &c:* E.

XIX.

Sed *levis est ista ratio*, ait Perer. in c. 32. Gen. cum eam nomine Theodoreti sibi objecisset, *Non solum ab Angelo benedictio optari & peti potest, sed etiam gratia & pax, non tanquam ab Autore & largitore ejus, sed tanquam à gratissimo apud Deum deprecatore & procuratore & administro*: Verum (1.) Non licet ab Angelis petere, eosq; ut deprecatores invocare, si cut firmis rationibus disp. præced. evicimus (2.) Illi qui petiere benedictionem, v. g. Iacob Gen. 32. non petiere ab ijs qui visi sunt, tanquam à deprecatoribus

bus sed tanquam ab autore, quia in invocationes illas prorupere, postquam ex dictis factisq; cognoverunt, illum, qui apparuit, Deum esse (3.) *Qui apparuit*, ait Perer. cit. l. *etsi secundum personam erat Angelus, tamen Dei majestatem & autoritatem repræsentabat, quocirca mirandum non est, eum vocari Deum & nomen ejus dici admirabile.* Ergo etiam, inquam ego, non potuit ab eo Iacob benedictionem petere tanquam à deprecatore, quia Dei personam repræsentabat, sed ut ab autore, quia deprecator erat non repræsentative sed in sese, autor vero secundum adversariorum hypothesin, non in sese, sed repræsentativè.

XX.

Visis vero fundamentis sententiæ nostræ, breviter etiam examinabimus fundamenta adversantium, ut contrarijs juxta sese positis veritas eluceſcat magis. Miraberis vero, scio, ejus sententiæ tot patronos reperiri, quæ tam levi nititur patrocinio: I. Ait Pererius: *Si quâ in apparitione is qui apparuit existimari deberet Dei filius, id maxime putandum esset de eo, qui apparuit in monte Sina & dedit legem Hebræis, fuit enim apparitio illa omnium nobilissima & celebratissima, & non uno loco scriptura dicit, descendisse Deum in montem Sina & dedisse legem: Imo vero ille ipse qui apparuit, aperte Deum se appellat, & sui amorem super omnia & cultum & obsequium & suæ legis observantiam ab Hebræis deposcit. Non fuisse tamen Deum qui apparuit immediate Mosi & per quem lex illa lata est manifestum faciunt verba S. Pauli & S. Stephani. Ille quippe in c. 3. Ep. ad Gal. scribit legem illam per Angelos fuisse ordinatam, hic autem Act 7. dixit, Iudæos legem accepisse per dispositionem Angelorum: Signanter vero dictum est plurativo numero, per Angelos datam esse legem, id est per unum quempiam de numero Angelorum, ne si numero singulari dictum esset per Angelum, supra dictæ opinionis assertores id de filio Dei qui nonnunquam appellari solet Angelus, interpretarentur.* Hoc argumentum, quo plerique utuntur, ex Tostato in Ex. c. 3. desumsit, qui eodem illo contra veritatem insurgit. At vero, is qui legem dedit, quique *aperte se Deum appellat, & sui amorem super omnia, & cultum & obsequium, & suæ legis observantiam ab Hebræis deposcit*, fuit verus Deus, & Angelus increatus, quia nomen Dei, amorem sui super omnia

mnia &c: citra blasphemiam sibi creatura vendicare non potest: Et hic Angelus increatus à quo tanquam autore legis promulgata lex est, Ex. 19. 16. seqq. c. 20. 1. seqq. descendit stipatus *myriadibus Sanctorum*, Deut. 33. 2. & inter medias Angelorum Sanctorum acies honoris causâ Imperatorem suum stipantes, legem promulgavit, quæ à Stephano dicitur accepta εἰς διαταγὰς Ἀγγέλων, *per dispositionem Angelorum*, ut Beza legit, hoc est Angelorum ministerio, ut διαταγὴ hic usurpetur pro διακονίᾳ, vel, quod convenientius vertit Vulgat. *In dispositione Angelorum*, h. e inter disposita beneque collocata Angelorum agmina, Imperatori suo astantia, eumq; reverentiæ causa stipantia: Idq; etiam Paulus vult, cui lex dicitur διαταγεὶς δι' ἀγγέλων, *ordinata per Angelos*, vel potius *Inter Angelos*, inter Angelorum agmina, Gal. 3. 19. eoq; innuit Angelos non fuisse autores ferendæ legis, quia non dicit esse latam ὑπ' ἀγγέλων, ab Angelis, imò ne ministros quidem, quamvis ejus, qui legem promulgavit, comites & ministri fuerint. Audiat Perer. Fernandium Connimbricensem: *Illud*, ait, *ad Gal 3*, lex ordinata est per Angelos in manu mediatoris, *non significat Angelos dedisse legem, sed suum ibi exhibuisse ministerium; nam constat insonuisse tubas, micuisse ignes, audita tonitrua, & hæc ipsa ministerio Angelorum facta, nec aliud voluisse Paulum*: Hæc ille. Quomodo autem inde suum assertum eliciet Pererius: *Lex est ordinata per Angelos creatos, h. e. per ministerium Angelorum, vel rectius inter myriades Angelorum, eorumq; benè dispositas acies: Ergo is à quo lata lex est, quiq; se Deum appellat &c. non fuit Deus, sed Angelus creatus!* Anne ergo mutuo sese tollunt, perimuntq; causa princeps & ministra, ut lex à Deo, aut ab Angelo increato lata dici non possit, quia est lata per Angelos? imò vero nos potius è dictis contra Pererium argumentamur. Is, per quem est lata lex, fuit minister saltem ferendæ legis, non autor, διὰ enim in illo Paulino ministerium notare volunt ipsi Jesuitæ: Atqui Angelus ille qui legem promulgans Deum sese appellat, non fuit minister ferendæ legis, quia sui amorem super omnia & cultum

& obsequium, & suæ legis observantiam ab Hebræis depoſcit; fatente Pererio E. per illum non est lata lex, adeoq; in Pauli effato non comprehenditur: *Ulterius*: Ille Angelus creatus est, per quem sive cujus ministerio lata lex est: At vero Angelus is, *à Quo* lata lex est, ita ut sui amorem poscat super omnia, non est Is *per Quem* est lata. E.

XXI.

II. Ait Serarius: *Deum nec per incarnationem, nec per corporis assumtionem apparuiße in hominum figura*: Operose utrumq; probat, quæ tamen ferme singula nemo nostrum negat, unicum est, in quo latet πρῶτον ψεῦδος, quod sc. Deus non potuerit corpus assumere, secundum personam, *quia vel omnes personæ illud corpus assumerent, & tunc non solus Pater aut filius appareret*, &c: Vel una, & sic *posset aliquid una personarum facere in creaturis ad extra, quod non aliæ, quia una persona divina corpus assumeret, quod non aliæ assumerent.* Chrysippi acumen Serari! Nostin? quod filius Dei sit incarnatus non tota Trinitas, quod Sp. S. descenderit in specie columbæ, non tota Trinitas, quod vox patris audita sit de cœlo, non filij non Sp. S. Ergone, ut tu colligis, una personarum poterit aliquid facere in creaturis ad extra, quod alia non poterit, quia una carnem induit, aliæ non, una descendit in specie columbæ, aliæ vero non, una loquitur formando vocem sensibilem, & aliæ non? Hæc est subtilitas Serarij! Notandum vero quoad præsens, assumtiones illas corporum in V. T. factas, quibus Deus αὐτοπροσωπως apparuit, à tota Trinitate esse *effectivè*, verum non ad omnes tres personas sed ad unam ex illis *terminativè*, ut loquuntur: Ab omnibus est illa corporis assumtio οἰκονομικὴ quoad actum, tanquam à causa operante, non vero ad omnes sed ad unam, v.g. secundam personam quoad terminum: Omnes enim tres personæ aptarunt uni corpus quod assumsit, sed tamen non ideo omnes tres corpus illud assumsere, verum una tantum, fieri enim nequit, ut una persona assumptionem corporis operetur, quin simul operetur & alia, fieri tamen potest ut una persona assumat corpus, quin assumat simul

mul alia: Sicut v.g. omnes tres personæ recte dicuntur incarnare, ut sic loquar, h. e. ad incarnationis opus concurrere quoad actum, sed una tantum dici potest incarnari quoad terminum, quod Luth. similitudine ex Scholasticis sumta declarat, *trium* sc. *puellarum, quæ uni ex sese vestem induunt, aut coronam imponunt.* Ita & Sp. S. recte dicitur descendisse in specie columbæ, vox patris de cœlo audita esse, ubi tamen in descensu illo non solus operatus est Sp. S. aut ad formandam vocem solus pater, sed tota Trinitas, etsi quoad terminationem fuerit Sp. S. qui descendit in tali specie columbæ, non pater aut filius, solus item pater de cœlo clamarit, non filius, aut Spiritus Sanctus: Et ita quobiscum contra Serarium Fernandius, *verbum divinum*, dicit, *specialiter apparuisse per appropriationem, ut loquuntur Theologi, sicut de Sp. S. dicere solemus quod Sanctificat, id enim intelligendum est appropriatè, nam reverâ cæteræ quoq; personæ sanctificant*: Hæc Serarius expendat, videbitq; difficile haut esse, ut assumat Trinitatis aliqua persona corpus, quin assumat alia, citra læsionem tamen ὁμοουσίας, potentiæ, aut operationis.

XXII.

III. Ait Serar: *Deum per media hæc infima solitum administrare, agere per causas secundas, & idem de apparitionibus sentiendum esse, frustra fieri per plura quæ fieri possint per pauciora, alias dici posse Deum sic omnia in omnibus rebus agere, aut nullam veram Angelorum apparitionem, nullas veras causas fuisse, si semel dicatur Deus apparuisse immediatè: Non videri decere majestatem divinam, ut immediate corpora assumat, quorum efficiendorum vim Angelis indiderit, quamq; in illis non voluerit esse otiosam: præsertim cum corpora illa sint evanida quæ in aerem resolvantur, quæ non deceat Deum induere, cum Angeli possint: Posse & velle Deum alios à seipso nuncios adhibere, præsertim cum Angeli sint Sp. ministratorii, quod non esset, si Deus per semetipsum corpora indueret:* Hæc Serario sunt suæ assertionis fundamina, viro profecto erudito in digna: Nam 1. Utut Deus per media agat ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, quando

quando juxta communem naturæ ordinem agit, aliquando tamen pro liberrima sua voluntate agit sine medijs, extra ordinem, supra ordinem, & per seipsum, Nec tamen, II. Etsi DEus aliquando sic agit *immediate* & extraordinem, ita semper omnia in omnibus agit, ut colligit Serar. aut frustra quandoq; per plura, sive per causas secũdas agit, quia ex particulari universale, ex eo quod aliquando sic agit Deus, in ferre quod semper ita agat, admodum nugatorium est, & DEus licet per causas secundas agat, aliquando tamen immediate agit, quæ per causas secundas facere solet, quæ tamen frustra ideo non sunt, quia Deus per illas ita agere decrevit, ut pro liberrimâ sua voluntate quandoq; sine illis quædam agere constituerit: Neq; III. de decet majestatem divinam, ut quædam agat immediate, aut ἀνυποστάτως corpus assumat, & in eo operetur, quia pariter Deo non fuit indignum, (nihil enim tam Deo dignum quam salus hominis) corpus in tempore assumere & carnem induere: Et sane, quid deceat Deum aut non deceat, non è Jesuitæ gryllis, sed sacris scripturis voluntatem DEI revelantibus optime discitur: Tum vero IV. Potest & vult DEUS alios *quandoque* à seipso nuncios adhibere, sed tamen potest etiam aliquando per seipsum immediate quædam efficere: Neq; ideo etsi immediate quædam agat Deus, Angeli desinunt esse administratorij Spiritus, aut fiunt otiosi contemplatores operum Dei, quia *semper vident faciem patris qui in cœlis est*, Matth. 18. 10. semper ad ejus nutum prompti, & ministeria, quæ *peragere jubet DEus*, expedire parati.

XXIII.

IV. Objciunt communiter: *Apparitiones, quæ omnium maximè à Deo videntur factæ, ab Angelis tamen factas fuisse, Cumprimis Gen. 18. 2. apparuisse Abrahæ tres viros, h. e. ut interpretatur* Serar: *tres personas Trinitatis ab Angelis tribus in corporibus assumptis repræsentatas: Angelos autem fuisse* dicunt *inde constare, quia c. 19. v. 1. dicitur, duos Angelos Sodomam venisse*: Verum inde urgeri nos non posse fatetur celebris quidam Jesuita, quia *cum tres viros apparuisse dicitur,*

non

non refert scriptura, omnes tres locutos fuisse in nomine & persona Dei, sed unum tantum ex illis, quem possent adversarij inquit, *contendere esse ipsum Deum, & veluti Dominum eorum apparuisse, cum quo etiam Abrahamus tanquam cum principe & Domino videtur locutus, cum dixit, Domine si inveni gratiam &c: Unde & cap. seq. non legimus venisse tres Angelos Sodomam, sed duos tantum, venerunt itaq;, dicit scriptura, duo Angeli Sodomam. Possent ergo dicere, duos illos Angelos missos fuisse à Domino, qui inter eos ut princeps apparuit.* Et certe rem ita habere sese, ulterius constabit ex ijs, quę mox dicenda erunt circa ultimam opinionem, quæ sequitur.

XXIV.

Quinta Opinio illorum est, qui statuunt tres illos viros fuisse sive Deum, sive filium Dei, stipatum duobus Angelis creatis, sive ut Iustinus ait, contra Tryphon. *Dominum duorum Angelorum, quibus progredientibus ipse relictus sit cum Abrahamo, & collocutus quæ descripta sunt à Mose.* Et hæc sententia simplicissima est, plurimisq; B. Patribus, non Justino solum, ut modo vidimus, sed & Tertull. Theodoreto, Epiphanio, Chrysostomo, Ambros. Leoni Romano, Clementi Romano, Hilario, Clementi Alex. Ireneo, Eusebio, Constantino M. Sozomeno, alijsq; probata, neq; ab ipso Judæo Philone, & paucis quibusdam Pontificijs Scriptoribus penitus improbata. Clemens Roman. l. 5. Constit. c. 21. tom. 1. Concil. p. 86. *Hunc* (verum Dei filium) *Abraham hospitio acceptum, judicem suumq; Dominum confessus est.* Iren. l. 4. contra Hær. c. 23. *Inseminatus utiq; est in scripturis ejus filius Dei, aliquando quidem cum Abraham loquens, aliquando cum eodem comesurus aliquando Sodomitis inducens judicium*, Tertull. l. de Carne Chr. c. 6. p. 19. *Tunc quoq; inter illos Angelos ipse dominus apparuit, Abrahæ sine nativitate, cum carne sc. pro eadem causæ diversitate:* l. 2 adv. Marc. p. 189. in fine: *Profitemur Christum semper egisse in Dei patris nomine, ipsum ab initio conversatum, ipsum congressum cum Patriarchis & Prophetis, filium creatoris sermonem ejus &c: Ediscens jam inde à primordio, jam inde hominem, quod erat futurus in fine.* l. 3. adv. Marc. p. 20. 1. *Ipse cum Angelis tunc apud Abraham in veritate quidem carnis apparuit, sed nondum natæ*

quia nondum morituræ, sed & discentis jam inter homines conversari. T. adv. Prax. p. 392. *Ipse* (filius Dei) *ad humana semper colloquia descendit, ab Adam usq; ad Patriarchas & Prophetas, in visione, in somno, in speculo, in ænigmate ordinem suum præstruens ab initio, semper quæ erat per secuturus infinita, semper edisebat, & Deus in terris cum hominibus conversaris non alius quam sermo qui caro erat futurus, edisebat autem ut nobis fidem sterneret, ut facilius crederemus filium Dei descendisse in seculum, & retro tale quid gestum cognosceremus,* Hilar. l. 4. de Trinit. p. 36. *Viri deinde conspectis tribus duo abeunt, sed qui residet & Dominus & Deus est, neq; solum Dominus & Deus est, sed & Judex est.* Et paulo post *Dominum suum ex tribus agnitum & solum adoratum & Deum confessus est, & judicem,* Item: *Divinæ scripturæ historia duos de tribus tantum Angelos fuisse significat, illum Dominum & Deum prædicat,* Item: *Tenet ergo SS ordinem veritatis nec pluralem significationem in eo qui & Deus & Dominus agnoscebatur miscens, neq; Angelis duobus honorem qui Deo tantum fuerat delatus impertiens:* In margine legitur, *Ex tribus conspectis duo Angeli & unus Deus & Dominus:* Chrysost. hom. 41. in Genes. pag. 586. edit. Paris. anno 614. *Quia hospitalitatis sagenam expanderat, meruit & universitatis Deum cum Angelis suis suscipere:* Hom. 42. p. 598 *Hic quidem in tabernaculo Abrahæ & Angeli & eorum Dominus per idem tempus visi sunt, postea vero illi quidem ut ministri missi sunt ad subversionem illarum civitatum, ipse autem Dominus mansit, & quasi amicus amico justo communicabat quænam facturus esset.* Leo Epist. 13 ad Pulcheriam p. 317. *Potuerat quippe omnipotentia filij Dei sic ad docendes justificandosq; homines apparere, quomodo & Patriarchis & Prophetis in specie carnis apparuit, cum aut luctamen iniit aut sermonem conseruit, cumve hospitalitatis officia non abnuit vel etiam appositum cibum sumsit.* Euseb. l. 1. Histor. Eccl. c. 2. p. 4. *Fertur Dominum Deum in hominis naturalis specie apparuisse Abrahamo prope quercum Mamre considenti, qui extemplo humi prostratus licet solum hominem oculis cerneret, adorabat tamen ut Deum, & supplex illum precabatur ut Dominum.* Constantinus M. apud Euseb. l. 3. de vita Const. c. 51. p. 377. *Non ignoratis illic* (in quercu Mamre) *primum Deum omnium rerum rectorem tum apparuisse Abraham, tum cum illo sermonem contulisse, &c. Illic primum ipsum servatorem cum duobus Angelis seipsum clementer*

menter & benigne Abraham ostendisse: Illic Deum cœpisse ab hominibus videri &c: Sozomen. l. 2. Hist. Eccl. c 3. p 230 *Quo in loco verus Dei sermo memorat, filium Dei una cum duobus Angelis ad Sodomorum eversionem missus Abrahamo visum esse, prædixisseq; illi filium natum fore:* Nicephor. l. 8. c. 30. p. 347. *Vera certaq; fama est, una cum Angelis contra Sodomam euntibus (ibi apud quercum Mamre) & filium Dei hospitaliter acceptum esse ab Abraham, ab eoq; Isaci procreationem annunciatam.* Vide eund. l. 1. Hist. c 2. & 3. Clement. Alexand. l. 5. Stromat. Theodoret. q. 68. in Gen. Ambros. l. 1. de his qui initiantur c. 3. Concilium Sirmiense c. 13 &c. Philo Judæus quoq; in l. de Abrah. *Tertius quantum equidem intelligo, erat ille qui vere est.* Vatablus in Gen. 18. v. 3. *Quod unum peculiariter salutat, videtur ideo factum fuisse, quod præ aliis duobus excelluerit, scimus enim Angelos ut plurimum apparuisse cum capite suo Christo, atq; hic in tribus Angelis unum designat Moses legationis principem.* Quæ ita fere verbotenus etiam habet Calvinus in comment. super h. l. Idem Vatabl. in c. 19. v. 1. *Simplicius est, quod à doctis quibusdam scribitur, hoc fuisse Abrahæ peculiaris gratiæ loco concessum, ut Deus non modo è media Angelorum turba duos ad eum mitteret, sed familiarius se illi patefaceret in filio suo, unus enim, ut vidimus, principem locum ut dignitate superior obtinuit; Quamquam autem Christus semper fuit mediator, quia tamen magis obscure ipse Loth patefactus fuit, quam Abrahæ, tantum duo Angeli Sodomam venerunt.* Masium & Fernandium, Pontificios Doctores supra citavimus. Hæc ergo sententia densis Patrum Doctorumq; suffragiis nixa, & quod sciam, à plerisq; nostratibus recepta est, adeoq; non temere deserenda. Tempore Augustini erant, qui pro hac sententia eo argumento utebantur, *quod Abraham unum tantum de illis tribus veneratus sit, & allocutus quasi Dominum, nullo aliorum habito respectu:* Id vero refellit August. l. 16. de C. D. c. 29. & l. 2. de Trinit. c. 11. 12. & ex eo Per. in Gen. p. 597. Verum nos alijs paulo; firmioribus rationib. ad hanc sententiam amplectendam persuademur. Tria vero probanda erunt: I. Jehovah immediate & ἀνθρωποπρεπῶς apparuisse, II. Secundam Trinitatis personam sive Dei filium

apparuisse, & III. apparuisse stipatum duobus Angelis creatis.

XXV.

Primo: Quod *Jehovah immediatè & αὐτοπροσώπως h.l. Abrahæ apparuerit, patet* I. *A denominatione*: Quia unus ex illis tribus qui hic apparent, tanquam ἐπιμώπους, in casu recto directe & immediate dicitur nomine solius Dei proprio יהוה *Apparuit Abrahæ Jehovah* v. 1. *dixit Jehova* v. 13, 17. 20. 26. *stabat adhuc coram Jehovah*, v. 22. *abiit Jehovah* v. 33. At vero nomen illud tetragrammaton incommunicabile est solique Deo proprium uti dictum: II. *A scripturæ locutione*, quæ dicit Jehovah apparuisse, וירא אליו יהוה Et *apparuit illi Jehovah*, Gen. 18. 1. τὸ apparere autem, semper illius rei, quæ verè dicitur apparere, immediatam præsentiam & revelationem significat; Dicunt quidem Pontificij, apparuisse Deum per Angelos & mediate, verum non probant, ipsa vocis vis repugnat, proprie enim non videtur, non apparet, qui ipse immediate non videtur, sicut v. g. Cæsar non videri dicitur cum ejus legati videntur, quia ergo litera ita sonat, *Deus apparuit*, ita etiam ut sonat accipienda est, donec aliter accipiendam suadeant adversarij non nugis sed evidentibus argumentis. Id *videtur, quod præsens sentitur, quod autem ante non præsentitur*, *sed repentino videtur aspectu apparere dicitur*, juxta August. Præsens ergo oportet esse id, atq; videri, quod apparere memoratur. III. *Ab αὐτοπροσωπευτικῇ divina actione*, quam is sibi tribuit, tribuiq; patitur, qui inter illos tres tanquam ἐπιμώπους Abrahæ apparet: (1.) Risum Saræ dignoscit v. 13. 15. &si sese risisse neget, quod arguit fuisse intimorum scrutatorem, risit enim בקרבה in medio sui, v. 12. h.e. in corde suo, intra sese, & ideo sese risisse negat v. 15. quod putaret à nemine illud animadverti posse, timore vero perterrita est, cum audiret sese reprehendi, eo quod plus quam hominem videtur advertisse, qui intima ejus penetrare posset; *Equidem puto, air*, Philo, *tunc demum eam existimasse augustiorem quandam esse hospitum illorum conditionem*

nimirum

nimirum ratam aut vates esse, aut Sp. Angelicos humana forma velatos: (2.) Risum Saræ reprehendit, v. 13. quod arguit fuisse cogitationum arbitrum, qui inter pias & impias, bonas malasq; cogitationes discernere posset: *Risus Abrahæ fuit admirationis & lætitiæ, Saræ autem risus fuit dubitationis, id vero discerni & dijudicari ab eo potuit, qui solus novit corda hominum*, juxta August. q. 36. in Gen. (3.) Clamorem peccatorum *ad sese* dicit ascendisse: v. 20. sc. ut magnam celeremq; ejus poscceret vindictam: At vero solus Deus est, ad quem tanquam vindicem & ultorem clamant peccata, ejusq; vindictam poscunt, Gen. 4. 10. Jon. 1. 2 Jacob. 5. 4. Apoc. 6. 10. &c. *omnis* enim *iniquitas apud secreta Dei judicia habet voces suas*, ut ait Gregor. l. 5 Moral. c. 7. *cœdi aures suas DEus dicit clamoribus peccatorum*, ait Salvian. l. 1. de provid. *ut non differatur pœna peccantium, & verè clamor & grandis clamor est, quando pietas Dei peccatorum clamoribus vincitur, ut peccantes punire cogatur: Ostendit ergo Dominus, quam invitus puniat etiam gravissimos peccatores, dicens, quod clamor Sodomorum ad se ascenderit, hoc est dicere, misericordia quidem mea mihi suadet ut parcam, sed tamen peccatorum clamor cogit ut puniam*: Hæc recte Salvianus (4.) dicit *sese descensurum ut videat* clamorem v. 21. quæ sane locutio innuit illum, qui hic loquitur esse Deum: *Solet enim Scriptura ad exaggerandam gravitatem alicujus peccati & vim divini supplicij quo peccatum illud puniendum est, inducere Deum descendentem ad videndum illud peccatum & sumendum de eo supplicium*, ait Perer. in Gen. c. 11. p. 4. 25. *Descendit Deus id est, habet se ad similitudinem descendentis, quatenus extendit se non quidem corporali motu sed cura & providentia usq; ad hæc infima humanas sc. actiones & singularia hæc corporea*, ait Cajetan. R Moses in More Nevoch. p. 1. c. 10. p. 15. *Quando plaga super gentem aliquam vel clima aliquod terræ descensura est juxta voluntatem DEI, ante jam per Prophetas denunciatam, qui dixerunt Deum visitaturum opera ipsorum nisi resipiscunt, & quando postea eam Deus infligit, dicitur descendere*: August. ser. 70. de temp *Descendere dicitur Deus, quando curam humanæ fragilitatis habere dignatur*: Unde Chaldæus verba textus h. l. non incongrue videtur exposuisse: *Revelabo me nunc & cognoscam, num juxta clamorem suum qui venit ad me fecerint, consumam eos penitus*

τως, si non fecerint pœnitentiam, quod si pœnitentiam fecerint non sumam ab iis pœnam: Quæ sane talia sunt, ut Angelum creatum illa dixisse, blasphemia sit dicere. (5.) dicitur Judex Universæ terræ v. 22. qui sane titulus, quia omnipotentiam & omniscientiam prærequirit, nemini nisi soli Deo convenit, *cujus præstantissimum & quasi supremum munus est, judicem esse omnium hominum, & ultorem scelerum ac malefactorum, virtutumq; ac benefactorum remuneratorem*, juxta Perer. in h. l. *Quem constituit alium super terram aut quem posuit super orbem quem fabricatus est?* legit vulgatus, Job. 34. 13. (6.) Tribuit sibi παντοκρατορικῶς & autoritative, ut ex dialogismo apparet, quod propter 50. 45. 40. 30. 20. 10. justos nolit perdere locum istum, adeoq; ad preces Abrahæ peccata & pœnas remittere v. 23. seqq. quod manifestum est soli Deo competere, sicut enim illi soli peccamus, Ps. 51. 6. Ita etiam ille solus peccata remittere potest, Luc. 5. 21. Ps. 103. 3. Es. 43. 25. (7.) Dicitur magnificasse benignitatem suam & audivisse preces Lothi, Gen. 19. 19. 21. quod itidem, uti alias dictum, solius Dei opus est, quia prærequirit cordium scrutationem, & discretionem cogitationum precumq; an ex corde puro fideliq; proveniant, nec ne. Et sic manifestum est divinas actiones ἀυτοκρατορικὰς soli Deo proprias illi tribui qui ὀπτασίας è tribus Abrahæ apparuit. IV. *Ab honoris divini exhibitione*, quem is sibi patitur exhiberi, qui honoratior inter tres apparet Abrahamo: (1.) Illum enim Abraham pro Sodomorum liberatione invocat & implorat v. 23 c. 18. Solus vero Deus invocandus ut dictum disp. priori, *Cum Deo loqui tam liberè summæ fuit non audaciæ sed fiduciæ*, ait Philo in l. qui inscribitur, Quis rerum divinarum sit hæres. (2.) Illum ut judicem terræ veneratur & agnoscit, v. 22. qui item honor solius Dei est: (3.) Illum fatetur esse Dominum suum, coram quo sit pulvis & cinis v. 27. quasi ut Philo exponit, dicere velit, *Didici me ipsum æstimare, ac metiri scio, quam sim nihili & ideo nimiam erga me tuam beneficentiam obstupesco, & quoties pulverem cineremq; aut si quid his abjectius est, me ipsum sentio, tunc appellare te audeo, humiliatus nempe atq; in terram prostratus atq; ita mutatus ut vix ipse mihi*

mihi subsistere videar: Ita vero coram Angelo aut ulla creatura sese humiliare & prosternere nemo hominum debet, neq; absque grandi Idololatria admirabilis vir Abraham facere potuisset.

XXVI.

Secundo: *Quod Secunda Trinitatis persona sive Dei Filius apparuerit* inde conijcimus: Quia media persona orator est Sacro-Sanctæ Trinitatis, nuncius & interpres divinæ voluntatis, uti alibi, ita & h. l. *missa*, adeoq; nomen *Angeli* sibi vendicans in S.S. quod patri & Sp.S. quod sciam, non competit: *Ediscebat* enim, ut Tertull. ait l. contra Prax. c. 16. *ut nobis fidem sterneret, ut facilius crederemus, filium Dei descendisse in seculum, si & retro tale quid gestum agnosceremus.* Festiva illud similitudine declararunt Hilar. & Ambr. desumtâ ab adolescentulo, qui præclaram vestem novam, non nisi die præstituto induere jussus à patre non potest se continere, quin præ lætitia gestiens eam domi clam solus induat, sese q; sic vestitum glorioſe circumspiciat, vel potius æquali Sodali si minus id aliter liceat, imponat.

XXVII.

Tertio: *Quod Filius Dei apparuerit, stipatus duobus Angelis creatis* inde elicitur, quia duo viri è tribus dicuntur abijsse Sodomam c. 18. 22. eoq; venisse circa vesperam c. 19. 1. ubi dicuntur *Angeli*, sicut & Ebr. 13. 2. abeuntibus vero illis Abraham adhuc stabat coram Jehovah, & cum eo loquebatur, v. 22. unde constat Angelos illos duos è ternario numero, abeuntes, & venientes Sodomam à Jehova, qui tertius erat, & coram quo stabat Abraham, distingui, adeoq; creatos esse: Is tamen ipse Jehovah ab Abrahamo discedens, c. 18. 33. etiam post una cum duobus Angelis humanâ specie Lotho affuit, qui illum etiam ut Deum agnovit, & humiliter deprecatus est c. 19. 19. seqq. Neq; enim ulli alij, quam vero Deo tribui potest, quod hic, quo cum loquitur Lothus, gratiam & misericordiã fecisse dicitur, nec ab alio quoquam peti potuit, ut parceret civitati Tsoar, neq; creatus Angelus sibi honores & potestatem

testatem divinam sumere potuit, *Ecce in eo suscepi preces tuas &c!* Hoc enim solius Dei esse abunde satis dictum est. Et hæc de *Tribus viris* sive personis quæ apparuere, sequitur.

XXIX.

III. De Modo sive Forma Apparitionis.

Modus apparitionis est in textu, dicitur enim apparuisse tres viros v. 2. quos invitans Abraham v. 3. 4. 5. & edulia parans, v. 6 7. hospitio excipit lauteq; habet, v. 8. seqq. cui unus ex illis, Jehova sc. & Dei filius filium promittit v. 10. seqq. post vero Sodomam prospicientes comite Abraha surgunt abeuntque v. 16. donec tandem è gestis dictis factis innotuit non viros esse sed Jehovam stipatum duobus Angelis, ut patet ex v. 23. seqq. Apparuere ergo in forma I. Corporea, II. Humana, III. Virili, IV. Vili. abjecta, ut putant, & juvenili.

XXX.

Apparuere I. *in forma corporeâ* sive in assumtis corporibus: Tostat in 3. Reg. c. 9. q. 2. tom. 7. op. p. 133. Varios modos ponit, quibus Deus appareat, vel quod veniat Angelus loco Dei assumta figura humanâ, vel quod appareat in sola voce, ut vox audiatur & non videatur, ut Num. 7. vel per Somnium ut Num. 12. vel per immutationem intellectus, quod elevet Deus intellectum alicujus ad intelligendum aliquid supernaturaliter, quod aliter intelligere non poterat, Hi vero modi an omnes apparitiones dicendi sint, equidem dubito: Apparitio enim de externa aliqua specie homini, ad visendum objecta communiter intelligitur: Utut vero sit, apparitio h. l. facta est in forma corporea & visibili: stabant enim ante Abrahamum *tres viri*: Fuere quidam qui dicerent, apparitiones illas de quibus in SS. legimus, esse semper factas secundum Imaginationem, ut refert Thomas p. 1. q. 51. art. 2. quam etiam opinionem fovet R. Moses Majem. in more

more Nevoch. p. 73 *Aperte testantur,* ait, (sapientes nostri) *Angelos non esse materiales, neq; certam & constantem aliquam habere formam vel figuram corporalem extra intellectum, sed omnia tantum fieri in visionibus propheticis & in Imaginatione.* Sic p. 307. p. 2. c. 41. *De quocunq; scriptum occurrit, quod Angelus cum eo locutus, aut quod aliquid ipsi à Deo revelatum sit, id nullo alio modo quam in Somnio aut visione prophetica factum esse noveris.* Idem repetit c. 42. p. 309. seqq. visionem vero prophetican ita explicat c. 14. p. 307. quod sit *terror quidam panicus, qui occupat prophetam inter vigilandum, & in tali negotio sensus omnes à suis functionibus quiescunt, & venit influentia illa super facultatem rationalem ac ab istâ diffunditur in facultatem imaginatricem hocq; pacto opus suum perficit & absolvit;* Unde constat Doctissimi illius Judæi, qui ut Scal. de eo loquitur, *primus inter suos nugari desijt,* sententiam esse, quod uti omnes aliæ, ita etiam hæc apparitio in imaginatione contigerit. Verum Imaginatio hæc est, quæ fundamentum non habet, textui quoq; & ejus evidentiæ diserte repugnat: Abraham enim (ut de reliquis apparitionibus nihil dicam) sedisse dicitur ad ostium in fervore diei, dicitur stantes vidisse, invitasse, excepisse, pedes lavisse, cibos apposuisse, laute tractasse, sermones conseruisse, risisse, &c. quæ omnia secundum literam, ut sonant intelligimus, quia nullum uspiam est vestigium facta ea esse, aut Abrahæ contigisse in Imaginatione. Thomas utitur hac ratione, quod SS. interdum ita commemoret Angelos apparuisse, ut non ab uno vel altero tantum, sed à pluribus hominibus sine discrimine visi sint, ut h. l. Quæ autem secundum imaginationem solum cõtingunt ea non solent percipi à pluribus indifferenter.

XXXI.

Apparitio ergo illa non facta est secundum imaginationem, sed in assumpto corpore: Potest autem, ut alias à Dd. Scholastisticis notatum est, assumtio corporis fieri tribus modis: I. Per *unionem physicam,* sive informationem, quomodo anima assumit

corpus ut informet, illud & cum eo constituat unum compositum, qua ratione certum, neq; filium Dei, neq; Angelos corpora assumsisse, quia personæ sunt, adeoq; completa entia, quæ non sunt, neq; esse possunt formæ informantes h.e. Entia incõpleta, & naturaliter uniri cum alio ad complendum esse alterius & constituendum compositum per se, neq; corpus informare, cum effectus formalis esse non possit sine causa formali. II. Per *Unionem hyperphysicam* & hypostaticam, quomodo λόγος in tempore humanam carnem induit, & in suam hypostasin evexit, ut cum eo constituat unam personam: Et hoc modo constat neq; filium Dei neq; Angelos pro eo tempore corpora assumsisse, quia res est plane singularis & admiranda, quod verbum divinum personalitate sua carnem suppleverit, eamque sibi ita univerit, ut nunquam deponeret: Ante illud tempus ergo non potest dici, filium Dei aut Angelos sibi carnem ὑποστατικῶς univisse, quia corpora quæ assumsere, rursum deposuere: III. Per *Unionem extrinsecam*, oeconomicam, & accidentalem, quæ unio iterum fieri potest vel ad solam operationem, ut Angelus v. g. in corpore aliquid operetur, quomodo v. g. motor unitur mobili, quæ tamen unio propriè nondum est *corporis assumtio*, etsi enim v. g. Angelus unitus sit orbicœlesti ut moveat illum, aut linguæ asinæ ut loquatur per illam, aut serpenti ut seducat per eam, aut energumeno ut in illo singulares producat effectus, nondum tamen corpora illa ideo assumsisse proprie dicitur, etsi sit unitus ad illa: Vel ad operationem simul & repræsentationem, sive manifestationem personæ, ut suam in assumpto corpore personam repræsentet seq; per illud manifestet: Et hoc posteriori modo dicimus, tres viros sibi corpora aptasse, eaq; assumsisse non κατὰ φύσιν, neq; κατ' ὑπόστασιν, sed κατ' οἰκονομίαν ad tempus, prout ratio, voluntas & tempus poscebant: Ex qua vero materiâ corpora illa compacta fuerint, an ex materia cœlesti, aut elementari, aut aeria, aut alia alius generis, fateor cum August. *vires intentionis meæ excedere*, l. 3. de Trinit. c. 1, etsi sciam Bedam statuere, quod *virtutes Angelicæ*

licæ ad nos exeuntes ætherea sibi corpora aptent, eademq; ibi reversæ deponant, l. de Nat. c. 7. Scholasticos quoq; Dd. communiter asserere, quod corpora illa sint formata ex aëre ita condensato, & temperato, ut aptus sit ad suscipiendos varios colores, figurasq;, sicut etiam in nubibus ob diversam raritatem vel densitatem varij nobis colores & figuræ solent apparere: idq; inde colligunt, quia corpora illa celerrime ab Angelis formantur, & confestim etiam aliquando disparent, vide Thom. cit. l. art 2. in resp. ad 3.

XXXII.

Apparuere II. *In formâ humanâ*: Stabant enim ante eum tres *viri*, quos homines esse putabat: Cum enim intereat, ut Angeli qui apparent non cognoscantur, communi hominum formâ mitti soliti, cum vero utile est, ut Angeli esse cognoscantur, speciem humanam illustriorem præse ferunt, Matth. 28. Marc. 16. Luc. 24. Act. 1. sicut Cyrill. in Joh. 12. c. 46. observavit: Dico *in formâ humanâ*, exteriori sc. & accidentali, quia carnem & formam *verè* humanam non assumsit Christus, nisi in plenitudine temporis, ubi natus est ex muliere, Gal. 4. 4. Angeli vero nunquam & nusquam incarnati leguntur: Dubitant hic quidam, *An Abraham cum tres viros primo vidit, invitavit, hospitio excepit, putarit esse homines nudos, an v. primo obtutu cognorit esse Jehovam, aut Angelos?* Athanasius sane videtur asserere, quod Abrahæ id primo statim obtutu ignotum non fuerit: *Quomodo*, inquit, *Abrahamus existimavit extraneos homines à se hospitio excipi, qui prostratus in terram adoravit, & eos supra se vidit?* dial. 3. de Trinit. tom. 2. op. p. 186. Hilarius quoq; l. de Trinit. *Abraham conspectis tribus unum adorat, & Dominum confitetur, scriptura astitisse tres viros edidit, sed patriarcha non ignorat, qui & adorandus sit, & confitendus, indiscreta assistentium species est, sed ille Dominum suum fidei oculis & visu mentis agnovit.* Alii vero existimant initio quidem Abrahamum non cognovisse aut Jehovam, aut Angelos; Sed pro hominibus habuisse, post modum vero ex dictis factisq; demum eos, quales vere erant, agnovisse. Ita August. l. 16. de C. D. c. 29. *Exhibuit hospi-*

hospitalitatem, quomodo Sanctis hominibus Dei in quibus Deum esse cognovit, cum eos (Loth) *sicut etiam ipse Abraham Angelos esse nesciret;* Item: *Neq; ob aliam causam sic eos susceperunt, ut tanquam mortalibus & humanâ refectione indigentibus ministrarent.* l. 3. contra Maximin. c. 26. *Hi patriarchæ* (Abraham & Loth) *sunt significati in Epist ad Hebr. ubi de hospitalitate loquens ait, per hanc quidam nescientes hospitio receperunt Angelos:* Item · *Non tale illis præberetur obsequium quo indigentia reficerent corpora, nisi homines esse putarentur:* Chrysostom. quoq; hom. 41. in Genes. *vides quomodo ignorans qui sunt, q. hominibus loquens transeuntibus, ita communi exhortatione utitur:* Orat. 2. de Lazaro: *Præ foribus sedens (Abraham) introducebat prætereuntes omnes, & quemadmodum piscator jacto in mari reti piscem quidem attrahit, attrahit autem frequenter & aurum & margaritas, itidem & hic reti captans homines, piscatus est tandem & Angelos, quodq; mireris etiam insciens,* &c: Eadem statuit Homil. 42. Gen. p. 598. & in c. 13. Epist. ad Hebr. sicut & Theodoretus, Theoph. Oecum. alijq; plures: Philo Judæus item in l. de Abraham: *Meridie conspicatus, ait tres q. viatores, quorum diviniorem ignorabat naturam, accurrens supplici ter impenseq; rogat, ut ad se divertant, & hospitio suo uti dignentur.* Joseph. l. 1. Ant c. 11. *Abraham conspicatus tres Angelos, ratus esse hospites, assurgens salutavit eos, rogavitq; ut ad se divertentes fruerentur hospitio:* Et sane si rem, uti gesta esse per scripturas describitur, intueare, reperies ita sese habere: Ita enim Scriptura Abrahæ hospitalitatem describit, ut non obscure innuat existimasse optimum senem, se hominibus viatoribus & peregrinis caritatis officia exhibere; Alias sane si sciviſſet hos esse, non dico Deum, sed Angelos, an ad quiescendum, ad lavandos pedes, ad comedendum invitasset? an dixisset ad eos quos sciviſſet Angelos esse, *Ponam buccellam panis, & confortetur cor vestrum;* Num tam ineptus fatuusq; dicetur divinus Patriarcha, ut crediderit, sive Deum sive Angelos cibo quiete, lotione, refocillatione, tanquam esurientes, fessos, sordidos, lassos, indigere? *Occurrit* sane *eis,* ait Lutherus h. l. *tanquam valde indigentibus recreatione, amice rogat, ut maneant, offert aquam qua abluant pedes, adfert cibos quibus fessi recreentur,*

tur, nullo modo cogitat, Angelos, vel ipsum Deum esse. Ipse etiam Apost. innuit, Abrahamum nescientem Angelos excepisse: ἔλαθόν τινες ξενίσαντες ἀγγέλους Ebr. 13. 2. quæ verba August. ita vertit: Per hanc etiam quidam nescientes hospicio receperunt Angelos; *Est enim proprietas apud Græcos frequentissima, latuerunt hospitantes Angelos, pro latebat eos, quod Angelos hospitio exciperent*, ait Ludov. Vives in comment. ad l. 16. August. de C. D. c. 29.

XXXIII.

Obiicis: Quare ergo Abraham unum in singulari alloquitur: Domine si inveni gratiam &c: eumq; nomine solius Dei proprio vocat אֲדֹנָי cum ת, si eum non agnovit esse Dominum & Deum: *Adonai enim, quoties scribitur eum Cameza, honoris & excellentiæ causâ Deo tribuitur*, ut tradit R. Kimchi notante Sixto Senensi l. 5. Bibl. S. annot. 100. idq; etiam ex usu scripturæ perpetuo confirmatur: Resp: *Ne admireris*, ait Chrysost. *quod cum tres exceperit ad unum se converterit justus, dicens, Domine: Fortassis enim unus illustrior cæteris apparebat, ad quem exhortationem suam convertit*, homil. 41. in Gen. vel quod augustiori corporis specie dignitateq; præditum videret, vel quod reverentiam & honorem ei tanquam præstantiori à comitibus deferri cognosceret: adeoq; eum ut præcipuum illorum trium singulariter alloquutus est, etsi alijs quoq; duobus quos minoris dignitatis esse putabat, communia hospitalitatis officia exhiberet. Nomen אֲדֹנָי quod attinet, Thomas Cajet. putat esse plurale, & vertit, *Domini mei*, de quo vide Sixtum Senens. cit. l. Buxtorfius vero in l. rad. Galat. l. 2. de arcan. Cath. Verit. c. 10. & alij dicunt non esse nomen solius Dei proprium, sed alijs quoque extra Deum tribui solere, etiamsi scribatur cum camez, idq; probant ex hoc ipso loco: Dici tamen potest peculiari consilio factum, ut Moses illum Adonai cũ Camez vocaverit, quem Abraham adhuc incognitum vocarit Adonai cum patah, præsertim quod in pronuncia-

nunciatione illa diversitas animadverti nequeat, ut ita Moses hoc ipso demonstraret, illum ὑπερώπεον quem Abrah. putarit esse Adonai cum patach fuisse verè Adonai cum ר, adeoq; Jehovam & Deum.

XXXIV.

Apparuere III. *In formâ virili*: Stabant enim tres *viri* ante eum: De quo Hebreorum sapientes, an sat sapienter nescio: *Abrahamo cujus virtus erat pulchra, apparuerunt sub specie virorum, Lotho cujus virtus erat mala, apparuerunt sub specie Angelorum*, quo ipso effato, & scripturæ & optimo Lotho fit injuria: Dicunt ijdem Hebræi, Angelos sæpe sub specie Mulierum apparere, quia Prophetæ etiam nonnunquam viderint Angelos in formâ mulierum, ut Zach. 5. 9. *Ecce duæ mulieres egrediebantur & ventus erat in alis earum*: verum nisi evidentiora hujus rei exempla afferant, non crediderim: Unde sciunt, mulieres illas Zachariæ visas Angelos fuisse? Magis ad rem & scopum Prophetæ est, si dicas duas illas mulieres denotare falsos doctores, mutuo conspirantes, mutuasq; in falsa doctrina & impietatis amphora circumferendâ operas tradentes, & ideo duæ dicuntur visæ fuisse. Junius ait, duobus mulieribus denotari Ecclesiam duorum temporum à malis repurgatam, unam quum Esdra ex Babyloniâ in Judæam missus Ecclesiam Judaicam constituit, & ab impijs, quam celerrime fieri potuit, purgavit Esdr. 9. & 10. alteram, quando Nehemias adhibito sacerdotum consilio idem fecit. Neh. 13. Quod vero Angeli semper in virorum formâ leguntur apparuisse, suamque personam manifestasse, dicunt Dd. factum fuisse ad Christi Salvatoris honorem, qui vir ex fœminâ nasci voluit;

XXXV.

Apparuere IV. *In forma vili, abjectâ*, ut putant, *& juvenili*: Josephus l. 1. Ant. c. 11. *adolescentes forma præstantes* vocat duos illos

los qui Lotho visi sunt: Chrysost. *forte* ait, *Juvenili forma ipsi apparuere*: Philo Judæus, *conspicatus est*, inquit *tres quasi viatores*: Lutherus in Gen. c. 18. p. 105. *videntur*, ait, *apparuisse humili & contemta specie, nudi, esurientes, fessi ex itinere, & exules quasi nuper adeo liberati ex tristi aliquo carcere: Ita enim judicasse Abrahamum verba ejus ostendunt*: Paulo post: *Oblati igitur hi tres viri habitu simplici & paupere habiti sunt ab eo pro exulibus fratribus, qui vel ex ipsa Chaldæa, vel ex Ægypto vel ex vicinâ Damasco profugerunt.* Rationem quare in forma juvenili apparere soleant Angeli, reddunt Dd. quia cum sint immortales & nunquam senescant, non potuit hoc melius significari quam per formam juvenilem.

XXXVI.

IV. De Scopo Apparitionis, adeoq; de Actionibus quas in corpore assumto peregere.

Actiones, quas tres illi viri in assumtis corporibus peregere, fuere potissimum: I. *Locutio*, promisere enim Abrahæ filium &c. adeoq; locuti sunt. II. *Comestio*, invitati enim ad prandium obsecuti sunt, & comedere visi. III. *Motio localis*, quia surgentes post prandium, iverunt Sodomam: Primum quod hic occurrit est *Locutio*, (1.) promittit Dominus sese rediturum, *Revertens veniam ad te* v. 10. c. 18. quò ad effectum sc. & promissi complementum, Deus enim redire solet, non πομπῶς, sed πραγματικῶς, non localiter, sed effectivè, quando promissa complet, & redire illud post c. 21. 1. exprimitur per visitare, *visitavit Dominus Saram*, quæ visitatio erat reditus Domini: (2.) Temporis circumstantiam exprimit: veniam ad te כעת חיה, κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον, h. e. ut Fremell. exponit non male, *cum hoc tempus vigebit*, sequenti anno hoc ipso tempore, & Sara habebit filium; Eadem phrasis in simili legitur 2. Reg. 4. 16. ubi Elisa ad mulierem

rem, *hoc ipso tempore, secundum tempus vitæ amplecteris filium*, ubi Arias legit secundum tempus puerperæ, ut indicetur terminus post uteri gestationem. 3. Risum Saræ reprehendit, v. 13. dicitq; se se Abraham celare nolle, quæ gesturus erat, v. 17 vulgata legit, *non posse*, quia non judicabat conveniens, addita duplici ratione, quarum prior a dignitate posterior ab officio Abrahæ desumitur v. 18. 19. ubi nota (1.) Deum dici quædam non posse, vel quia non vult neq; decrevit facere, ideoq; non potest ex hypothesi, vel quiâ non judicat conveniens, vel quia non possunt fieri, Conf. Gen. 19. 22. Mar. 6. 5. Ebr. 6. 18. (2.) Deum non dare meritis Abrahæ antecedentibus sequentia dona, uti hinc elicit Perer. Hoc enim quod hic & alibi Abrahæ promittitur non ad meritorum aliquam opinionem, sed ad pactum cum Abrahâ fœdus, factasq; promissiones est referendum, non enim quia Abraham meritus erat, sed quia Deus cum eo fœdus pepigerat, & promiserat, ipsi talia bona obtigere, etsi obedientiam Abrahæ ut conditionem requiri non eamus inficias: 4. Peccatum Sodomorum *clamasse* dicit v. 20. quâ voce peccati *impudentia & libertas* Augustino interprete notatur, *ut nec vere cundia nec timore abscondatur*, sed Dei horrendum judicium q. inclamet, & ad vindictam provocet, adeoq; dicit se se *descensurum*, locutione ἀνθρωποπαθητικῇ non tam ut significet, se se lento tardoq; gradu ad vindictam procedere, sed & ut innuat, se se verè & se verè scelera vindicare descendit enim Deus ratione effectus, operum & manifestationis.

† Hebræi autore Tostato, fabulantur, quod quædam puella pauperi petenti panem dederit, & ideo mandato civitatis nudata fuerit, & melle delibuta toto corpore æstivo tempore, in foro apibus & muscis exposita fuerit, & ibi cum graviter torqueretur clamaverit ad Deum contra gentem illam, & exaudita sit, 5. Dialogismum, reliquis duobus abeuntibus instituit cum Jehovah Abraham, v. 22. seqq. cujus scopus erat precibus Deum flectere, ut propter exiguum aliquot justorum numerum, quem ibi in tanta multitudine adhuc latere existimabat, pârcere vellet loco

isti,

istli, neq; perdere justum cum impio: v. 23. Etsi vero Deus justum quandoque cum injusto quo ad pœnam temporalem puniat, adeoq; non sit necessarium Abrahæ argumentum, quia tamen vidit, Deum sese ad magnum & quasi extraordinarium genus vindictæ præparare, potuit in tali casu judicare, Deum justos cum injustis non perditurum, quam etiam sollicitudinem servi sui Deus sibi maxime ratam & probatam habuit, ut ex dialogismo constat: Similis enim est Abraham *non oratori pessimam causam defendenti, & in omnes partes se versanti, ut undecunq; possit, rapiat qualecunq; defensionis præsidium &c:* sicut de eo judicat Perer. sed *bono medico, qui etsi videt ægrum sanari non posse, omnem tamen curationem admovet, ne propter suam negligentiam non ex sententiâ res successisse videatur, & si vel minima sanitatis scintillula sese ostenderit, eam diligentissime sicut in loco accendit, sperans, ut vitâ propagata mutetur in melius, magisq; sibi in posterum lapsu caveat,* quod simile Philonis est in l. de sacrif. Abel & Cain. Specialé vero indultum Abrahæ factum, quod propter decem justos velit parcere loco istli, regulam non facit, neq; in consequentiam trahendum est, quia ex speciali misericordia & voluntate Dei provenit.

XXXVII.

Hic quæritur: *An & quomodo Angeli loquantur per assumta corpora?* Certum est, Angelos non posse in assumtis corporibus exercere opera secundum substantiam vitalja, quia proprie non informant illa corpora in quibus apparent, neq; habent potentias vitales, materiales, organicas: Potentia autem juxta Arist. ejus est, cujus & actus: Posse tamen Angelos in assumtis corporibus exercere opera secundum similitudinem vitalia, & præstare operibus secundum substantiam vitalibus aliquid simile, itidem est certum: Uti v.g. Angeli proprie non vident, audiunt, loquuntur &c: in assumptis corporibus, quia ad illas actiones requiruntur potentiæ sive virtutes organicæ, tum etiam organa à potentijs illis informata, in quibus uti quidam volunt, sit illa po-

tentia subjectivè: Sic loqui v.g. est formare vocem ex percussione aëris respirativi, determinatis organis, pulmone, arterijs, linguâ, palato, dentibus, quæ organa proprie dicta non cadunt in Angelos: Est tamen quædam in ijs similitudo vocis, in quantum ea quæ Angeli intelligunt, aut volunt, quibusdam sonis articulatis in similitudinem vocum nobis exprimunt.

XXXIIX.

Secundum quod hic occurrit est *Comestio*: Et *comederunt*, v. 8. ubi itidem quæritur, *An & quomodo comedere possint Angeli, qui sunt Spiritus?* August. l. 13. de Trin. c. 22. & Epist. 99. ad Deo gratias q. 1. Angelos dicit verè comedisse, non modo ficto & inani phantasmate, sed manifestissima veritate, nec tamen necessitate, sed potestate, ita & Scotus 2. d. 8. q. un. Halens. p. 2. q. 35. m. 4. idem asserunt, quibus comestio non est actio vitalis, sed solum motus quidam, qui est in contritione cibi, ejusq; trajectione à parte ad partem &c: Josephus tamen ita exponit, quod edere visi sint, sicut & Angelus apud Tobiam: *videbar vobiscum manducare & bibere, sed ego cibo invisibili utor: c. 12.* Unde & Theodoret. q. 68. in Gen. *existimat eos non verè comedisse, sicut nec verè erant viri, sed tantum ob figuram, dici autem comedisse ob visum Abrahæ:* Ita & Thomas p. 1. q. 51. a. 3. asserit, Angelos non vere comedisse, siquidem comestio notet *mutationem cibi convertibilis in substantiam viventis*: Verum controversia, uti videtur, solum est de nomine: Quia in comestione considerari potest aliquid, quod commune est operationi vitali & non vitali, quod est ratio motus, attritio cibi, trajectio ejus à parte ad partem: Et hoc ipsum si comestionem dicas cum Scoto, Angeli vere comederunt: vel potest ibi considerari aliquid, quod est proprium actioni vitali, dependentia sc. à principio vitali, ex quo proficiscatur, & conversio cibi in substantiam viventis facta beneficio virtutis vitalis: Et hoc ipsum si comestionem dicas cum Thoma, Angeli non comederunt, sed comedere visi sunt, quia

cibus

cibus ille Angelicæ naturæ vi occultâ, velut igne quodam absumtus est, aliter enim absorbet aquam terra sitiens, aliter solis radius calens, illa indigentiâ, hic potentiâ, ut Beda alicubi hanc rem declarat.

XXXIX.

Tertium est *Motio localis*: *Surrexerunt* enim *viri, & direxerunt oculos versis Sodomam* c. 18. 16. ubi notandum, Angelos moveri localiter non per se, sed per accidens, ex motu corporum quæ assumunt moventq; , sicut anima nostra movetur per accidens ex motu corporis in quo est: Quia enim Angeli habent in se formaliter vim motivam, qua se & Angelos alios movere possunt, eminenter etiam in se habere videntur vim illam motivam, qua apti sunt etiam ad impellenda corpora:

XL.

V. De Cultu & honore quo affecti sunt.

Deniq; sequitur *Cultus*, quo viri illi tres ab Abrahâ affecti perhibentur: Et hoc, etsi ultimum, tamen præcipuum est, quod hac disputatione intendimus, ut Pontificios suo deturbemus præsidio, quod ex h. l. pro Angelorum cultu religioso sumere solent: Nam ita Becan. tom. 1. op. 14 c. 21. p. 120. *Docent Catholici* inquit, *Angelos recte à nobis coli & adorari tertia illa specie adorationis, quæ dulia vocatur & est inferior illo cultu qui Deo debetur, & superior eo, qui hominibus in hac vita solet exhiberi*. *Hoc probant exempla sacræ scripturæ*. *Nam Gen. 18. Abraham pronus in terram adoravit Angelum, Idem fecit Loth Gen. 19.* qui hæc verba descripsit è Bellarm. qui l. 1. de B. S. c. 13. *probatur*, ait, (dulia religiosa) *ex adoratione exhibita Angelis ab hominibus piis & prudentibus, nam Gen 18. Abraham pronus in terram adoravit Angelum, & similiter fecit Loth, Gen. 19.* Salmeron. d. 7. in 1. Tim. 2. tom. 15. p. 464 *Angelos Sanctos invocare possumus* &c: quia *Abrahæ & Loth apparuerunt Angeli, eisq; futuram Sodomæ, &*

& aliarum infamium civitatum destructionem significarunt, & Abraham quidem oravit pro liberatione Sodomæ, Loth. v. pro civitate parva Segor. Et ita etiam è Jesuitis alij: videndum ergo, quisnam ille honor sit, de quo h. l. sermo est, & an inde quicquam præsidij à Jesuitis sperari possit: Distincte vero de honore illo loqui possumus, vel pro eo tempore, quo Abraham primum eos dicitur adorasse, cum ut homines ignotos & peregrinos habuit, & nondum agnovit, vel pro eo tempore, ubi ab Abrahamo cogniti sunt, sive quod Angeli fuerint, sive Jehovah Angelis stipatus.

XLI.

Hîc I. Burgensis verba textus: *Et adoravit pronus in terram v.* 2. c. 18. exponit de cultu latriæ: *Postquam tres vidit, unum adoravit, quod intelligendum est de adoratione latriæ, dicit enim, & adoravit in terram, & unum ab ipso adoratum Adonai vocavit, ut patet in litera Hebraica:* Et post addit. *2. Hæc adoratio videtur esse latriæ, adorabat enim Abraham Deum repræsentatum per tres Angelos:* Athanas. quoq; l. supra cit. de *adoratione divinâ* & religiosâ intelligit: Verum admitti illud non potest, quia pro eo tempore, ubi primo dicitur adorasse, nondum cognovit esse aut Angelos, aut Jehovah cum Angelis, adeoq; eos, quos pro hominibus viatoribus habuit, divino latrias cultu divinus vir afficere nondum potuit.

II. Tostatus in Gen. p. 503 ita loquitur: *Adoravit, id est, inclinavit se in terram, faciens magnam reverentiam, ut sic eos facilius induceret, erat enim urbanus valde, vel ista adoratio fuit quædam dulia, quam exhibebat sanctis, & quia Abraham cognovit istos viros sanctos, sic enim ut viros prophetas eos recipiebat, adoravit eos adoratione congruente eis, non tali qualis Deo impeditur, vel Abraham consideravit istos esse nuncios Dei & ideo non ipsos, sed Deum in ipsis adoravit:* Hic vero fluctuat & mox de civili, mox de religiosa adoratione videtur exponere: Lyra quoque *ex quibus manifestum est,* ait, *quod primum putabat eos homines esse, & pro tunc eis cultum dulia tantummodo exhibuisse:* At ve-

ro num homines vivi, viatores, peregrini, cultu duliæ sunt afficiendi? Quo ergo loco, Nicolae, Sanctos defunctos habebis? Rectius longe III. Chrysost. *Gestibus* inquit, *& verbis, magnum fervorem, egregiam animi humilitatem, summam hospitalitatem declarabat, nondum enim cognoverat unum ex illis esse Jehovam*, homil. 41. in Genes. Augustin. *Exhibuit hospitalitatem, quomodo Sanctis hominibus Dei*, Josephus, *Abraham conspicatus tres Angelos ratus esse hospites, assurgens salutavit eos, rogavitq; ut ad se divertentes fruerentur hospitio*: Philo, *Cõspicatus tres q. viatores suppliciter impenseq; rogat, ut ad se diverterentur & fruerentur hospitio*: Hi ergo recte de honore civili & officioso exponunt, quia, uti ante est dictum, ignoravit esse Angelos, & putavit esse homines peregrinos, viatores, ignotos: Nescius enim Angelos hospitio excepit, nondum ergo ut Angelos adoravit, quos Angelos esse nescivit: Becanus, *Cur* inquit, *Abraham Loth & Tobias non sunt turbati ad Angelorum præsentiam? facilis responsio est, quia videbant communi hominum forma Angelos apparentes*: Aliter vero ab Abraha honorati non sunt, quam esse visi sunt: Perer. quoq; in h. l. *Adoravit in terram, id est reverentiam illis exhibuit incurvando & declinando caput & corpus terram versus*: *Hebreum* vero *verbum quod est hoc loco, Sahah, indifferenter atq; in universum significat exteriorem quandam reverentiam quæ fit incurvando & inclinando corpus, (nam inde verbum illud Hebreum tractum est) cuicunq; personæ ea adhibeatur, sive Deo sive Angelo sive homini*: Honorem ergo civilem modo orientalibus usitato incurvando sese his suis hospitibus detulit Abraham, quod vulgatus Adorare vertit, (*quod verbum* ut idem Perer. ait, fere *usurpant nunc Theologi pro reverentia & honore qui soli Deo conveniens ac debitus est, quem vocant latriam*) eosque, ut totus contextus innuit, primo intuitu antequam tales, quales erant, cognosceret, civiliter habuit.

XLII.

Quo autem honore affecti sint pro eo tempore, ubi ab Abrahamo sunt agniti, in Schola Pontificiorum dubitari posset:

Communiter enim statuunt fuisse Angelos, & DEI legatos, Dei nomẽ atque autoritatẽ gerentes, quo vero illi tandẽ honore digni fuere? an dulia, quæ ipsis juxta Pontificios debetur ut Angelis sunt, non ut Dei legati sunt, ejusq; autoritatem repræsentant? an hyperdulia, quam Mariæ & humanitati Christi deferri volunt, quæ tamen non videtur sufficere, quia eos aut unum ex eis Jehovah appellavit Abraham, illi judicium universæ terræ detulit, illũ suppliciter invocavit &c. adeoq; latrias actus plurimos, in unum præcipue, Dei autoritate loquentem, cõtulit: Unde Lyranus, hęsitans, an latriæ an hyperdulię cultum detulerit Abrahamus: *Per colloquium* ait, *& eorum conclusiones & determinationes continuo didicit Angelos esse, ipsumq; Deum repræsentare, Ideo aliquando loquebatur eis pluraliter dicens: Idcirco declinastis ad servum vestrum, aliquando singulariter dicens: Nunquid perdes justum cum injusto. sicq; exhibuit eis cultum hyperduliæ, & si latriæ, signatum pro signo repræsentatum Deum, pro repræsentantibus Angelis*: Verum Pererius paulo disertior: *Eum qui sibi tam multa denunciaverat, & patefecerat, & quem ipse ut Dei legatum & Dei nomine atq; autoritate sibi loquentem imo tanquam DEUM IPSUM honorabat ac venerabatur*: Itaq; vult Perer. tertium illum, quem detinebat Abraham, etsi Angelus fuerit creatus, honoratum tamen esse tanquam Deum, adeoque cultu latriæ affectum. Neque Tannero Jesuitæ id displicere potest, qui expresse scribit, *Sanctos posse coli cultu latrias, quatenus sunt servi Dei ob excellentiam Dei increatam*, uti σὺν θεῷ suo loco ipsius autoris verbis ostendam: Tum etiam cum Thoma disputant Alensis, Bonav. Albertus, Richardus, Capreolus, Marsilius, Cajetan. & è recentioribus Valent. Costerus, alijque, quod *idem honor debeatur Imagini qui & exemplari*, quia introducta sit ad repræsentandum exemplar, idq; Valentianus ostendit exemplo legati regis, qui loco regis honoratur. Nam, ait, *qui regis legatum, loco regis honorant, etsi honorem omnem regium legato ut legato regis exhibitum referant ad ipsum regem, at verissimè tamen dicuntur censenturq; legatum ipsum honore regio afficere, propterea quod non secus honore rex coram legato*

gato est habitus, ac si ipse præsens, quemadmodum legatus adfuisset, tom. 3 d. 6 p. 6. f. 1898. Ex horum ergo hypothesibus, Angeli illi, vel is ex eis, qui Dei legatus erat, latriæ cultu afficiendus fuisset. Nam imagines Dei honorantur cultu latriæ, quia sunt prototypi *secundum repræsentationem vicariæ*, ut ait Valent. Quicquid ergo Dei secundum repræsentationem vicarium est, cultu latriæ si non absoluto, tamen illo, qui est ad aliud. ut vocat Valent. sive respectivo, ut alij, afficiendum est. At vero Angelus ille qui Dei personam repræsentabat ejusque nomine loquebatur, erat Dei secundum repræsentationem vicarius. Ergo secundum has hypotheses latriæ cultu dignus: Ulterius. Qui insignitur nomine Dei proprio, & dicitur Jehovah, cui actiones divinæ ἀνθρωποπρεπῶς tribuuntur, qui cultu vere divino solius Dei afficitur, imo qui colitur *tanquam Deus*, & ideo quia Dei legatus, divino honore dignus est, illum latria coli nemo inficias ibit. Ac vero Angelus ille qui hic Dei personam repræsentat, & Abrahæ apparet, quem illi creatum esse volunt, est is, qui dicitur Jehovah, &c. Ergo. Bellarm. l. 2. de Imag. c. 20. vult paulo mitior videri, dicitque Imagines esse colendas *improprie & per accidens, eodem genere cultus, quo colitur exemplar, cultu analogico & reductivo*, sicut legatus honoratur loco regis, quod simile habet l. 2. c. 2. *quem tamen dicit honorari honore regis proprio*, c. 20. Sicut ergo legatus honore regis proprio, vel si mavis analogico & ad honorem regis suo modo reductivo colendus est. Ita etiam ex illius assertione colendus erit Angelus, qui est Dei vicarius, honore quodam latriæ improprio & ad latriam reductivo. Hæc ex hypothesibus Pontificiorum, è quibus constat, Pontificios, qui ita sentiunt, parum aut omnino nihil distare ab Idololatria, quia creaturam v.g. Angelum, cum Dei legatus est, coli posse putant cultu latriæ *tanquã Deum*, sive absolute sive relativè, sive analogicè, sive anagogicè, sive alio quocũq; modo, quæ crassissima idololatriæ species est. Parũ vero aut omnino nihil præsidij eos habere in exemplo Abrahæ adorantis Angelos, quia fatentur ipsi, Angelos

gelos hunc honorem suscepisse non nomine suo, sed ipsius Dei, quẽ ad tempus repræsentarunt, cujus etiã vice & autoritate functi sunt, eoq; pacto honore latrias affectos fuisse; Tales itaque honores non debentur Angelis ordinarie, & per sese, sed cum Dei vices gerunt. Et sic non probatur ex hoc exemplo, quis honor ordinarie & per se competat Angelis, quatenus Angeli sunt & creaturæ Spirituales, completæ, &c. Sed quis illis competat, cum Dei legatione funguntur, & ad nos eo modo, ut ad Abrahamum mittuntur, quales legationes hodie non contingunt. Si vero dicendum quod res est, Abrahamus, postquam è dictis factisq; cognovit esse tres illos viros Dei filium cum duobus Angelis, illum quidem ut Dominum Deumque suum coluit & veneratus est, sicut in præced. ostensum, hos vero ut Angelos Dei, honore non religioso (cujus nullum in textu vestigium) sed officioso & civili prosecutus est. Nihil adeoq; Jesuitis in hoc loco præsidij est, quia antequam eos cognovit, homines esse putavit, & adoravit, more illis locis usitato, adoratione & honore officioso, postquam vero perspexit, Angelos esse Jehovam stipantes, non illos sed Deũ religiose veneratus, hos officiose prosecutus est, qui tamen ipsi ex Pontificioum assertis tanquam Dei vicarij non dulia, sed latria afficiendi fuissent. Nullo ergo modo hinc dulia religiosa Angelorum firmari potest. Id quod erat demonstrandum.

SOLI DEO GLORIA.

יהוה

De Idololatria

Disputatio VI.

Quæ est

DE ANGELOLATRIA

Quinta.

Punctum XI.

Quid de mirabili luctâ Jacobi cum Angelo Gen. 32. 24. seqq. statuendum? Et,

An Jacob h. l. benedictionem ab Angelo creato petierit & impetrarit?

I.

SEcundum Exemplum, quo malæ causæ patrocinium quærunt Jesuitæ, est *Iacobi*, benedictionem petentis ab Angelo luctatore, Gen. 32. 24. seqq. *qui* sane *locus*, ut D. Lutherus censet, comment. in Genes. tom. 2. fol. 163. *ab omnibus habetur inter obscurissimos totius V. T. quia agit de sublimi illa tentatione, quâ dimicandum est Patriarchæ Iacobo, non cum carne & sanguine, aut cum Diabolo, sed adversus Deum ipsum:* Deus hic cum homine, cum creaturâ creator congreditur, luctatur, hostiles, uti videtur, manus conserit, & tamen homo Deum, creatura creatorem vincit, atq; contra omnipotentem prævalet impotentissimus homuncio. Hanc vero ἀνθρωποθεομαχίαν prorsus stupendam consideraturi, videbimus I. *Locum* ubi contigit, II. *Virum* quo cum Jacob manus conseruit, luctamq; peregit. III. *Modum* & formam, qualis hæc lucta fuerit. IV. *Factum* Jacobi an benedictionem petens ab Angelo, S. Angelorum invocationem suo exemplo firmarit:

Resp. Andreas Böttiche Rostoch.

FF.

I. De Loco ubi lucta contigit.

Locus luctæ fuit ad *vadum Iabok*, vel *Iabbok*, Gen. 32. 22. 70. legunt יבק, Joseph. *Iobac*, & fuit flumen, vel torrens potius, cujus & mentio fit, Num. 21. 24. Deut. 2. 37. c. 3. 16. Jos. 12. 2. qui ex finistris Galaaditidis montibus profluens in Jordanem juxtà mare Galileæ exoneratur, Procopius vult esse fluvium Arabiæ & *Iambicem* vocari, sed rectius Hyeronim. in loc. Ebraic. *Jaboc fluvius*, ait, *quo transmisso luctatus est Jacob adversus eum, qui sibi apparuerat, vocatusq; est Israel, fluit inter Ammon id est Philadelphiam, & Gerasam in quarto miliario ejus, & ultra procedens Jordani fluvio commiscetur*. Et inde putat Mercerus nomen esse inditum fluvio à בקק quod est *exhaurire*, quia in Jordanem profluendo quasi exhauriatur, Quamvis alij verosimilius existiment nomen ipsi contigisse à lucta Jacobi, & derivari ab אבק quod in Niphal *luctari* significat, de quo infra: Jacob postea ab eventu appellavit nomen loci illius פְּנִיאֵל vel פְּנוּאֵל Dei faciem aut aspectum, Gen. 32. 30. 31. ut perpetuum sibi & posteris hoc nomine rei gestæ monumentum poneret, reiq; illius recordatione, ad divinæ protectionis & beneficentiæ laudes celebrandas & se & alios excitaret: Est eo loco postmodum civitas ejusdem nominis exstructa, quam Gideon cum exercitui commeatum & cibos negasset, partâ victoriâ devastavit, Jud. 8. 8. 17. Jeroboam vero cum esset constitutus Rex Israel, reparavit, 1. Reg. 12. 25. Meminit quoq; Strabo l. 10. Geograph. loci cujusdam, quem appellat Faciem Dei; *Tripoli*, ait, *conjuncta est & quæ Dei Facies appellatur, in qua Libanus mons desinit: Inter hæc est locus quidam nomine Trieris; Hi duo montes sunt, qui eum faciunt, qui concavus Angulus dicitur, quasi inter sese pares Libanus & Antilibanus paulo ultra mare incipientes Libanus ultra Tripolitanum mare circa Dei Faciem, Antilibanus ultra mare Sidonium desinunt.* Quæ *Facies Dei* an sit illa urbs Peniel, ubi Jacobo Deum videre contigit, alij viderint. Nos ista in media relinquimus.

II. De

III.

II. De viro Luctatore, quo cum Jacob in aronam descendit.

Is quo cum luctatus est Jacob, dicitur VIR, in textu / Ecce VIR, vir, sive ut Tremell. legit, *quidam luctabatur cum eo*, v. 23. convenit tamen inter omnes, virum propriè non fuisse, sed dici solum, quod in virili forma Jacobo apparuerit, Josephus φάντασμα sive *spectrum* appellat, *Cum transisset*, inquit, *torrentem Jaboc & relictus ab agmine mansisset Iacob solitarius, incidit in spectrum, prior ipse ab eo lacessitus*: quam tamen locutionem non probamus, quia non φάντασμα fuit, sed corpus solidum, quod assumsit antagonistes Jacobi, & in quo luctam peregit, sicut etiam ex historiæ circumstantijs liquere potest. Quis vero fuerit, qui h. l. *vir* sive *quidam* appellatur, inter Dd. non convenit, quorum potiores sententias recensere est operæ prctium.

IV.

I. Proditum est à nonnullis, *cum Jacob certasse Diabolum in specie Esau, conantem vincere eum, cæterum à Jacob stetisse Angelum auxiliarem, & idcirco Diabolum prævalere non potuisse, ne autem Jacob putaret, suis viribus à se profligatum adversarium, sed boni Angeli, tactus est ei nervus & claudicatio subsecuta*, quam opinionem se ex docto quodam viro accepisse refert in comment. h. l. Procopius Gazæus: Et in eam quoq; videtur D. Hyeron. inclinare, qui in c. 6. Epist. ad Ephes. *Talem*, inquit, *luctationem*, (quæ est adversus principatus & potestates,) *& Jacob Patriarchæ putamus fuisse, quando remansit solus, & luctabatur cum eo homo, adjuvans eum, & roborans adversus alium nimio sudore dimicantem. Et simul vide, ne forte ridiculi sint, qui arbitrantur in ritum luctantium totâ nocte Jacob esse luctatum: Quid enim grande, si, ut illi ajunt, luctans aut superaverit, aut victus sit? Sed juxta rationabilem, & convenientem tanto Patriarchæ luctam, talem illi colluctationem fuisse credendum est, qualem hi habent, qui possunt dicere: Non est nobis colluctatio adversus carnem & Sanguinem &c.*: Et ita etiam ante Hyeron. Origenes in l. 3. περὶ ἀρχῶν: *Angelus*, ait,

ait, *luctatus dicitur cum Jacob, quod nos non ita intelligimus, quasi luctatus fuerit Angelus contra Jacob, sed quod is, qui ei salutis causa aderat, atq; ei nomen Israël imponebat, ille idem cum ipso luctatus id est, cum eo in agone & certamine adjuvit eum, cum sine dubio alius quidam esset, adversus quem Jacob dimicaret: deniq; Paulus non dixit nobis esse luctamen cum Principatibus & Potestatibus, sed adversus principatus & potestates: Unde etsi Jacob luctatus est, sine dubio adversus aliquam harum virtutum luctatus est, quas humano generi & Sanctis præcipue adversari, & movere certamina Paulus affirmat.* Horum ergo Patrum opinione Antagonista Jacobi alius fuit ab eo, qui dicitur colluctatus esse *cum* illo, h. e. ut illi putant non *adversus* vel *contra*, sed *una cum* Jacobo, adversus alium Jacobi Antagonistam, quem malum Dæmonem fuisse dicunt: Hanc vero opinionem textus circumstantiæ satis evidenter refutant: tum quod Iacob dicitur prævaluisse *adversus Deum* & Angelum, Gen. 32 28. Os. 12. 5. unde sequitur eum adversus Deum contendisse, tum quod illum, quo cum contendit, quiq; cum victus esset, dimissionem petijt, renitens Jacobus dimittere noluit, nisi benediceret ei. A malo vero Angelo Jacobum id petivisse non est credibile: tum quod inde nomen *Israël* sibi inditum accepit, quia adversus Deum prævaluit, adeoq; cum illo, aut potius *contra* illum contendit, Quæ & similia indicant antagonistam hunc malum Dœmonem non fuisse.

V.

II. Dicunt plures Ebreorum, quod luctator ille fuerit *Angelus bonus Esau, qui volebat impedire Jacob, ne intraret terram promissionis, & ut non complerentur in eo benedictiones, sed in semine Esau,* ut refert Tostat. in h. l. tom. 1. oper. p. 619. & ijsdem fere verbis Nicolaus de Lyra, sicut & Lutherus, *Judæorum glossa est,* ait, h. l. *qui fingunt virum luctantem cum Jacob fuisse Angelum bonum, qui fuerit custos Esaü, eum pro suo officio quod ipsi debebat opposuisse se Jacob, & cum eo pugnasse, Angelum autem victum flevisse, & rogasse ut se dimitteret:* Et huc referunt verba Oseæ c. 12. 5. ubi Propheta hujus luctæ mentionem faciens, *flevit,* ait, *& rogavit illum,* quæ verba Judæi ad Angelum referunt, quasi cum fletu Jacobo supplicaverit, ut se dimit-

dimitteret, quia viderit, quod prævalere non posset, & Esavus benedictiones perdidisset. Sicut enim in assumtis corporibus Angeli comedisse leguntur, ita etiam non censent absurdum, eosdem in illis corporibus lacrymas effudisse: Et in hanc sententiam Judæorum propendet quoque quidam Fr. G. probl. 232. At vero quis credat, bonum Angelum Esavi custodem contra Dei voluntatem, quæ erat ut in Jacobum non vero Esavum transferretur benedictio, militare, adeoq; malum causam fovere, cum potius omnes Angeli boni sint ministratorij Spiritus, *à Deo* ad bonum non malum promovendum, juxta, non contra Dei voluntatem emissi? Et, si Angelus ille tam male fuit affectus in Jacobum, uti Judæi somnant, cur illi mox in Esavi præjudicium benedicit, animum addit, certamq; victoriam pollicetur? Verba vero Oseæ, *Flevit & rogavit illum*, non ad Angelum sed ad Jacobum referimus, illiq; fletum & orationem tribuimus, id enim requirit verborum series atq; connexio, ut omnibus istis verbis, *principem se gessit, prævaluit, flevit, rogavit*, idem nominativus, *Jacob*, præponatur, idq; Mosis etiam narratio non obscure confirmat, Jacob enim cum luxatam sibi vertebram femoris sentiret, & rem sibi esse videret cum ipso Deo, *flevit & rogavit*, h. e. cum *fletu & lacrymis* benedictionem & opem, contra fratrem à quo sibi vehementer metuebat, postulavit.

VI.

III. August. l. 16. de C. D. c. 39. tom. 5. oper. p. 1071. generatim de Angelo creato videtur intelligere, *Hoc nomen*, ait, *illi ab Angelo impositum est, qui cum illo fuerat in itinere de Mesopotamiâ redeunte luctatus, typum Christi evidentissimum gerens.* Quæ verba Augustini ejus in hos libros cõmentator Leon. Coquæus ita sive torquens sive explicans, *Melius*, ait, *sensit Augustinus, fuisse Angelum, qui apparuit ipsi Iacob & cum eo luctatus est, & ei nomen Israel imposuit, & in universum docuimus supra ex communi sententia patrum & Theologorum, filium Dei nunquam apparuisse patribus V. T. verum omnes illas apparitiones factas esse operâ & ministerio Angelorum, qui, quod aliquando personam Dei sustinerent, dicit SS. nonnunquam Deum apparuisse.* Hæc Coquæus, qui ex præconceptâ sui & Jesuitarum sententiâ judicat

Augustini mentem: Plerique enim Pontificiorum cum Photinianis hodie statuunt, hunc luctatorem fuisse Angelum creatum, qui Dei personam repræsentans cum Jacobo congressus sit, Ita enim Perer. in h.l *Personaliter erat Angelus, repræsentative autoritativeq; erat Deus*, h. e. ut paulo ante explicat, *quantum ad personam Angelus erat, quantum autem ad repræsentationem & autoritatem Deus erat*: Delrio in glossa liter. ad Gen. 32. *Literali sensu verus Angelus fuit iste luctator, secundæ personæ sanctissimæ Trinitatis personam gerens, non ipsa persona secunda in assumto corpore, verum in typo duntaxat*, & ut postea subnectit, *fuit custos ipsius Iacobi*: Sallianus quoque in Annal. ad ann. 2296. n. 24. *Angelus Domini ipsiusmet Patriarchæ custos, viri formam indutus, & habitu inventus ut homo, Iacobum ad luctam paratus invadit*, & paulo post vocat Angelum, *qui Dei locum tenebat, qui Deum repræsentabat*. Et ita communiter statuunt omnes ij, qui ajunt Deum V. T. patribus in corpore assumpto nunquam ὡσὶ πρόσωπος apparuisse, sed semper ministerio Angelorum, de quâ sententiâ vidimus disput. priori, quæ sane adhuc periculosa, & vel eo nomine nobis merito exosa videri debet, quia communem veritatem de divinitate filij Dei oblique & indirecte convellit, quam tamen hactenus Pontificij contra Samosateni & Photini sequaces defendere nobiscum voluere: Si enim semel ejusmodi repræsentatio Dei facta per Angelos obtineat, in qua Angelus sibi possit vendicare nomina Dei propria, sibi tribuere actiones Dei proprias, sibi sumere divinos honores, quos alias SS. Deo deferri jubet, utiq; frustra erunt confertæ illæ argumentorum acies, quæ ex hoc capite pro obtinendâ filij Dei divinitate contra Photinianos proferuntur: Si enim (inquiunt isti) quandoque Angeli Deum repræsentantes, & in natura suâ creaturarum permanentes, nomen Jehovæ, sibi usurparunt, aut ab alijs in se derivari passi sunt: si opera divina, omnipotentiam, omniscientiam, & alia sibi tribuerunt, si cultus divinos non detrectarunt, seseq; adorari, suppliciter invocari & sibi sacrificari passi sunt, adeoque Deus aliquando facti sunt *autoritativè*, Quid mirum, si Dei filius etsi in tempore natus, adeoque creatura, Angelis tamen longe sublimior factus, & Dei ad homines

mines Legatus ordinarius, sibi sumat tribuatque, aut nomen aut actiones, aut cultum Dei, quia hæc omnia Christo tribui possunt, quatenus Deus est autoritative, patrem repræsentans, & ejus legatus, ipsum referens, adeoq; patri fiunt & ad patrem terminantur, ut repræsentatur in filio (qui per illos) etsi naturâ sit homo, Deus tamen est repræsentative, & autoritativè, utpote divinâ potentiâ & autoritate instructus. Idque est illud ipsum, quod Photiniani identidem in ore habent, quoties nostri ex nomine, actionibus, & cultu solius Dei proprijs pro Christi Deitate cum scripturis argumentantur, neque solide hanc exceptionem retundent Pontificij, sed viam potius sternent elabendi, & veritatem eludendi, quamdiu asserunt *creaturam posse esse repræsentativè Deum*, & hoc modo posse aut dici Jehovam, aut opera, & honores divinos sibi tribuere: Et ideo B. Patres quibus cum Ario ejusque discipulis contentio fuit, ut Athanasius, Cyrillus, alijque, hanc sententiam, quæ hodie Jesuitarum est, periculosissimam semper judicarunt, ut ex ipsorum testimonijs inferius videbimus. Etsi itaq; non negemus, quasdam apparitiones & legationes in Vet. Testamento factas esse ministerio Angelorum, sicut & ante diximus, in quibusdam tamen arbitramur necessariam esse immediatam Dei præsentiam absq; illo ministerio Angelorum, quoties is qui apparuisse legitur, sibi ea tribuit, aut tribui permittit, quæ alias scriptura soli vero & æterno Deo assignat, ut sunt nomen Jehovæ, actiones αὐτοκαταρκῆ Jehovæ, cultus divinus, & si quæ sunt alia attributa divina, quæ &, ut videbimus, huic luctatori tribuuntur.

VII.

Confidit tamen Pererius, sese hanc suam sententiam *multis & firmis rationibus probare posse: Principio*, ait, *eum qui luctatus est cum Iacobo fuisse Angelum aperte nos docet Oseas c. 12. ita loquens de Iacob*: In utero supplantavit fratrem suum, & in fortitudine suâ directus est cum Angelo, & confortatus est, flevit & rogavit eum, in Bethel invenit eum, & ibi locutus est nobiscum. *Ecce tibi luctatorem illum*

appellat

appellat Oseas simpliciter & præcisè Angelum, quomodo nusquam reperire est in sacris literis appellari filium Dei: Nam ubi vocatur Angelus, ibi semper adjungitur aliquid, quo significetur non vocari eum Angelum quantum ad personam, sed quantum ad similitudinem quandam muneris Angelici, & ideo dicitur Magni Consilij Angelus, & Angelus Testamenti. Et hoc est præcipuum contra sentientium argumentum, in quo prorsus ὁμοψήφους habent Pontificij Photinianos, qui ex eadem pharetrâ tela depromere edocti sunt: nominatim Ostorod. contra Tradel. p. 2. c. 2 p. 91. inde colligit, *Angelo creato competere nomen Jehovah* Exod. 3. 3. 4. quod is qui Mosi apparuit, vocetur *Angelus* Act. 7. 30. Et Enjedinus in explicat. locorum V. & N. Test. p. 39. seqq. eodem argumento usus cum Pererio, *Deum*, ait, *& filium nusquam vocari Angelum, nulli enim Angelorum dixit Pater, filius meus es tu.* Ut autem non tam hoc argumentum, quod levioris armaturæ est, solvamus, quam nostram sententiam firmemus, tres positiones elucidabimus: I. *Quod in Vet. Test. Jehovah aliquando dicatur Angelus*, sive absolute sive cum addito: II. *Quod Angelus ille sit secunda Trinitatis persona, sive filius Dei*, III. *Quare nomen Angeli eo tempore sibi imponi eodemq; appellari voluerit.* Quibus bene demonstratis in fumos facile ibunt adversantium offuciæ, magisque firmabitur sententia nostra.

IIX.

Primò: *Quod in Veteri Testamento Deus sive Dei Filius aliquando dicatur Angelus absolutè*, constat ex ijs locis, ubi Angelo absolute dicto nomen Jehovæ in casu recto, itemque actiones merè divinæ, & cultus soli Deo proprius vendicatur, quæ loca non possunt dici controversa esse, nisi primum has nobis rationes elidant, quibus persuasi dicimus Iehovam alicubi appellari Angelum. Videbimus vero potiora: I. Gen. XVI. v. 7 seqq. Angelus, qui Hagaræ in via apparuit fuit increatus: Nicolaus de Lyra quidem, & Abulensis Episcopus in h. l. intelligunt de Angelo creato, *qui locutus sit in persona Domini*, sicut & cum Photinianis modernis plerij; Iesuitæ, longe tamen rectius Hilarius l. 4. de Trinit.

Trinit: ait, fuisse Jehovam sive Dei filium, quod constare potest I. Ex *nomine Dei proprio*, quod Angelo isti vendicatur: *Invenit* enim *Hagaram Angelus Domini & locutus est ad eam*, Gen. 16. 8. 9. Itaq; Is, qui cum Hagar locutus est, dicitur Angelus Jehovæ, at vero ipse Jehova est is, qui locutus est cum Hagar, *vocavit* enim illa, aut potius *invocavit nomen Jehovæ, qui loquebatur ad eam*, v 11. sicut & Hagar Deum fuisse testatur, *Tu Deus*, ait, *qui vidisti me, Annè vidi post videntem me?* h. e. ut Tremell. & Junius exponunt, an post visionem divinam *lucem hanc aspicio & vivo: miratur enim se post Dei visionem vivere, quia à conspectu Dei mortem secuturam putabat*: Jehovah itaq; & Deus appellatur Angelus ille, neq; est ratio cur à clara litera discedatur, quæ *uni & eidem* nomen *Jehovæ*, & *Angeli* tribuit, quia vero *illud* est incommunicabile nomen solius divinæ naturæ, *hoc* vero nomen officij est, pluribus ex æquo competens, rectè colligitur illum esse Jehovam, qui nomen incommunicabile יהוה gerit, etsi forte Angelus (nomine communi) dici possit ab officio, aut ab aliâ ratione, quam inferius subnectam: II. Ex *actione solius Dei propriâ*, quam pro autoritate sibi vendicans hic Angelus: *Multiplicans*, ait, *multiplicabo semen* tuum v. 9. 10. quæ promissio sane superat vires creaturæ, ut h. l. fatetur Delrio, *neq; Angelus creatus potest sua virtute multiplicare filios, cum non sit Dominus naturæ*, ut h. l. ait Tostatus, multo vero minus illam virtutem sibi pro autoritate tribuere: sint enim licet fœcunditatis & sterilitatis causæ quoque naturales, pendent tamen illæ ab autore naturæ, qui, ut Hebræi loquuntur, inter quatuor quos gerit claves, *solus etiam habet clavem uteri* in manibus suis, eumq; pro arbitrio sive claudit Gen. 16. 2. c. 20. 18. 1. Sam. 1. 5. 6. sive aperit, Gen. 29. 31. c. 30. 22. & seminis multiplicationem promittit. Gen. 17. 5. 6. c. 22. 16. c. 28. 13. &c. Qui itaq; pro autoritate sibi tribuit actionem divinam, dicitq; *se se* multiplicando multiplicaturum semen Hagaræ, ille est vere, &, (ut ita loquar termino adversarijs usitato) personaliter Jehova: Quod enim creatura *ullo modo* sibi possit pro autoritate vendicare, quæ soli Deo assignat scriptura, nondum adversarij docuerunt, & vero creaturis attribuenda esse Deus toties in SS. prohi-

buit, quoties suam gloriam sibi soli vendicari jussit: At vero hic Angelus, qui Hagaræ visus est, sibi pro auctoritate tribuit actionem divinam, dicitq; *sese* valde multiplicaturum semen ejusdem, Angelus ergo ille est vere & personaliter Jehovah. III. Ex *cultu solius Dei proprio*, qui huic Angelo defertur: *Vocavit* enim Hagar, h. e. ut Vatablus & DELRio legunt, *invocavit nomen Jehovæ*, sive ut Chaldæus, *oravit in nomine Jehovæ, loquentis ad eam*, atque sic divinos ipsi honores detulit, quia invocare ullum nisi DEUM, & orare in nomine alicujus non licet nisi DEI, sicut alibi ostensum est.

IX.

Hic vero Pontificij & Photiniani reclamant, tribui hæc omnia, nomen, actiones, & honores Dei Angelo, *quia in persona Domini loquebatur, ideo vocavit Dominum Deum, sic verbum preconis dicitur verbum regis*, ut Lyra ait ad h. l. sive ut Enjedinus in explicat. h. l. p. 24. *Illud igitur*, ait, *hunc Angelum diversum & alium fuisse à Deo mittente & legante ipsum, si essentiam & naturam spectemus, libenter concedimus, & ultro fatemur, at si officium & legati proprium spectemus, non temere hoc concedendum est, scimus enim nuncium & legatum non tantum nomen legantis, verum etiam personam sustinere, adeo ut quæ loquatur & quæ patiatur, non legatus sed is qui eum legavit, loqui & pati dicatur: Atq; hoc modo legans & legatus non erunt diversi sed prorsus unus & idem.* De hoc effugio dixi aliquid disput. priori, in quo adversarij, ut solent, ἐν ἀρχῇ λαμβάνουσι: Inculcant enim frequenter Angelis tribui nomen Jehovæ, quia ejus legati sunt, & personam gerunt, verum quod dicunt non probant: Dicta quæ proferunt non tam probant Angelos dici Jehovam, quam Jehovah dici Angelum: Legatio enim illa quod Dei personam gerunt, eumq; repræsentant Angeli, non est ratio, quare tribuant sibi, tribuive permittant nomen, actiones, cultum, & si quæ sunt alia prædicata Dei ἀκοινώνητα, quæ sibi soli in scripturis Deus strictissime vendicavit; Non enim v. g. Legatus Imperatoris, ideo quia Imperatoris legatus est, sibi tribuit, aut tribui patitur,

patitur, aut citra læsæ majestatis crimen tribuere potest, quæ solius Imperatoris sunt propria, qualia sunt, nomen proprium personæ & officij incommunicabilis, corona, diadema, thalamus, & similia! Etsi enim Imperator legato suo quandoq; committat, ut suo nomine hæc & illa peragat, ejusq; personam gerat, quæ quia nomine Imperantis à legato peracta sunt, ab Imperatore, & si mediate & per legatum, gesta recte dicuntur: Non tamen admittit aut ratio loquendi, aut conditio legati, ut ideo quia legatus est v. g. Ferdinandi Cæsaris, ejusque personam gerit, nomen Imp. sibi tribuat tribuiq; permittat, & dicatur in casu recto Ferdinandus, aut, quia Imperatoris vices sustinet, dicatur Imperator, & quæ agit nomine Imperatoris, alijs obtrudat, dicatq; gesta tanquam nomine suo, & suâ propriâ autoritate! Ego sum Ferdinandus, Ego Imperator, Ego pro autoritate tibi promitto, indulgeo, decerno &c. Quis ferat ejusmodi legatum? Quis non incuset tanquam læsæ majestatis reum? Manet enim semper inter legatum quâ talem & legantem discrimen, quod autoritatem, dignitatem, agendi & disponendi virtutem attinet: *Et* si ideo quia legati sunt propter officium legationis nomen actiones & honores Dei usurpare possunt Angeli, sequitur, quod pari ratione & Prophetæ & Apostoli, & ministri qui pro Deo legatione funguntur, sibi idem vendicare possint, quia & quatenus, & quando Dei legati sunt, ejusq; personam gerunt. A quatenus enim ad de omni V C. At vero quis Prophetas ideo appellaverit Jehovam, quia fuerunt legati Jehovæ, ejus personam gerentes, & loquentes in nomine ejus? Quis Apostolos & Christi ministros ideo appellaverit Jesum Christum, quia legatione pro Christo funguntur 2. Cor. 5. 20. aut Christum dixerit Deum patrem, quia est patris ad homines legatus, ut ajunt, ordinarius? *Et si maxime in humanis rebus* id obtineret, non tamen ideo in divinis ita obtinere dicendum esset, nisi de eò è SS constaret. Sit licet ita, ut Ferdinandi Cæsaris legatus dici possit propter legationem Ferdinandus Cæsar, in casu recto, (quod pono, non concedo,) non tamen pari ratione Jehovæ legatus propter legationem,

quam sustinet, dici in recto poterit Jehova, eo quod è scripturis constet esse illud nomen *solius* Dei proprium.

X.

II. Gen. XXII. v. 11. seqq. Angelus, qui Abrahæ affuit & apparuit, & Isaaci immolationem impedivit, fuit increatus: Augustinus quæst. 59. in Genes. dubitanter loqui videtur: *vel nomine Angeli*, inquit, *significatus est filius Dei, qui sine dubio Deus est, idemq; manifestè à Propheta dictus est Magni consilij Angelus, vel quia Deus erat in Angelo, & quia in persona Dei Angelus loquebatur, iccirco tanquam Deus loquitur.* Magis tamen categoricè Origenes, homil. 8. in Genes. *Considerandum est*, ait, *quod eum qui locutus est Abrahæ, Scriptura hoc loco vocat Angelum, qui tamen in sequentibus ostenditur esse Dominus & Deus: Unde puto, quod sicut inter homines habitu repertus est ut homo, ita inter Angelos habitu repertus est ut Angelus.* Gregor. quoq; Nyssen. *Qui jusserat ut feriret, vociferatur ut parcat.* Et huic asserto, quod Jehovah sit, qui hic dicitur Angelus, fidem facit, quod *sibi* manifestissimè tribuit ea quæ sunt solius Dei: *Dixit Angelus: Nunc cognovi, quod timeas Dominum & non pepercisti unigenito filio tuo propter me*, Gen. 22. 12. & præterea, loquitur tanquam Deus, jurat per semetipsum, promittit sese benedicturum, v. 15. 16. quæ verba etsi videatur loqui Angelus, ut aliena in nomine Jehovæ, propter illa, quæ adduntur, נאם יהוה *dictum Iehovæ*, quibus etiam Prophetæ subinde sunt usi, patet tamen ex cit. v. 12. Angelum hic non ut aliena recitantem, sed proprie ut de sese hæc elocutum esse.

XI.

III. Jehova qui Jacobo apparuit scalæ innixus, & dixit, *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui & Deus Isaac* &c.: Gen. 28. 13. cui Jacob votum vovit & obedientiam promisit, v. 20. & altare ædificavit, Gen. 35. 1. dicitur expressis verbis Angelus Jehovæ,

Gen.

Gen. 31. 11. 13. *Dixit Angelus Domini, Ego sum Deus Bethel ubi unxisti lapidem & votum vovisti MIHI:* In quem locum non male Theodoretus *Notandum est*, inquit, *quod cum antea dixisset Angelum sibi apparuisse nunc eundem Deum esse demonstrat, Ego enim, inquit, sum Deus &c. Viderat autem Angelos quidem ascendentes & descendentes per scalam, Dominum vero cacumini ejus innixum, quem hic & Angelum nominavit & Deum, Deum inquam, quod naturâ talis sit, Angelum vero ut sciamus non esse DEUM patrem, qui apparuit sed unigenitum filium: siquidem pater cujusnam Angelus esse posit? Filius autem tum DEus, tum magni consilij est Angelus. Nam ipse nobis annunciavit mysteria patris.*

XII.

IV. Angelus, qui Mosi apparuit in rubo, & cum eo locutus est, Exod. 3. 2. seqq. fuit increatus: Diversas fateor de hoc Angelo reperiri sententias: Neq; defuerunt viri alioquin eruditi, qui de Angelo creato intelligerent: Augustinus enim tract. 3. in Iohan. creatum Angelum fuisse ait, qui Mosi apparuit, etsi quæst. 3. in Exod. & lib. 2. de Trin. c. 13. dicat fuisse Dei filium: Gregorius quoq; in præfat. ad libr. Iobi, *Angelus*, ait, *qui Mosi apparuisse describitur, modo Angelus modo Dominus memoratur, Angelus videlicet propter hoc, quod exterius loquendo serviebat, Dominus autem dicitur, quia interius præsidens loquendi efficaciam ministrabat. Cum ergo loquens exterius ab interiori regitur & per obsequium Angelus, & per inspirationem Dominus nominatur: Hinc ait David Psl. 77. Attendite populo meus legem meam, At qui nec lex illa nec populus erat Davidis sed Dei attamen personam ejus ex quo loquebatur assumens, ipsius autoritate loquitur cujus inspiratione replebatur. Hoc fieri quotidie cernimus in Ecclesia, Nam stans in medio populi lector clamat, ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, & quod DEus ipse sit verè, profecto non dicit, nec tamen per hoc, quod dicit, veritatis regulam deserit, quia cui ministerium lectione exhibet, ejus dominium voce prætendit.* Et hæc sententia

Photinianis & pleriſq; Pontificijs arridet: Lyranus in h.l. *Angelus ille apparebat & loquebatur in perſona Dei, & ideo aliquando Angelus vocatur, aliquando Dominus.* Eadem habet in h. l. Toſtatus, ſicut & Pererius in Geneſ. c. 32. p. 822. *Idem dici poteſt*, ait, *de eo qui apparuit in rubo & in flamma ignis Moſi, iſtam enim B. Stephanus Act. 7. præciſè & ſimpliciter appellat Angelum, Ac licet in Latinâ translatione præciſè & ſimpliciter appelletur in illo Exodi loco Dominus, Hebraica tamen Scriptura & paraphraſis Chaldaica & Græca translatio Angelum nominant, & vero utroq; nomine appellari potuit, quantum enim ad perſonam Angelus erat, quantum autem ad repræſentationem & autoritatem Deus erat, Angelus enim vocem illam & verba formabat, ſed verba illa non Angelum ſed eum à quo miſſus fuerat Deum ſignificabant.* Idem repetit d. 6. in caput 3. Exod. pag. 89. Oſtorodus quoque contra Tradel. part. 2. cap. 2. pag. 91. locum hunc Exod. 3. 3. 4. cum Stephani teſtimonio confert, qui affirmat Angelum Moſi apparuiſſe, & inde putat conſequens eſſe, *Angelum dici Iehovam*: Enjedinus vero ad h. l. pag. 44. diſtinguit inter eum, qui Moſi apparuit in rubo, & inter eum qui cum Moſe ex rubo locutus eſt, illum dicit fuiſſe Angelum creatum, hunc vero Jehovam: *Quod additur* ait, *hic eundem vocari & Angelum & Iehovam, Deum Patriarcharum, in hoc etiam inquiri poteſt: Nam tum ex Moſis tum ex Stephani narratione poſſet aliquis veriſimiliter colligere, alium eſſe eum qui Moſi apparuit, & alium qui locutus eſt, & ſe Iehovam ac Deum patrem appellavit, ita ut Ignis ille in rubo ardens dicatur Angelus, at ille qui è medio, vel ut in Hebreo eſt, ex corde ignis eſt locutus, vocetur Iehovah & Deus Patrum. Certè ignem alibi quoq; Scriptura Angelum Dei vocat, Ebr. 1. 7. Pſ. 103. 4. apparitio igitur ipſa, ſeu res à Moſe viſa, tum à Moſe tum à Stephano Angelus Dei vocatur, ſed oratio & vox ab utroq; tribuitur Iehovæ in Igne latenti. Hæc opinio confirmari etiam teſtimonio Chriſti poteſt*: Ita ad h. l. Enjedinus, quæ opinio ſi obtineat, parum aut omnino nihil proficiet Oſtorodus, quando ex h. l. conatur oſtendere quod Angelo creato tribuatur nomen Iehovæ, Ita enim nomen Iehovæ cultusq; divinus non Angelo ſive igni ardenti, quem Angelum appellat Enjedinus, ſed DEO

per

per Angelum loquenti, adeoque per se & immediate se manifestanti tributum fuerit. Neque desunt, qui dicant, in apparitionibus V. T. ubi Deus apparuisse dicitur, Angelos Deo ministrasse, ita ut Deus per Angelos, & peculiarem in Angelis assistentiam apparuerit quandoq; , nec tamen ideo sit dicendum, Angelos Deum repræsentasse, aut Dei nomine locutos esse, aut honores sibi & actiones divinas vendicasse, sed Deum potius peculiari in Angelis assistentiâ pleraq; peregisse, & immediate locutum fuisse, ita ut visus quidem sit Angelus, vox tamen, quæ audita fuit, non fuerit Angeli creati sed ipsius Dei in Angelo se-se manifestantis, honor item delatus sit non Angelo creato, sed Deo per Angelum apparenti: Et hanc opinionem Enjedinus quoq; verbis citatis videtur innuere, quâ stante illæ Photinianorum assertiones collabascunt, quod sc. in V. T. cultus, actio, nomen Dei tribuatur creaturis v. g. Angelis, ita enim non Angelo creato, qui visus fuit, sed Deo, qui peculiari assistentiâ in Angelo præsens fuerit, & in illa apparitione locutionem & alia plura peregerit, hæc talia vendicari dicendum erit. Probari tamen per omnia illa opinio non potest, quia ut *unus & idem* sæpe describitur, qui modo Iehovah, modo Angelus appellatur, quod etiam in præsenti loco contingit, uti ex circumstantijs textus in notescit; Potior ergo & simplicior est illorum sententia, qui Angelum hunc, qui Mosi apparuit in rubo putant esse DEum, & in specie Dei filium: Ita statuit Iustinus Martyr Apol 2. pro Christ. p, 74. & in Dial. cum Tryphone p. 220, ubi illud prolixè astruit, & addit, *Iudæi sane omnes nunc quoq; docent, carentem illum nomine Deum cum Mose collocutum esse.* Ireneus l. 4, contra hær. c. 23. *Filius Dei aliquando quidem cum Abraham loquens, aliquando eum eodem comesurus aliquando Sodomitis inducens judicium & rursum cum videtur & in viam dirigit Iacob ac de rubo loquitur cum Mose.* Clemens Romanus l. 5. Constit Apost. c. 21. *Hunc* (filium Dei) *Moses de rubo vidit.* Clemens Alex. l. 2: prædag. c. 8. *Cum omnipotens universorum Dominus cæpit per verbum legem ferre & Mosi suam potentiam manifestare, divinam illi visionem ostendit formatæ lucis in rubo ardenti:*

dente: In quæ verba Fernandius, *Græcum* Φῶς inquit, *pro luce indifferenter & pro viro sumi potest, ut annotavit interpres, imo cum oriatur à verbo* Φῶ, *quod idem est ac dico sive loquor videri potest in ipso vocabulo allusio esse ad verbum divinum quod procedit per dictionem Patris: puto ergo velle Clementem, apparuisse formatam lucem, id est redactam in formam hominis quæ verbum incarnatum repræsentaret.* Hilar. l. 4. de Trinit. *Qui apparuit in rubo de rubo loquitur, & visionis locus unus & vocis est, neq; alius, quam est visus auditur, quia qui est Angelus Dei, cum videtur, idem rursum cum auditur est Dominus, ipse vero qui auditur Dominus Deus est.* Ambr. l. 1. de Fide c. 5. *Non pater in rubo, nō pater in eremo, sed Filius Mosi locutus est, de quo Stephanus, hic est, qui fuit in Ecclesiâ, in eremo.* Theodoret. eum qui apparuit Mosi in flamma ignis de medio rubi, licet Scriptura secundum lectionem Græcam appellet Angelum, probat tamen fuisse filium Dei & non Angelum proprie dictum, quia ipsemet dicit se esse Deum Abraham & Isaac & Iacob, & declarans nomen suum ait, ego sum qui sum ista vero convenire in Angelum nullo modo queunt, &c: q. 5. in Exod. addit, Deum ideo in rubo apparuisse, ne Iudæi proni ad idololatriam occasionem inde arriperent sculpendæ imaginis. R. Mose Gerundensis apud Masium, *Iste Angelus, si rem ipsam dicamus, est Angelus redemptor de quo scriptum est, quoniam nomen meum in ipso est, ille inquam Angelus qui ad Iacob dicebat, ego Deus Bethel, ille de quo dictum est, & vocabat Mosen Deus de rubo, vocatur autem Angelus quia mundum gubernat, scriptum est enim, eduxit nos Iehova ex Ægypto, & alibi, misit Angelum suum & eduxit nos ex Ægypto, præterea scriptum est, & Angelus faciei ejus Salvos fecit ipsos, nimirum ille Angelus, qui est Dei facies, de quo dictum est facies mea præibit, & efficiam ut quiescas: Deniq; ille Angelus est, de quo vates, & subito veniet ad templum suum Dominus, quem vos quæritis, & Angelus fœderis, quem cupitis.* Philo Iudæus, *videt Moses prodigiosum spectaculum, & quantum quis suspicari posset, erat ea visio atq; præsentia ejus Qui est, vocatur autem Angelus, eo quod quæ ventura essent denunciabat,* Et paulo post: *In media flamma forma præstantissima visa est, quæ nulli harum rerum quæ videntur esset similis, divinissimum videlicet simulacrum.* E Pontificijs illam sententiam

tentiam asserunt Vatablus in Not. ad c. 3. Ex. *Quem nunc vocat Angelum, paulo post v. 4. appellat Deum, sic vocavit Christum Moses, non modo quia Angelos semper comites habuit & apparitores, sed quia illa populi redemptio nostram omnium adumbravit, cujus causa mittendus erat Christus &c.* Ita quoq; Masius in Jos. c. 5 & Fernandius V. 5. V. 6. c. 25. 1. cui etiam nos subscribimus. eamq; aliquot rationibus confirmamus: 1. *A facta nominum divinorum appropriatione*, quorum *primum* est, quod vocat sese *Deum patris, Deum Abraham, Isaac, Jacob, v. 6.* Qui enim de se dicit in prima persona: Ego sum Deus Abraham Deus Isaac, & Deus Jacob, adeoq; fœdus cum patribus illis ut à se sancitum sibi vendicat, & benedictionem illis promissam sibi tribuit, ille est verus Deus: Non enim ita loquuntur Angeli: *neq; ullus eorum invenitur unquam dixisse, Ego dico vobis, sed Ego missus sum, inquiunt, loqui ad TE*, ut Cyrillus ait, l. 8. thes. c. 2. neq; ita de se etsi Dei personam gerant, ulla ratione dicere possunt, Ego sum Deus patris tui, Ego fœdus pepigi cum Abrahamo, Ego benedictionem promisi: etsi enim legatus personam & vices legantis gerat, ejusq; nomine agat, manet tamen perpetuũ discrimen inter legatũ & legantem, quoad *agendi modum*, originem, atq; auctoritatem, ita ut legatus solum agat ministerialiter & nomine alterius, quæ princeps aut legans agere dicitur nomine suo, autoritative, & principaliter, stulta adeoq; esset & in principem injuria vox, si legatus ejusdem diceret! *Ego sum princeps vester; Ego vobis hæc privilegia concessi* &c. At vero Angelus ille, qui Mosi apparuit in rubo, est is, qui de se dicit in prima persona: *Ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac & Deus Iacob*: Deum Abrahæ, Isaci, Jacobi vocat sese propter fœdus Abrahæ factum de seminis benedictione, & in Isaco, & Iacobo confirmatum, q. d. Ego sum ille Deus, qui Abrahamo primum semen benedictum promisi, eiq; sortem populi venturam in Ægypto prædixi, qui populum illum ex Abraha, Isaco & Iacobo descensurum specialiter, sese legi ejusq; liberationem & hostium pœnas decrevi & promisi, adeoq; fœdus illud ratum esse volo illiusq; recordor, &c: Angelus itaq; ille qui hic apparuit, est *Iehova* & verus Deus: *Secundum nomen* quod sibi tribuit, est יהוה אלהים v. 4. 7. 11. 14. 15. Qui vero Jehovah dicitur, & de se dicit in prima persona, quod Jeho-

vah sit nomen ejus, eoq; nomine vult ab Israelitis dignosci, & a Diis fictitiis non solum sed & omnibus rebus creatis discerni, idq; ita sibi vindicat, ut Moses denunciare & Israelitæ credere jubeantur, quod apparuerit *Iehova Elohim*, ille est Iehovah & verus Deus: At vero is qui Mosi in rubo apparuit, dicitur יהוה & אלהים, *videns Iehova, quod pergeret ad videndum, vocavit eum Elohim v. 4. Moses non audebat aspicere* אל האלהים *ad Deum*, cui dicit יהוה *v. 6. 7. Dixit Moses* אל אלהים *ad Deum v. 11. 13. Dixit* אלהים *ad Mosen v. 14. 15. Jehova Deus patrum vestrorum, Deus Abraham &c. misit me ad vos, hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meum in generationem & generationem*, h. e. quo memorabor & nominabor inter homines, quo mei recordabuntur, me dignoscent, & ab alijs rebus distinguent. Idq; Mosi etiam jubetur nunciare, quod Jehova apparuerit: *Vade & congrega Seniores Israel: & dic eis: Jehova Deus patrum vestrorum apparuit mihi*, Exod. 3. 16. Israelitæ vero illud credere jubentur, *Ut credant, quod apparuerit tibi Jehovah*: Exod. 4. 5. Angelus itaq; is qui apparuit vere fuit Jehova: Neq; dicere possunt, nos hic principium petere, quando ex nomine יהוה argumentamur, quia firmis non solum assertionibus sententiam nostram munivimus, quod illud sit nomen solius veri & æterni Dei, sed etiam ipse Jehova illud sibi tribuit tanquam, *suum* nomen, *suum* memoriale, quo nominari, cognosci, adeoq; ab aliis rebus omnibus discerni velit: *Tertium nomen*, quod sibi vendicat qui Mosi apparuit, est אהיה אשר אהיה *Ero qui Ero*, 70. ἐγὼ εἰμι ὁ ὤν: de quibus verbis autumat quidem Burgensis in addit. Exod. 3. 14. quod non ostendat *Dominus Mosi aliquod nomen divinum de novo, sed potius ostendit ei, quod non erat interrogatio sua necessaria de hoc, cujus ratio est, nam sufficiebat filijs Israël, & etiam ipsi Mosi quod Deus patrum suorum sc. Abraham Isaac & Jacob, quem ipsi per fidem cognoscebant esse unum Deum, volebat esse cum eis ad educendum eos, de servitute sive hoc fiat per miracula potentiâ, sive non. id est aliter, Et hoc est quod dicit Ero qui ero &* & est sensus, *Ero cum eis qui ero tecum, statim enim supra dixerat Mosi, Ego ero tecum, ac si diceret, Ego dixi tibi, quod ero tecum in hac liberatione si-*

ne, similiter dico, quod ero cum eis. Alij tamen, quos inter & Drusius, putant esse nomen Dei proprium, idque videtur verbis eodem versu positis ostendi. אהיה, *Ero misit me ad vos*, ubi אהיה subjecti vicem habet, & pro eo supponit, cui in prædicato missio tribuitur, nempe Deo: Vtut vero sit, sive nomen Dei sit, sive non sit, certum tamen est, quod solius Dei proprium sit, qui de se solum dicere potest, אהיה אשר אהיה, *Ero qui ero*, innuitur enim eo ipso necessitas essendi, æternitas, omnimoda immutabilitas, independentia & essendi perseverantia, adeoq; nulla creatura sibi asscribere potest illud *Ero*, quia nulla est, quæ esse æternum, necessarium, immutabile, & independens obtineat, idq; non male exponit in h. l. Tostatus, tom. 2. p. 33. *Per hoc vocatur Deus esse summum in Entibus, Ego sum qui sum, id est Ego sum qui verè sum, vel cui propriè esse convenit, vere enim sum quia id, quod sum, ex me sum & non ab aliquâ aliâ natura vel essentia esse recepi, aliæ autem res non sunt quæ sunt, quia suum esse non ex se sed ex Deo habent, ideo quod sunt, non sunt, quia id quod sunt non ex se sunt sed ab alio, id est, à Deo sunt: Etiam in hoc notatur æternitas & immutabilitas Dei in essendo, Deus enim est, quod est, quia id quod est perditurus nunquam est, cætera autem non sunt, quæ sunt, quia id quod sunt, aut perditura sunt, aut de se perdere patent, nisi ipse, qui esse dedit illud gubernet.* Thalmudistæ quoque ut Vatablus notat, dicunt, verbum אהיה *Ero*, trium temporum differentias in se continere, præteriti, præsentis & futuri, fui, sum, ero, *asserunt q; eo innui summam omnimodam & sempiternam Dei stabilitatem, qui semper fuit est & erit: Est Deus semper qui nunquam cæpit nec unquam desinit, sed transcendit omnem rationem temporis, & qui solus dicere potest Sum & Ero, est enim ipse omnis essentiæ atq; vitæ fons, & plenitudo, à quo omnia quæ sunt, habent esse quod sunt:* Ita & Thomas p. 1. q. 13. art. 11. *Nomen Qui est maxime Dei proprium est 1. Hoc nomen significat ipsum esse, solius autem Dei esse est ejus essentia, 2. quolibet nomine determinatur aliquis modus substantiæ rei, sed hoc nomen, Qui est, nullum modum essendi determinat, sed se habet in determinate, ideo nominat (Damascenus) ipsum pelagus substantiæ infinitum. 3. significat hoc nomen esse in præsenti, hoc maxime Deo competit, cujus esse non novit præteritum & futurum.* Quidam insuper ex Hebreis in eâ sunt o-

pinione, quod Deus his verbis, *Ero qui ero*, non solum suam æternitatem & independentiam indicare voluerit, sed simul exprimere & polliceri gratiosam suam præsentiam, se sc. populo suo præsentem fore ope divinâ, non tantum in hâc, sed & aliis omnibus tribulationibus, ideoq; repeti verbum אהיה, *Ero qui ero*, vester sc. auxiliator oportunus. Alij putant respectum fieri ad futuram incarnationem, quam is qui apparet, his verbis polliceatur, *Ero qui ero*, sc. Messias vester, & assumtâ carne vos aliquando liberabo, Sum ille DEus vester, qui aliquando futurus sum homo. His vero observatis firmiter licet argumentari: Qui de sese dicit, *Ero qui ero*, adeoque hoc ipso sibi nomen Dei maxime proprium, & esse prorsus necessarium, æternum, independens, immutabile & absolutum tribuit, is est Jehova & verus Deus: Nam *Dei essentia caret materia, motu, tempore, loco, atque idem unum & est id quod est, hæc solâ dicere potest, Ego sum qui sum*, ait August. l. de speculo tom. 9. c. 28. *Una est Dei & sola natura, quæ vere est, id enim quod subsistit non habet aliunde sed suum est*, inquit, Hyeron. in Epist. ad Damasum. At vero Angelus ille, qui Mosi in rubo apparuit, dicit de sese, Ego sum qui sum, adeoque esse æternum & independens sibi tribuit, &c. quod citra summam blasphemiam creaturæ tribui non potest. Ergo Angelus ille est Jehova & verus Deus. *Et hoc omnino*, ait Antonius Fernandius Conimbricensis Jesuita, *rem conficere videtur, quod is qui locutus est Mosi de rubo rogatus, ab eo de nomine, dixit: Ego sum qui sum, id est, ipse fons essendi, quod uni Deo competit.* Porro & II. assertionem confirmamus *A meræ divinæ operatione*, quam *sibi* tribuit is qui Mosi apparuit: Qui enim αὐτοπροσώπως sibi ascribit populum Israelis tanquam suum, sibi designat precum exauditionem, cognitionem calamitatum, populi gubernationem & liberationem, bonorum quoq; omnium elargitionem & affluentiam, is est verè & personaliter Jehova & Deus. Quia non erant Angeli creati populus sed Dei Israelitæ, cui soli competit habere populum περούσιον, neque Angeli creati sibi asscribũt, quod preces audiant, gemitus cognoscant, &c. neq; sua esse dicunt

ea

ea, quæ sunt Dei, sicuti nullus legatus est, qui hoc sibi tribuat, etiam quâ legatus regis est, ut sua dicat esse imperia, sua privilegia, suam potestatem, suos populos, quia sunt regis. At vero Angelus is qui Mosi apparuit, vendicat, sibi (1.) populum Israelis tanquam suum, *Videndo vidi afflictionem populi* mei, v. 7. *educes populum* meum, v. 10. sibi designat (2.) precum exauditionem & calamitatum notitiam, *videndo vidi* afflictionem, ait v. 7. quæ geminatio indicat illum, qui hæc vidit, nihil omnino fugisse earum rerum, quæ acciderunt Israelitis: *Clamorem audivi, novi dolores*, v. 7. *clamor venit ad me*, v. 9. quod indicat illum hic loqui, ad quem Israelitæ suos clamores in cruce referebant, quem clamoribus subinde sollicitabant, Hic enim solus dicere potuit, clamor eorum venit *ad ME*. Sibi quoque tribuit (3.) populi gubernationem & liberationem, ita ut in manu sua dicat esse juvandi potestatem cum voluntate, *descendi* ait, *ut liberem*, v. 8. & fatetur sese Mosi affuturum gratiose & potenter, quia miserit eum, *Ego ero tecũ*, v. 12. nec liberationem tantũ à malis, sed & (4) bonorum omnium affluentiam in commoda & spatiosâ habitatione promittit, v. 8. Angelus ergo ille qui hic apparuit est verè & personaliter Jehovah. III. *A mere divina & religiosa adoratione*, quæ huic Angelo tribuitur: Qui enim honore vere divino jure meritoque afficitur, cujus divina majestas cum indignitatis propriæ testimonio, summâ item reverentia, humilitate & subjectione agnoscitur, ille est Jehovah personaliter, ut sic loquar, & verus Deus: Deus enim *alteri* gloriam suam daturus non est, sive subordinatus sit Deo, sive contrarius, sive legatus sit Dei sive non sit, neq; evincere hactenus potuit quisquam adversantium, quod honor verè divinus cuipiam extra Deum eò quod Dei legatus est, jure meritoque secundum scripturas deferri queat: At vero Angelus ille qui Mosi apparuit, honoribus divinis à Mose jure meritoq; mactatur, &c: quod innuit tum (1.) *facta discalceatio*, ubi Mose jubetur *solvere calceamenta de pedibus suis*, v. 5. quo ritu eum ad obedientiam & humilitatem præparare, & ad excipienda dicta debitam reverentiam exigere voluit Deus, ideoq; jussit facere id, quod solebant olim mancipia sive servi ad herum

suum accedentes, qui nudis pedibus incedebant, aut calceamenta de pedibus solvebant, ut subjectionem, reverentiam, & timorem, erga heros suos testatum facerent, unde *nudare pedes* signum fuit servitutis & reverentiæ, adeoque hoc ritu discalceationis seae servum humilem professus est Moses, & suam erga illum qui apparuit, subjectionem, timorem, & servitutem testatam facere debuit, quam sane nemini nisi soli Deo debebat: *Non* enim *sumus servi hominum*, neque creaturarum, 1. Cor. 7. 23. tum (2.) *loci sanctificatio, locus in quo stas*, ait Angelus ex rubo, *terra sanctitatis est*, v. 5. non quidem per se & ex loci naturâ, sed ex instituto & ordinatione divina, vel potius, ex peculiari relatione, quâ locus ille sanctus dicebatur, propter præsentiam illius, qui Mosi tum apparebat, locum illum sanctificabat, & præsentiæ suæ speciale signum & testimonium ibi exhibebat, & ideo etiam Mose jubetur solvere calceamenta, h. e. exteriori signo testatum facere, quod animo parato, humili & servili reverenter acedat, quia locus in quo stabat, terra sanctitatis erat, h. e. Sanctus Sanctorum in eo speciale suæ præsentiæ signum exhibebat, atque sic stabat in conspectu sanctissimi Dei, coram quo opus erat summa humilitate & reverentiâ. Blasphemus vero sit in Dei majestatem, qui hæc talia Angelo creato asscribere ausit, quia solus Deus locum suæ præsentiæ specialis ita sanctificat, & propterea summam humilitatem & debitam reverentiam exigit. Conf. Exod. 19. 12. tum (3.) *faciei Obvelatio*; Mose enim *abscondit faciem suam, quia non audebat aspicere contra Deum*, Exod. 3. 6. eoque ipso tum suæ indignitatis & abjectionis, tum divinæ majestatis testimonium edidit, sicut Cherubim facies suas coram Jehova obvelantes, Es. 6. 2. tum (4) *Mosis ad Deum facta precatio*, quâ benedictionem precatur Josephi posteris, ab eo qui in rubo apparuit: *Beneplacitum habitatoris rubi veniat super caput Joseph*, ait Deut. 33. 16. Angelus igitur ille, qui apparuit, talis fuit, ut רצון favorem ejus Josephi filijs Moses precari desideraverit, favorem vero & gratiam non ab Angelo, aut ulla creatura, sed à Deo, creaturarum Domino, & omnis benedictionis fonte precari jubemur. Posset & IV. urgeri *majestatica apparitio*, quæ facta est in rubo ardente non tamen

men consumto, qui ardens rubus *significabat*, ut Philo exponit, *oppressos injuriâ, urens vero ignis oppressores, quod autem non exurebatur materia, portendebat non perituros, qui affligebantur inimicorum violentia, sed conatum eorum fore irritum, illos vero evasuros incolumes*. At vero uti Ambrosius ait l. 1. de Sp. S. c. 16. *in specie ignis ac luctis exprimi vel videri divinæ consuetudinis est*. Item V. *Photinianorum assertio*, qui regulam habent; Nomen θεὸς absolute & cum articulo positum esse veri æterniq; Dei proprium: Illi vero qui in rubo apparuit, tribuitur nomen θεὸς absolute, & cum articulo positum, dicitur enim ὁ θεὸς locutus de rubo, Marc. 12. 26. Matth. 22. 31. 32. Hæc vero & similia omittimus, quia prioribus argumentis rem putamus esse satis confectam.

XIII.

V. Angelus ille, qui populum Israel eduxit ex Ægypto, deduxit in columna nubis & ignis per desertum, & introduxit in promissam regionem, fuit increatus: Non quidem inficias imus, Angelorum confertas acies circa populum Israeliticum castrametatas esse, quando per deserta & inhospita tesqua ivere in terram Cananeam, veruntamen peculiaris quidam Angelus κατ' ἐξοχὴν dicitur à Domino missus, tanquam populi Ductor & director, *qui præcesit castra Israel in columna nubis*, Ex. 14. 19. c. 32. 34. de quo Moses gloriatur, *Nosti*, ait ad Regem Edomeorum, *quomodo miserit Angelum Deus, qui eduxerit nos de Ægypto*. Num. 20. 16 de quo ipse Deus ait ad populum, *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te & custodiat te in via, & introducat in locum quem præparavi, observa eum, & audi vocem ejus, ne rebellaveris ipsi, quia non relinquet te impunitum cum peccaveris, & nomen meum in medio ejus*, Exod 23. 20. 21. Hic vero Angelus à Photinianis & plerisq; Jesuitis creditur fuisse creatus, & in specie *Michaël* Archangelus. Cajetanus arbitratur *Mosen* fuisse. Justin. in dial. contra Tryphon. Euseb. l. 4. demonstr Evang. c. 8. Tostatus in Ex. c. 23. tom. 2. op. p. 439. aliique putant fuisse *Josuam*: R. Moses Ægyptius in More Nev. p. 2. c. 34. p. 289 *Prophetam* intelligit: *Quod in lege scriptum est*, ait, *Ecce ego mittam Angelum meum ante te, &c. Illius sensus elegantissime nobis declaratur in repetitione legis ubi Deus in narratio-*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958736/phys_0237
DFG

ratione stationis illius in monte Sinai ad Mosen ait, Prophetam suscitabo illis de medio fratrum suorum sicut tu &c, cujus rei probatio inde petita est, quod de illo Angelo dicatur, Cavè à facie ejus & obtempera voci ejus &c. Illud enim præceptum sine dubio spectat ad promiscuam hominum multitudinem & communem plebem, His autem non apparent Angeli, neq; vel mandata vel admonitiones ipsis dant, ut moneri necesse habeant, ne contra eos rebellent, quocirca sensus illius loci est, se Prophetam ipsis excitaturum, cui Angelus sit appariturus, locuturus, & mandata daturus. At vero neque Moses neque Josua, neq; Propheta esse potuit hic Angelus, quia Mose de illo gloriatur Num. 20. 16. à Mose itaque diversus est, estque ille qui præcessit Israelitas in columna nubis & ignis, & viam ostendit, Ex. 13. 21. c. 14. 19. & rebelles punivit, Exod. 23. 20. à quibus etiam in deserto tentatus est, 1. Cor. 10. 9. quæ singula neque in Mosen, neque in Josuam neque in Prophetam aliquem quadrare possunt, Quod vero Angelus creatus esse non possit, ex ijs liquido constabit, quæ huic Angelo tribuuntur: Rectissime ergo illi, qui cum Athanas. l. de comm. ess. patr. f. & Sp. S. Hesych. l. 7. in Levit. c. 26. August. l. 16. contra Faust. c. 19. Ruperto in c. 23. Exod. statuunt fuisse *Jehovam, & Dei filium*, quam etiam sententiam Andreas Masius in cap. 5. Jos. & Alphonsus Salmeron Jesuita in 1. Cor. 10. c. contra alios Pontificios asserere: Probat vero illam: 1. *Denominatio:* Dicitur enim Angelus ille, qui dux fuit Israelitarum, (1.) *Jehovah*, Qui enim Israelitas deduxit in columna nubis & ignis, & in ea præcessit populum, ex ea prospexit, hostesque perterruit, ille est diciturque Jehova: *Jehova* enim *præcessit eos ad ostendendam viam per diem, in columna nubis, per noctem in columnâ ignis*, Ex. 13. 21. Deuter. *1. 33.* Num. 14. 14. c. 12. 5. Ps. *78.* 14. Ps. 105. 39. *Jehovah solus fuit Dux*, Deuter. *32. 12. Deus ipse transivit ante eos*, Deut. *31.* 3. Unde columna dici videtur *facies Jehovæ*, eduxit te *facie sua*, Deut. 4. 37. *facies mea præcedet* te, Exod. *33.* 14. *accedite in conspectum*, sive ut habent Hebrea, לפני יהוה *in, vel ad faciem Jehovæ*, Exod. 16. 8. ubi columna videtur intelligi, quæ erat divinæ præsentiæ symbolum: & ideo Moses, *nisi*, ait, *facies tua nobiscum eat, ne educas nos de loco, isto* Ex. 33. 15. (quamvis non repu-

reognem iis qui per faciem Dei h. l. intelligunt Dei filium) At vero Angelus ille, Israelitarum Dux, est is, qui præcessit castra Israel in columna nobis & Ignis, Exod. 14. 19. c. 23. 20. c. 32. 34. Numer. 20. 16. Angelus igitur ille est Jehovah. Dicitur II. *Nomen Dei esse* בְּקִרְבּוֹ *in medio sive interiori ejus* Angeli, Exod. 23. 21. qua phrasi non indicatur hoc solum, quod *verbum vel sermo Dei sit in medio ejus, quia sit instrumentum voluntatis & beneplaciti Dei, ejusque legatus* & mandatarius, ut cum R. Mose Ægyptio in M. N. p. 1. c. 64. exponunt plures alii, sed Dei potius majestas & autoritas eo ipso innuitur: Nomen enim Dei est essentia Dei, est majestas Dei, est ipse Deus: quando ergo dicit Deus, nomen suum esse in Angelo illo, idem est ac si diceret, essentiam, majestatem & gloriam Dei esse in illo: Flacio in Clavi dicit tria per nomen suum residens in Angelo illo Deum denotare voluisse. *Primum quod ipsa res aut essentia sui erit in eo, seu quod erit verè Deus, patri consubstantialis, quandoquidem nomen sæpe pro ipsa re ponitur, Secundo quia nomen continet similitudinem, imaginem, notitiam & quasi quandam picturam rei sicut & Philosophi de cogitationibus ac sermone pronunciant, quod sint ὁμοιώματα similitudines rei, ideoq; hac phrasi indicat pater, illum Angelum ita fore verum Deum, ut sit etiam substantialis imago & character ipsius: Deniq; illâ locutione indicat Deus, quod licet tota Trinitas sibi nomen Jehovah ERIT, paulo ante initio Exodi assumserit, significaveritq; Deum ipsum fore illud jam olim promissum, benedictumq; ac benedicens semen, seu Messiam, tamen hæc propriè persona divinitatis &c: Sit futurus ille verus Iehovah, &c. quæ reipsa præstet nomen Iehovah, ERIT, id est, quæ fiat Messias & verè ducat genus humanum ex servitute in regnum Dei*: Et inde est, quod de creato Angelo, etsi Dei sit legatus, ejusque nomine agat, non legatur, nomen Dei esse in medio ejus, quia nomen Dei h. m. non nisi de Deo ejusque essentia & majestate divina intelligi potest: *Scrutetur*, ait Augustinus, *hunc locum non solum Manicheus, sed etiam Iudeus, utrum de aliquo Angelo dixerit Deus, nomen meum est in illo, nisi de hoc ductore populi*, libr. 16. contra Faust. c. 19. Dicitur III. *Angelus* פְּנֵי *facierum Iehovæ*, Esa. 63. 9. *Angelus faciei ejus servavit eos, dilectione sua & clementia vindicavit eos*: Ubi quidem Schmalzius contra Frantz. d. 1. p. 13. negat Angelum

gelum illum esse Dei filium, aitque esse unum de Angelis illis, qui in conspectu Dei stare soleant, expectantes quid jubeat eamq; interpretationem ex Vatablo, Calvino, Oecolamp. confirmat: Gaspar Sanctius quoquein comment. h. l. per Angelum faciei intelligit *unum è septem qui Deo assistunt, & cumprimis Michaelem, cui populi tutela credita erat.* At vero Angelo creato competere nequaquam possunt ea, quæ huic Angelo facierum Jehovæ tribuuntur, dicitur enim salvasse, redemisse, vindicasse, portasse &c. populum, quæ opera sunt mere & vere divina, dicitur ישוע & מאל Salvator & redemptor, ἐξοχικῶς sc. & μονογενῶς, quia vero & æterno Deo hic æqualiter conjungitur, & Spiritui S. etiam in ordine præponitur, & tanquam populi Ductor celebratur, quæ requisita in Angelum creatum non cadunt, neq; evincere possunt è SS. adversarii, Angelos creatos dici Angelos facierum Jehovæ, qui salvent populum: Adeoque rectius & communius interpretes cum Hyeron. dicunt, sermonem hic esse de illo Angelo, qui populum antecessit peregrinantem, & illi præsto fuit in omni rerum discrimine, de ipso sc. Dei filio, qui dicitur Angelus facierum Jehovæ: 1. *Quoad personam*, quia Deum patrem ejusdemque faciem h. e. essentiam singulari ratione per æternam generationem in sua persona possidet & repræsentat, tanquam χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως καὶ εἰκὼν Jesu ἀορίστου, Col. 1. 15. Ebr. 1. 3. Sicut ergo Sp. S. dicitur esse *à facie Dei*, Es. 57. 16. quia per æternam spirationem à patre procedit: Ita filius dicitur *facies Dei* absolute, Exod. 33. 15. Deut. 4. 37. (uti quidam exponunt) & *Angelus faciei Jehovæ* h. l. quia essentiam patris ut unus cum patre Deus singulari ratione in sua persona repræsentat & exhibet: Et in hunc sensum R. Gerund. *Facies mea præcedet*, ait Deus, *h. e. Angelus fœderis quem vos cupitis, in quo videbitur facies mea.* 2. Quoad *officium*, quia est à facie Jehovæ missus, ut Lyranus exponit, & faciem Dei h. e. Deum ipsum ejusq; consilium & Voluntatem nobis manifestat. Dicitur IV, מלאך האלהים Exod. 14. 19. ubi Reuchlinus monet, de Angelo illo Magno Christo illud scriptum esse, qui dicatur

Angelus

Angelus Angelorum מלאך מלאכים non sicut alibi מלאך אלהים sed ה *tanquam peculiari signo Dei magni & Angeli maximi præter consuetudinem communem adjecto.* Quod tamen ultimum non probationis loco, sed tanquam à Reuchlino observatum addimus. Probat porro, & II. nostram assertionem *mere divina operatio*, quia Angelus ille populi ductor, in columna nubis & ignis præcessit Israelitas, Ex. 14. 19. & introduxit in terram Cananeam, debellatis, qui eam incolebant hostibus, quod solius Dei est, Ex. 13. 21. Deut. 1. 33. c. 32. 12. populo quoque autoritative ad preces Mosis remittere potuit peccata, quod item solius Dei est, Exod 33. 9. Deut. 31. 15. Ps. 99. 7. potestas item judiciaria animadvertendi in transgressores legis, Exod. 23. 21. & communis actio cum patre delendi Cananeos ipsi tribuitur, v. eod. Tum etiam observandum, quod Angelus sæpe populo locutus est non per se sed per Mosen, Moses vero verba Jehovæ, & quæ à Jehova accepit, sese loqui professus est, quod indicio est non creatum esse Angelum sed verum Deum. Probat III. *Divina adoratio*, quæ Angelo illi Duci Israelis defertur: Huic enim populus jubetur offerre sacrificia, Exod. 3. 12. atque cavere ne contra eum peccet rebellando, Exod. 23. 21. sed ei præstet obedientiam & obsequium; At vero non nisi Deo sacrificia offerenda, Ex. 22. 20. Judic. 13, 16 Neq; in alium quam in solum Deum tanquam judicem & vindicem peccatur Ps. 51. 6. qui uti solus est omnis rectitudinis norma, ita etiam solum est peccatū, quādo ab hac norma fit discessus, adeoque primo & proprie in sive contra Deū, secundario improprie & per accidens in creaturas peccatur. Et hæc potissima sunt, quæ impræsentiarum afferimus pro illo demonstrando, quod Jehovah in SS. aliquando dicatur Angelus, absolute, & sine addito alienante, quæ si absque præjudicio affectuum ponderarent adversarij, facile, ut opinor à præconcepta opinione discederent, quam etiam corrigit Blasius Viegas in comment. Apoc, c. 8. p. 343. *Nec recte quidam è recentioribus dicunt Christum nusquam absolute dici Angelum*, &c. cui vellem Pererius patulas aures præbuisset. Sed de primo membro satis.

XIV.

Secundo: *Quod Angelus ille increatus sit secunda Deitatis persona, sive Dei filius*, ex multis indicijs constat: Quia I. observatum est non patrem neq; Sp. S. sed filium in S.S. *Angelum* appellari: Is enim est *Angelus fœderis*, Malach. 3.2. ubi Judæi Eliam intelligunt, quod zelatus fuerit fœdus circumcisionis, & ideo in omni circumcisione, quam hodie etiam faciunt, adornant Eliæ sellam, putantes Spiritum ejus adesse, & zelare pro lege Domini: Nos vero Dei filium intelligimus, qui dicitur Angelus fœderis, tum *quod novum ipse fœdus percussit*, ut Augustin. ait, l. 18. de C. D. c. 35. tum quod in veteri fœdere promissus est, & adhoc venturus, ut antiqua patribus promissa compleat & consummet, Is item est *Angelus faciei rum Jehovæ*, h. e. ut Paulus exponit, χαρακτὴρ ὑποστάσεως τοῦ πατρὸς ἢ εἰκὼν θεοῦ ἀοράτου Col. 1. 15. Ebr. 1. 3. Is item est *Angelus* μεγάλης βουλῆς, ut 70. vocant Es. 9. 6. II. In Filio Dei est *nomen Dei*. Ex. 23. 21. non solum quia pater in ipso & ipse in patre dicitur esse, ita ut ipse & pater unum sint, Joh. 10. 30. 38. sed etiam quia est q. *novimen*, substantialis character & Imago patris, ut ante è Flacio est observatum: III. Quod de non exacerbando Angelo, & pœnis eo nomine infligendis dicitur, si exacerbarent, ad Christum refertur 1. Cor. 10. 9. quem in deserto tentantes & exacerbantes Israelitæ perierunt quoque in deserto: Tum etiam IV. Mandatum illud, *Audi vocem ejus*, Exod. 23. 21. cum illa patris voce *ipsum audite*, optimè congruit, filius enim tanquam λόγος & sapientia patris voluntatem ejus omni tempore nobis enarravit, Unde factum ut Chaldeus paraphrastes Messiam sæpius appellarit verbum, ubi in Hebr. nomine Jehovæ aut Elohim appellatur, ut Ex. 3. 14 *Et dixit Deus ad Mosen*, paraphr. Chald. legit, *Et dixit verbum Jehovæ ad Mosen* Exod. 13. 18. *Et circumduxit Jehova populum per viam deserti*. idem paraphr: *Et duxit verbum Jehovæ populum &c*: Idque alijs locis passim reperire est, ut non sit mirum, Deum tam severe præcepisse, ut audiatur vox illius Angeli, cujus vocem dicit esse vocem suam, *si audieris* inquit *vocem ejus, & si feceris omnia quæ loquor*. Considerari quoq; pote-

poterit V. illud, quod Angelus ille dicitur præcessisse Israelitas in *columna nubis & ignis*, quo (utut riserint Photiniani) futuræ incarnationis typum visibilem populo exhibere, & igne divinam, nube humanam naturam repræsentare voluit Christus, quod scilicet futurus esset, ut Poeta canit:

Sic lux in tenebris Christus, sic frigus in æstu,
Verus in igne Deus, tegmine nubis homo.

X V.

Tertio! *Quare nomen Angeli Christus sibi tempore V. T. imponi voluerit*, ratio in promptu est: Ita enim dicitur potissimum propter duas causas 1. *Propter habitum* sive similitudinem apparitionis Angelicæ, quod eo modo in visibili signo sese manifestare solitus sit Dei filius quomodo hominibus sese manifestare solebant Angeli, quo signo ad tempus usus est Jehova, ut in illo sese hominibus patefaceret, adeoque propter signum illud externum, sive corpus assumptum, quo etiam in apparitionibus usi sunt Angeli, filius Dei dicitur Angelus: Et illud puto Origenem intendisse, quando homil. 8. in c. 22. Genes. *Puto*, ait, *quod sicut inter nos homines habitu repertus est ut homo, & ita inter Angelos habitu repertus est ut Angelus*: Quæ verba primo intuitu hoc videntur asserere, quod filius Dei factus sit olim Angelus, sicut postea factus est homo, quem tamen sensum Origenis fuisse non crediderim, quia error nimis est crassus, neque ab Origenis censoribus Hyeronimo, Epiphanio & alijs notatus, ideoque sit mihi verosimilius, Origenem per habitum Angeli non Angelicam naturam, sed Angelicum σχῆμα, quo V. T. patribus visi sunt, indicare voluisse, ut hic sit sensus verborum Origenis, filium Dei, priusquam σχῆμα & habitum hominis vere indueret, habitu primum & Schemate Angelico h. e. in assumpto corpore, uti Angeli V. T. consuevere, visum esse. Et ita etiam è veteribus plures alij statuunt, Christum in V. T. corpore ad tempus assumto per dispensationem & sine unione hypostaticâ præludium quoddam humanitatis suo tempore assumendæ exhibere voluisse, quam sententiam sæpe Augustinus inculcat, & cumprimis l. 2. de Trinit. c. 13. l. 3. c. 10. Chrysostomus

stomus in Act. c. 7. homil. 16. Hilar. lib. 5. de Trinit. aliique *Illæ* enim *imagines* (assumpti corporis) *hujus hominis erant indices, cujus veritatem ex præcedentium patrum stirpe, sumendam significationes mysticæ nunciabant*, ut ait Leo Epist. 13. ad Pulcheriam Augustam. II. Ita dicitur *propter officium*, quod filius Dei sustinuit in V. T. Angelus enim apud Græcos, sicut & apud Hebreos מלאך *non est nomen naturæ sed officii*, ut bene Ambrosius in c. 1. Ep. ad Hebreos observavit, *Angelus* enim (creatus) *ex eo quod est, est Spiritus, ex eo quod agit est Angelus, quia Angelus Græcè, nuncius Latinè dicitur: Sicut homo nomen naturæ, miles vero nomen officij est, sic qui erant Spiritus conditi à creatore Deo, facit eos Angelos mittendo eos nunciare quod jusserit*: Sicut & in scripturis מלאך quemvis nunciũ nomine admodum communi significat, uti dictum est disp. 2. th. 11. p. 41. quomodo & Jacobus dicitur, מלאכים h. e. nuncios humanos ad Esavum misisse, Gen. 32. 3. non ut quidam Ebrei ridicule putant, aliquos ex Angelis, qui eum deduxerint: Neq; enim solent Angeli Dei ab hominibus mitti, neq; debuit ejusmodi nuncijs Jacob uti ad fratrem: Dicitur ergo Christus communi nomine appellativo מלאך, Legatus, Angelus, non ratione naturæ, quasi sit unus è spiritibus creatis, qui vulgo dicuntur Angeli, sed officij, quod in V. T. suscepit, quia fuit Dei ad homines nuncius, legatus, & divinæ voluntatis interpres: Etsi enim tum demum proprie Legatus patris per οἰκονομίαν factus fuerit, quando ex virgine carnem indutus voluntatem Dei enarravit nobis, Joh. 1. 18. & in terris visus Deiq; nomine locutus est nobiscum, Ebr. 1. 1. tamen inde ab initio ejus perpetua cura & functio fuit, Deo hominem lapsum reconciliare, Ecclesiam sibi colligere, hominemque ad salutem erudire, adeoque jam pridem propter illud officium quod gessit, & patris de salute consilium hominibus patefecit, Angelus dici voluit: *Vocatur Angelus*, ait R. Gerund. *quia mundum gubernat*: Philo, *Vocatur Angelus, eo quod quæ ventura essent denunciabat*. Theodoretus q. 88. in Genes. *Angelum nominavit, ut sciamus non esse Deum patrem, qui apparuit sed unigenitum filium, siquidem pater cujusnam Angelus*

Angelus esse posset? Filius autem tum Deus tum magni consilij est Angelus, Nam ipse nobis annunciavit mysteria patris. Augustinus l. 18. de C. D. c. 35. *Nec mirandum est*, ait, *quia omnipotentis Dei Angelus dictus est Christus Iesus, sicut enim servus propter formam servi in qua venit ad homines, sic & Angelus propter Evangelium quod nunciavit hominibus nam si græca ista ita interpretamur, & Evangelium bona nunciatio est, & Angelus nuncius est.* In quæ verba Leonhardus Coquæus commentator, *Esaiæ* c. 9. *saxt.* 6. inquit, *dictus est Magni Consilii Angelus, voluntatis enim Dei nuncius fuit, & interpres, & tradidit hominibus Dei oracula:* Itaque ex sola appellatione Angeli nil omnino poterunt vel Papicolæ vel Photiniani obtinere, quia nomen illud non naturæ est, neque per sese stat pro significando spiritu creato cõpleto, sed officii est, & legationem, missionem, functionem alterius nomine factam significat, ut ab officio, qui tali funguntur, dici consueverint nomine communi Angeli: Quod vero Schmalzius inde colligit contra Frantzium, *mirum esse eos, qui credunt Christum esse eundem Deum qui pater est, per Angelum faciei Dei ipsum intelligere, cum hoc procul dubio, aliquid longe minus denotet, & ex eo quod quis Angelus faciei Dei nominatur, apertissime concludi possit, eum nullo modo esse eundem Deum cujus faciei Angelus est, nisi forte quis sui ipsius Angelus esse possit*: admodum est jejunum, *tum* quia plus in consequenti infert, quam erat in antecedente: Angelus enim ille faciem Jehovæ est quidem *alius* à mittente, sive ab eo cujus faciei est Angelus, quia alius est mittens, alius vero qui mittitur, verum non est *aliud* à mittente, sive *alius ab illo Deus*, cum mittentis & missi sit una eademque essentia, missus vero sit solùm alia à mittente persona: *tum* quod putat longe minus denotari per Angelum faciei Jehovæ, non enim missio illa quam propter dicitur Angelus, est autoritativa & potestativa inferioris à superiore, sed οἰκονομικὴ, dispensativa & voluntaria, æqualis ab æquali, quarum illa tollit ὁμοουσίαν, hæc vero, quam filio Dei competere dicimus, non item. *Missio & obedientia non tollit æqualitatem potentiæ*, ut ait Cyrillus.

XVI.

Et hæc hactenus paulo fusius, etsi non præter rem, ad illud Pererij & Photinianorum objectum dicere voluimus, quod filius Dei in SS. nusquam dicatur Angelus, in quo præcipuum sententiæ adversantium robur est, quodq; bene discusso & explicato non parum lucis nostro proposito afferemus. Quæ insuper habet Pererius pro firmandâ sua sententia, quia nullius momenti sunt, recensere & refutare supersedemus: Vt quod ait: *Si Deus immediate apparuisset, in visionibus ac revelationibus propheticis cumprimis fuisse conveniens, immediate factam esse à Deo Dei paræ semper virgini Mariæ revelationem incarnationis filii Dei, propter summam videlicet tum revelati mysterii tum personæ cui revelabatur dignitatem: revelationem vero illam factam esse per Gabrielem &c:* Quid namq; Deo conveniens sit vel non sit, non ex suis speculationibus sed è scripturis discere debuisset Pererius, cui quia non placuit ἀνθρωποπρεπῶς sed per Angelum incarnationem revelare Mariæ, etiam ejus voluntati conveniens non fuisse dicendum est; Item quod ait, *sententiam illam esse Dyonisii jampridem receptam & probatam à Scholasticis Theologis, atq; sic videri probandam esse omnibus:* Nos enim isti ψευδο-Dionysio & ψευδο-Theologis Scholasticis, Patres & Theologos magis genuinos & Orthodoxos opponere possemus, si videndum hic esset, non quid dicatur sed quis dicat, & autoritatibus nostra concertatio staret, caderetque, Item quod Enjedinus ait: *Nulli Angelorum dixisse patrem, Filius meus es tu, adeoque filium non esse Angelum:* De Angelis enim creatis hæc intelligit scriptura, nulli sc. Angelorum, h. e. Spirituum creatorum qui vulgo dicuntur Angeli, patrem dixisse, Filius meus es tu, quo tamen non obstante filius Dei vocatur Angelus non naturæ ratione, sed singularis officii, quia legatus fuit patris, & mediator Ecclesiæ: Item quod ait: *Deum variis modis olim locutum fuisse patribus per Prophetas, novissimis vero diebus locutum esse per filium*, Hebr. 1. 1. & sic Deum non olim in V. T. sed tantum in novo sese per filium patefeciisse, Sensus enim dicti illius non est absolutus

ab solutus, quasi nuspiam in V. T. immediate & αὐτοπρεπῶς φάνως, patribus apparuerit, & ad eos locutus sit, id enim falsum esse è dictis patescit, sed πυκνότικῶς & comparativus, quod in V. T. communiter & utplurimum per Prophetas multifariam sese revelarit, quod in visionibus apparuerit, per somnia locutus sit, Num. 12. 6. & non eo modo per filium sese revelarit, Ecclesiamq; propagarit, uti factum novissimis diebus in Nov. Testamento, ubi filius non jam in assumpto corpore οἰκονομικῶς sibi ad tempus unito apparere, sed carnem ὑποστατικῶς assumere, & in ea sibi personaliter unita manifestatus, 1. Tim. 3. 16 nobis Dei voluntatem propalare debuit. Hæc inquam & similia prolixe recensere & refutare supersedeo, quia præterquam quod levioris sunt armaturæ, reverti tandem cogor è diverticulo ad propositum, & ad luctatorem sive Antagonistam Jacobi, unde paulum digressus eram.

XVII.

IV. Omnium rectissimè illi statuunt, qui dicunt Angelum illum luctatorem fuisse Jehovam & Dei filium, qui ὁμογενὴς θεὸς ἐπιφάνη τῷ ἀνθρώπῳ τῷ Ιακωβ, ut Theodoretus ait. Et hæc sententia, si autoritatibus standum sit, à plurimis veterum Patrum communiter asseritur: Clemens Romanus l. 5. Constit. c. 21. *Hunc* (Dei filium) *vidit Jacob ut hominem, & dixit, vidi Deum facie ad faciem, & salvata est anima mea.* Clemens Alexandrinus l. 1. pædag. c. 7. p. 82. *Cum eo* (Jacobo) *sanctus Dominus Iesus colluctari quoq; dicitur, Remansit autem Iacob solus & luctabatur cum eo homo, nempe pædagogus usq; ad matutinum: Hic erat homo qui agebat & ferebat, qui una exercebatur & adversus malignum palæstritem Iacobum inungebat, quod autem verbum esset, qui erat una cum Iacob aliptes & inunctor, & pædagogus humanæ naturæ ex hoc sciri potest, interrogavit, inquit, ipsum & dixit ei, Enuncia mihi quod sit nomen tuũ & dixit, Qui interrogas nomen meum? novum enim nomen novo populo reservabat, nempe infanti, adhuc autem erat innominatus Deus Dominus, & qui nondum homo factus fuerat.* Hæc & alia ibi Clemens. Tertullianus, vel Novatianus potius, l. de Trinit. c. 27. p. 645. *Non*

cessat scriptura Angelum illum (Jacobi Antagonisten) Deum dicere, Deum Angelum pronunciare. Nam cum Manassen atq; Ephrem filios Ioseph benedicturus esset, hic ipse Iacob transversis super capita puerorum manibus collocatis, Deus inquit, qui pascit me &c. usq; adeo eundem Angelum ponit, quem Deum dixerat. Vide Tertullianum quoq; l. 2 & 3. adv. Marc. l. contra Praxeam c. 16. & Justinum in Dialogo contra Tryphonē prolixe. Athanasius orat 4 contra Arianos p. 259. Is (quem in terpellabat Jacob non dimittam te, inquiens, nisi benedixeris mihi) erat Deus, ut verba Iacobi clare testantur, vidi Deum à facie ad faciē. Cyrillus l. 9. contra Julian fol. 206. Quod autem homo luctans contra Iacob sit unigenitus Dei λόγος, quo modo futurus esset suo tempore in specie nostra, præmonstrans sanctis patribus ex his quæ Moses scripsit, admodum facile consideraverit quispiam &c. l. 3. Thes. col. 53. Hunc (Angelum) fuisse Deum in specie humana divina scriptura testatur ex voce ipsius patriarchæ: Hilarius l. 5. de Trinit. putat Jacobum ex luctu cognovisse eum qui luctabatur fuisse Dei filium, eumque pro nostra salute aliquando hominem per passionem mortemq; humilatum & infirmatum iri: Tenes, ait inter alia, in luctu tua hominem infirmum, sed hic tibi homo Deus verus est, non ex nuncupatione sed ex naturâ, non enim adoptivus benedictionibus benedici te postulas Patriarcha sed veris, cum homine luctaris, sed Deum facie ad faciem te vidisse testaris, non hoc oculis tui corporis cernas sed visu fidei tuæ sentis. Infirmus secundum te homo est, sed animæ tuæ secundum visum Deum salvatrix est, Iacob in luctu es, post fidem postulatæ benedictionis Israel es, subditur tibi secundum carnem homo, ad mysterium passionis in carne, Deum in carnis infirmitate non nescis, ad sacramentum benedictionis in spiritu. Nec aspectus impedit quin fides maneat, nec infirmitas avocat, quin benedictio postuletur, nec homo efficit, quin, qui homo est, Deus sit, Nec qui Deus est, non Deus verus est, quia non potest non Deus verus esse qui Deus est, & ita benedixit. Theodoret 9 q. 91. in Genesin prolixe probat fuisse qui hic apparuit, Dei filiū, tandē, per hæc, ait, omnia docemur, quod etiam hoc loco unigenitus Dei filius idemq; verus Deus apparuit ipsi Iacobo: Leo Epist. 13 ad Pulcher. Quomodo (Omnipotentia filii Dei) patriarchis & Prophetis in specie carnis apparuit

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958736/phys_0248
DFG

paruit, cum aut luctamen iniit aut sermonem conseruit &c. Eusebius l. 1. Histor. Eccl. c. 2. *Eundem (Dei filium) in hominis figura rursus Iacob comparentem eumq; sic compellantem, non amplius vocabitur nomen tuum Iacob &c. divina scriptura Deum nominat. Quo quidem tempore Iacob etiam vocavit nomen loci illius visionem Dei. Quin etiam,* ait, *ne suspicari quidem fas est, visiones illas Deum repræsentantes, quæ sunt sacris literis proditæ, Angelis voluntati Dei inservientibus, ejusq; sedulo obeuntibus ministeria attribuendas esse, quandoquidem cum quisquam ex istorum numero hominibus visus sit, non occultat sane scriptura, sed nominatim Angelum, non Deum, neq; Dominum hominibus locutum esse asseverat.* Sic etiam Sirmiensis Concilij Patres etsi vetuerint Christum Patri æterno dici ὁμούσιον, textus tamen evidentia adacti statuerunt non Angelum creatum, sed Dei filium cum Jacobo luctatum fuisse, atque ita ante nativitatem ex Maria, imo & ante mundi creationem fuisse ex patre genitum, Deum de Deo, lumen de lumine, per quem omnia facta sint, &c. *εἴτις τῷ Ιακὼβ, μὴ τὸν υἱὸν ὡς ἄνθρωπον πεπαλαικέναι ἀλλὰ τὸν ἀγέννητον θεὸν ἢ μέρος αὐτοῦ λέγοι, ἀνάθεμα ἔστω. Si quis,* inquiunt, *cum Iacob non filium tanquam hominem luctatum esse, sed Deum ingenitum aut partem ipsius affirmarit, anathema esto,* uti est apud Socratem l. 2. Hist. Eccl. c. 25. p. 582. E. Pontificiis hujus sententiæ assertor Vatablus in h. l. *Cognovit Iacob,* inquit, *athletam, quo cum pugnaverat Deum esse, quia benedictionem ab eo petit, quam ab homine mortali simpliciter petere non licebat,* &c Fernandius vero V. S. p. 180. de sententia Theodoreti dicit, illum *rem ipsam totam assequutum esse.* Et hæc sententia, quam diximus tot patrum calculis & testimoniis probati, firmis quoque rationibus asseritur.

XVIII.

Prima ratio sumitur *A denominatione* Luctator enim ille, contra quem pugnavit Jacob, dicitur אלהים, *princeps fuisti* עם־אלהים *cum Deo,* sive ut 70. μετὰ τοῦ θεοῦ, vulgata recte, *Contra Deũ,* Gen. 32. 28. Sic Jac. post luctã, *vid.* אלהים, *à facie ad faciem &, evasit anima mea,* v. 30. Oseas, c. 12. 3. *fortitudine*

Jud prævaluit אֶת־אֱלֹהִים, *contra Deum*, ἰσχυσεν πρὸς θεὸν, Fuit ergo אֱלֹהִים & Deus, quo cum luctatus est Jacob, idque etiam indicat nomen loco inditum ab apparitione פְּנִיאֵל, quod faciem sive aspectum Dei significat, tum etiam nomen יִשְׂרָאֵל, quod ipsi inditum est ab eventu luctæ, quia princeps fuit contra Deum, Gen. 32. 28. & prævaluit ipsi, Os. 12. 3. Mirum est, hujus nominis Israel tam litigiosam fuisse apud veteres Etymologiam: Josepho idem est Israel ac *Angelo reluctans*: *Jussit illum*, ait, *post id tempora vocari Israelem, quod Hebræus Angelo reluctantem significat. Quod tamen ego* ait Hyeron. in tradit. Hebraicis super h. l. *diligenter excutiens in Hebræo penitus invenire non potui*; Pererius quidem in Genes. 32. numer. 46. & Ribera in cap. 12. Oseæ numer. 7. pro Josepho stant contra Hyeronymum, At vero verbum ἀνθισχυσατο, quo Josephus utitur, resistentiam significat, non victoriam, quam vox Ebrea significat, sicut & אל in Israel, non Angelum sed Deum notat. Fuere item alij, qui Israel interpretati sunt *rectus Dei*, quæ notatio etiam aliquando Hieronymo non displicuit: *Israel*, inquit, *juxta Ebræos & literarum fidem interpretatur rectus Dei*: in Comment. super Es. 44. c. Alibi. *Israel*, ait, *interpretatur, ut ego melius puto, rectissimus Dei* in c. 1. Malach. Verum fallunt qui sic statuunt, Israel enim punctum habet in sinistro cornu, & scribitur cum שׂ leni, יִשְׂרָאֵל autem punctum habet in dextro cornu, & scribitur cum שׁ aspero. Sunt alij, iique gravissimi autores, qui Israel sic explicant, quod sit *vir* sive *mens videns Deum*, aut simpliciter *videns Deum*, ut Philo l. de profug. in fine l. quis rerum divinarum hæres, Origen. περὶ ἀρχῶν l. 4. c 4. homil. 2 in l. Numeror. prologo in Cant. Basil. super c. 1. Esaiæ, Nazianz. orat. 2. de Theol. Chrysost homil. 58. in Genes. & 14. in Johann. August. l. 16. de C. D. c. 39. Euseb. l. 5. demonstr. c. 11. Hyeron. quoque in c. 31. Es. In Amos c. 4 in Os. c. 8. in Ioel. c. ult in Mich. c. 5. in Nahum c. 2. & alibi, ut recte dicat alicubi Hyeron. in tradit. Ebr. *grandis auctoritatis & eloquentiæ viros esse, quorum umbra nos opprimat, qui Israel ita transtulerint*, neque illam improbat in suo Pharo ad h. l. Martin

tinus DELRIO Jesuita. Verum non tam vere, quam violenter ita nomen illud cum Hyeron. mihi interpretatum videtur, quia in voce Ebrea ישראל nihil est, quod mentem aut virum significare possit, neq; ut DELRIO putat, ex איש per elisionem fieri potuit יש, quia איש scribitur per ש, ישראל vero per שׁ. adeoque vox Ebrea plane non potest in illas voces resolvi, (ut putant autores isti) יָשׁ רָאָה אֵל vel איש רואה אל: Quod autem non possit significare *videns Deum*, litera שׁ evincit, quæ hic addititia esse non potest. Rectissime ergo illi, qui composita esse statuunt hanc vocem ex אל & שרה, quod significat principem esse, dominari, prævalere, cujus derivationis ratio est in textu. שרית עם אלהים *prævaluisti contra Deum*, sive ut vulgatus, *Contra Deum fortis fuisti*, & in eo etiam vetustæ versiones conveniunt: 70. & Theodot. ὅτι ἐνίσχυσας μετὰ θεοῦ, Aquila ὅτι ἤρξας μετὰ θεοῦ, Symmachus, ὅτι ἤρξω ἰσχυρὸς πρὸς θεόν. Is itaq; Angelus, quo cum luctatus est Jacob dicitur אל & אלהים, adeoq; fuit Jehovah & verus Deus. *Quoties* enim *in SS fit mentio Angeli, cui nomen Dei in recto & immediatè tribuitur, intelligitur Dei filius*, quam regulam supra firmatam dedimus, de qua etiam vide Basil. contra Eunom. l. 2. tom. 1. oper. p. 128.

XIX.

Secunda ratio sumitur *à Jacobi confessione*, qui, *vidi*, inquit *Deum facie ad faciem*, sive ut est in Hebreo, כִּי־ רָאִיתִי אֱלֹהִים פָּנִים אֶל־ פָּנִים; & apud Septuaginta, εἶδον γὰρ τὸν θεὸν πρόσωπον πρὸς πρόσωπον: Significat autem in SS. videre faciem Dei, vel (1.) clare & intuitivè Deum videre, ejusq; gloriam intuitive & perfecte cognoscere, prout ejus creatura rationalis capax esse potest, qua ratione Moses non poterat videre faciem Dei: *Faciem meam videre non poteris*: ait Deus ad Mosen, *non enim videbit me homo & vivet*, Exod. 33. 20. petebat enim Moses ut videre sibi daretur gloriam Domini, adeoque

talem petere videbatur gloriæ manifestationem & visionem, quæ clara, perfecta, intuitiva esset, cuiq; nihil addi posset, ac talis visionis neque Mose, neque quisquam hominum in hac vita capax esse potest: ideoque videbat solum *posteriora Dei*, h. e. aliqualem Divinæ gloriæ & imperfectam imaginem, qualis ab homine in hac vita videri potest, & qualis eorum est qui hominem non de facie sed ex dorso vident. *Videmus* enim *hic per speculum in ænigmate tunc autem facie ad faciem*, h. e. clare, intuitivè, perfecte, 1. Cor. 13. 12. vel (2.) videre faciem Dei, significat Deum in externo præsentiæ specialis signo κατὰ πρόσωπον videre, Phrasis enim Hebreis peculiaris est, in SS. & frequens, videre aliquem facie ad faciem, pro videre præsentem, clare & distincte, non per obscuras Imagines, & similitudines, sicut & loqui cum aliquo facie ad faciem, est præsentis vocem & verba distincte & expresse audire, loqui os ad os, cum aliquo, στόμα πρὸς στόμα, & præsenter præsenti, & opponitur ei, quod est loqui per interpretem, vel per literas aut nuncium, vel etiam loqui eminus & ex loco remoto; Ita Deus dicitur locutus Hebreis *facie ad faciem* in monte Sinai, Deuter. 5. 4. cujus etsi similitudinem corpoream viderent, Deut. 4. 12. 15. verba tamen ejus tanquam immediate præsentis & *seipso non per internuncium* loquentis, clare & distincte audiverunt: prorsus eodem sensu ut Num. 12. 8. Mosi dicitur locutus Dominus, *ore ad os*, *palam & non per ænigmata*: Ita & videre Deum facie ad faciem est Deum ἀπροσωπῶς & immediate, (non vero per legatum aut nuncium mediate) in specie corporea præsentem intueri, sicut qui dicitur Petrum vidisse facie ad faciem, etsi substantiam Petri immediate non videat, individuum tamen illud κατὰ πρόσωπον accidentibus personalibus vestitum videt: Et qui negotiatur cum aliquo facie ad faciem, ore ad os, non cum eo per literas, aut per nuncios, aut per legatos, sed immediate cum præsenti agere dicitur: Qui itaque fatetur sese vidisse DEum πρόσωπον πρὸς πρόσωπον, facie ad faciem, ille Deum ἀπροσωπῶς in forma corporea sibi præsentem vidit. Nullo

lo enim modo dicere potuisset sese vidisse Deum facie ad faciem, si vidisset non Deum sed Angelum, neque Angelum, sed Angeli speciem corpoream, qui non quidem in specie illa corporeâ, sed in sese & ratione officii Deum repræsentare ejusque personam gerere dicendus esset. At vero Iacob fatetur, dicitque sese vidisse Deum facie ad faciem. Ergo.

XX.

Tertia ratio sumitur à *Benedictione* collata Jacobo ab hoc Angelo: Sentiens enim Iacob sive ex interiori inspiratione, sive ex semotis tactu, sibi cum Angelo vel potius cum Deo luctam fuisse, cum fletu & lacrymis ab eo benedictionem postulavit: *Non dimittam te*, ait, *nisi benedixeris mihi*! Et impetravit etiam: Nam Angelus *benedixit ei in eodem loco*, v. 26. 29. Josephus ἐθνικῶς de fato Jacobi interpretatur, *Cum sensisset*, ait, *Angelum esse Dei, precatus est, ut ex eo fatum suum cognoscere liceret*, περὶ μοίρας ἔξει: Ubi Josephus falsam affingit Jacobo petitionem: Non enim tam fatum & futurorum cognitionem, quam benedictionem, & ereptionem ab omnibus malis precatus est Iacob. Hebræi de Angelo Esavi intelligunt, quod illum dimittere nolens Iacobus dixerit: *Non dimittam nisi benedixeris*, h. e. *benedictionem patris mihi confirmaveris*; Alii benedictionem de securitate explicant: q. sit sensus: *Non dimittam te nisi mihi benedixeris h. e. caveris de securitate quod nolis me gravius lædere.* Augustinus l. 16 de C. D. c. 39. de nominis impositione exponit: *Hujus nominis* (Israel) *impositio*, ait, *benedictio fuit*, quem etiam sequitur in h. l. Abulensis: Et sane ita textus innuit, facta enim nominis novi impositione & confortatione dicitur Iacobo benedixisse, v. 28. 29. Fuit autem hæc benedictio sicut & nominis impositio, non verbalis solum neque votiva, quomodo homo homini benedicit & bona precatur, neque prophetica, quomodo patriarchæ leguntur suis liberis benedixisse, & posteriorum prosperitatem divino instinctu prænunciasse, sed divina, autoritativa, & realis, quâ nomen non solum mutavit Iacobo, & principem Dei vocavit, sed etiam eo ipso timorem excussit, confortavit

tavit, validum certumqne feci Iacobum, quod uti contra Deum ita etiam contra homines & inimicos sit prævaliturus, v. 28. certioremq; fecit, quod non è fratris potentia solum incolumis sit evasurus, sed etiam quod benedictiones Abrahæ & Isaaco factæ in ipso habituræ sint complementum, easque hac benedictione reipsa contulit & confirmavit: *Non hominum more nomen imponit, sed rem ipsam simul confert, ut certo respondeat eventus*, ut ait h. l. Vatablus. Qui ergo Iacobo autoritativè & realiter benedictionem contulit, ille fuit verus Deus, idque puto esse εὔδηλον, benedictio namq; illa ereptionem ab omni malo, victoriam Iacobi & posterorum contra omnes hostes, & seminis multiplicationem complectitur, quæ autoritative & ἐξοχικῶς conferre non est nisi Dei. At vero, Angelus, qui cum Iacobo luctatus est, Iacobo etiam *autoritative* benedictionem contulit, Nam benedictio ministerialis, votiva, & tantum verbalis hic locum non habet, uti cum Deo ostendam ad locum Genes. 48. 16. Angelus ergo, qui cum Iacobo luctatus est, fuit verus Deus: *Non potest non Deus verus esse, qui Deus est, & ita benedixit*, ait Hilar. ad h. l. l. 5. de Trinit. Eadem quoque ad h. l. ratio est Theodoreti.

XXI.

Quid vero hic Pererius? *levis est* inquit, *ista ratio, benedicere enim non tantum Dei est sed & Angeli & hominis diverso tamen modo. Idem certe Iacob infra c. 48. benedicens filiis Ioseph precatus est illis primum benedictionem Dei tum etiam Angeli: Nec solum ab Angelo benedictio optari & peti potest, sed etiam gratia & pax non tanquam ab autore & largitore ejus, sed tanquam â gratissimo apud Deum deprecatore & procuratore & administro.* Verum attende Pereri! non levis est nostra ratio, nam 1. falso asseritur, Angelos esse invocandos & sollicitandos tanquam deprecatores, procuratores & administros, Illa enim invocatio nō solum est ἄγραφος, sine scriptura, sine mandato, promisso, exemplo, adeoque frustra fit, sed etiam est ἀντίγραφος, contra scripturam, mandatum & promissa Dei, adeoq; non recte fit, uti super: disput. est prolixius osten-

ostensum. II. Neque Jacob h.l. ab hoc Angelo petiit benedictionem tanquam à deprecatore & administro, sed tanquam ab autore, idq; etiam juxta adversantium hypothesin, quia Angelus ille *repræsentative, & autoritative*, ut ait Pererius, *erat Deus*, & in illa repræsentatione huic Angelo, sicut & alibi alijs factum est (ut ad hominem loquar) potuerunt erigi altaria, & offerri preces & sacrificia, non tanquam deprecatori, sed tanquam autori, sive ut Perer. loquitur, Deo autoritativo & repræsentativo, adeoq; benedictionem petiit ab illo Iacob non tanquam à deprecatore sed tanquam ab autore. Locum Gen. 48. 16. infra videbo, ubi de hac benedictione erit dicendi occasio uberior. Sed hæc hactenus de viro Luctatore: sequitur.

XXII.

III. De MODO & FORMA, qualis hæc luctæ fuerit.

Modum certaminis exprimit Mose v. 24. וַיֵּאָבֵק אִישׁ עִמּוֹ עַד עֲלוֹת הַשָּׁחַר Sept: Καὶ ἐπάλαιεν ἄνθρωπος μετ' αὐτοῦ ἕως πρωΐ: *Et luctatus est vir cum eo usq; dum ascenderet aurora*: Verbum Hebreum אבק in Niphal est *luctari*, & ut ait Mercerus, *idem valet cum eo, quod Latini dicunt in arenam, seu, more Hebraico, in pulverem descendere*; & derivatur à nomine אָבָק quod pulverem significat vento aut strepitu pugnantium excitatum, & ideo ad aromatica contusa transfertur, vide Deut. 28. 24. Esaiæ 5. 24. Exod. 9. 9. Nah. 1. 3. Ezech. 26. 10. Cantic. 3. 6. Et inde à *pulvere* derivatum putant verbum Hebreum, sive, quod veteres post adhibitam unctionem arenâ sese & pulvere aspergerent, ut facilius & firmius invicem prehensos tenerent, sive, quod luctantes crebro pedum pulsu & motitatione vehementi pulverem excitarent, sicut apud Virgil. taurus ille, *pedibus qui spargit arenam*, sive, quod, sicut pulverem ventus contorquens dispellit & evertit, ita luctantes iuvicem & contorquentes sese evertere conentur: Alij derivatum putant hoc verbum à חבק, amplexus est, literarum gutturalium vicissitudinariâ permutatione: Oleaster apud Pererium

rium contendit nomen אבק in scripturis significare potius exhalationem sive nebulam tenuem quam pulverem, & ipsum verbum significare primo & proprie idem quod exhalare, & flatum emittere, consequenter etiam luctari, ab eventu sc. luctæ quod qui luctantur propter multum laborem corporis & anxietatem animi frequenter multumq; anhelent & flatū exhalent. Sept. vertunt per πιλάω, fortassis q. πάλλω vibro, quatio, agito, quia ἐν πάλῃ corpus πάλλεται, quatitur & agitatur. Aquila & Symmachus vertunt per κυλίομαι, volvor, devolvor, versor in omnem partem, quod luctantium proprium, sive, quod athletæ isti & luctatores in pulvere sese volutabant ne tactus lubricus esset. Sicut de Patrobio Neronis principis liberto Plinius refert, l. 13. c. 3. quod *tanto palæstræ studio arserit, ut arenam à Nilo usq; sibi in theatrum, qua aspergeretur, afferri jusserit* Suetonius refert in Nerone, *cum publicâ fame urbs vehementer afflictaretur, Alexandrinam navem Niloticam arenam luctatoribus aulicis advexisse, cum omnes eam tanquam frumento onustam avidissimè expectarent.* Cæterum omnes in eo consentiunt, luctam fuisse, quæ hic describitur, qualis vero lucta fuerit, vera an imaginaria, seria an ludicra, corporalis an spiritualis, apud autores ambigitur: Nos asserimus hanc colluctationem fuisse I. Veram non imaginariam sive phantasticam: II. Seriam non ludicram III. Non corporalem tantum neq; spiritualem tantum, sed corporalem & spiritualem simul. IV. Attamen symbolicam & repræsentativam.

XXIII.

I. *Lucta fuit vera non imaginaria:* R. Mose Ægyptius p. 370. p. 2. c. 42 luctam hanc dicit in visione prophetiæ contigisse ex R. Chijah, *Idem dicit R. Chijah,* inquit, *de eo quod in historia Jacobi legimus, Et luctatus est vir cum ipso, quod fuit in visione prophetiæ factum fuerit.* Theodoretus quoq; quæst. 91. in Genes. putat fuisse luctam imaginariam & contigisse in somnis, subdit enim in expositione: *Cum vero expergefactus esset, femur remansit stupidum, claudicabat, ne putaret id, quod videret esse imaginationem nudam, sed exactius*

ctius nosset mysterii veritatem cujus quoq; vestigia in h. l. Cajetanus legit. Thomas Anglicus putat non fuisse veram luctam sed vehementem & violentam q. petitionem, quâ Iacob Angeli aspectum colloquium & benedictionem, vehementus petierit: *Non puto* ait in h. l. quod *Iacob eo modo luctaretur cum Angelo, quo solent communiter luctantes, sed potius, quod Angelus sive Deus in specie hominis apparens precibus & attractivis manibus atq; amplexibus, tenebatur à Iacob: Cumq; ille fingeret se omnino velle discedere, tunc eum vehementius & firmius Iacob retinebat, & ad se retrahebat, quasi nitens ipsum apud se retinere, quousq; preces, quas pro conservatione sui & suorum liberatione à manibus Esau ipsi offerrebat, exaudiret.* Ita & Nicolaus de Lyra ad h. l. *Orãte Iacob solo in ripâ fluminis & nimis timente propter prædicta, & minus debite de Deo confidente apparuit ei Angelus, qui fuerat ei protector in via, & finxit quod vellet eum dimittere propter parvitatem suæ confidentiæ &c. Iacob autem instantiâ orationis fervidè rogabat eum, ne à se recederet, sed ad ejus protectionem secundum suum promissum maneret, & in hoc fuit lucta spiritualis, & post cum videret Angelum q. volentem recedere, ex familiaritate recepit eum manibus q ad retinendum, quod frequenter cum eo loquebatur &c. & sic fuit lucta corporalis:* Verum fuisse luctam verè & propriè dictam evincit emphasis verbi יאבק, quod proprie est luctari, pulvere in lucta concitato conspergi, à cujus evidentia non est temere recedendum. Hetus quoque & preces Jacobi Os. 12. 3. indicant imaginariam non fuisse: *Sicut enim Iacob recitavit* ait in h. l. Lutherus, *ita Moses scripsit historiam, nimirum subito aggressus est & invasit me vir, Hæc fuit species sive apparentia, Non autem disputat, quis fuerit vir ille quia nescit &c: Et illa invasio non fuit alia ac si invaderet & aggrederetur eum magnus & robustus vir, quis vero esset nescivit: Et ipse Iacob fuit etiam justo robore & viribus integris, quales solent esse in corpore sano & valido, cum igitur absque gladio & armis dimicaretur, fortiter reluctatus est.*

XXIV.

II. *Lucta fuit seria non ludicra:* Ludicram facere videtur Tostatus, qui ait *Angelum facile Iacobum superare potuisse sed noluisse, imo*

vero si nulasse se superare eum non posse: *Angelus* ait in h. l. *fingebat se non posse superare Iacob, qui tamen facile potuisset eum vel brevissimo tempore redigere in pulverem, veruntamen talem se ostendebat Angelus quo magis animus & audacia crescceret Iacob, tanquam potenti resistere Angelo Dei*, Et ita videtur etiam statuendum esse, quia v. 25. dicitur, luctatorem vidisse, *quod Iacobum prævalere non potuerit*, quod videtur excusari non posse, nisi statuas luctam fuisse ludicram & simulatoriam saltem ab altera parte: Si enim res serio fuisset acta, facile luctator prævaluisset, sive Deus fuerit sive Angelus: Deo enim nihil impossibile: Angelus quoque in pulverē nō difficulter Jacobū redigere potuisset, & satis ostendit luctator, quid posset, si potentia suâ utendum censeret, quia solo tactu femor Jacobi ita luxare potuit, ut claudicaret: Dicendum tamen est luctam fuisse non ludicram sed seriam à parte Jacobi, tum etiam suo modo à parte ipsius Dei: Jacobum serio colluctatum esse non est dubium, quia *luctatus est* cum viro illo *donec ascenderet aurora* v. 24. & sic lucta de nocte, forte mediâ, fuit inchoata, & ad auroram usque perduravit, proinde longa fuit & constans, in qua quantum potuit vires suas exercuit, ne in hoc certamine succumberet. Et quam serio rem egerit, Jacobo splendidum illud nomen Israël ab Angelo inditum satis significat, quod nisi pugna fuisset seria & vehemens inane fuisset &, nihili, frustra etiam laudaretur Jacob, quod contra Deum prævaluisset, Gen. 32. 28. Os. 12. 4. si simulatorie pugna transacta fuisset. A parte Dei verum quidem, potuisse Deum omnipotentissimum, cui nihil est impossibile, ὅτι ἐπῆ ὀφθαλμοῦ Jacobum non prosternere solum sed & in nihilum redigere, adeoq; hac ratione dicendum est, luctam seriam non fuisse, quatenus Deus Jacobo ejusque infirmitati condescendit, & vires in corpore assumto ita moderari voluit, imo etiam Jacobo vires addidit, ut posset prævalere, qui alias prævalere non potuisset: Deus enim *in corpore assumpto non exercuit majores vires, quam posset aut sole at vir exercere*, ut ait h. l. Lutherus, vel potius corpus assumsit in tanta mensura virium quod non posset secundum eam luctando superare vires Jacob, ut ait Cajetanus, adeoq; Jacobo majorem virtutem tribuit resistendi, quam

cor-

corpori quod movebat & pro arbitrio moderabatur, ad superandum, & more parentis ad filij conditionem se accõmodantis per oeconomiam aliquam sese hic quoque dejecit & Jacobo condescendit, ut posset in sua fortitudine prævalere, quam tamen non originaliter habebat à se, sed solum possessivè in se, & communicative à Deo: Non tamen ideo dicendum, luctam fuisse ludicram & simulatoriam etiam à parte Dei, quia etsi Deus eundem more humano & ea voluntate adoriretur, qua decreverat ei vires ad prævalendum concedere, corpus tamen assumptum ita movit & agitavit, ut vere aliquam virtutem licet in certa mensura per illud exereret, quæ Jacobo non exiguum fecit negotium eumque tandem luxato femorè claudicare coegit: Duas enim in hac lucta personas gessit Deus: Unam Agonothetæ & auxiliatoris, quâ vires sufficientes Jacobo suppeditavit ad prævalendum: Alteram Antagonistæ & luctatoris, quâ in corpore assumpto Jacobum hostili specie aggressus valide & fortiter exercuit, & *versimile est*, ait Lutherus, *virum illum tale quiddam addidisse: Moriendum tibi est Iacob, non enim tu is es, cui dedit aut datam promissionem servare velit Deus: Haud dubiè*, ait paulo post, *vir Ille terribili voce sonuit. Pereũdum tibi erit*, Jacob du must herhalten / *Ad hæc Iacob*: Nein daß wolt GOTT nicht/: *Non peribo*: Ja vnd nein ist da auffs aller scherffst/ vnd hefftigst auffeinander gangen: Unde constat, qua ratione lucta hæc fuerit seria, & quomodo dicatur *Deus non potuisse prævalere*, factum enim illud tum 1. *ratione decreti* & κατ' ἐν, quia decreverat Deus Iacobo vires addere ad vincendum, tum 2. *ratione instrumenti*, quia corpus in tanta virium mensura movit, quæ non posset superare Iacobum, tum (3.) quod Augustinus addit, *ratione flagrantissimæ fidei*, ob quam Deus propter promissionem non potuit, id est, noluit Iacobum superare: Quæ enim divinæ voluntati repugnant, & Deus quandoque non posse dicitur.

XXV.

III. Lucta Iacobi cum Angelo fuit *Interna & externa*, corporalis & spiritualis. Origenes & Hyeronimus locis supra cit. *colluctationem illam spiritualem fuisse putant*

tant, quæ facta sit per spem & fiduciam contra Satanæ tentationes, qualem luctam describit Paulus Ephes. 6. c. v. 12. *Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem* &c: At vero ut notat Sixtus Senensis Bibl. S. libr. 5. annot. 111. Theodorus Heracleæ Episcopus asserit, *Jacobum veræ & corporeæ luctationis complexu dimicasse adversus Angelum,* quem plerique Interpp. sequuntur: sane quod lucta fuerit corporalis textus circumstantiæ demonstrant, peracta enim est vigilante Jacob, & sensibus exterioribus utente, & continuata est per noctem ad auroram usque, quâ veniente antagonista dimissionem petiit, tum etiam, qui luctatur cum eo, vir dicitur propter virilem figuram, quem post etiam gloriatur sese vidisse à facie ad faciem, & evasisse, quod indicio est, Jacobum hæc omnia quæ hic recitantur vidisse & expertum esse modo corporali: Insuper ex lucta illa factus est claudus in femore, quæ claudicatio uti fuit vera & corporalis, ita etiam de colluctatione similiter statuendum est, Neque est ratio, quæ hic à litera discedere jubeat, in qua, quæ dicuntur, corporalem luctam fuisse satis superq; demonstrant. Non tamen ideo negandum est luctã fuisse spirituale, quia non tam corpore quã mente, non tam corporis quam fidei brachiis Iacob luctatus est, & cum videret sese in transgressu Iabok à viro ignoto tam valide impugnari, impugnata quoq; est & tentata fides ejus, etsi non expugnata: *Magis* (in hac lucta) *laboravit fides quam brachia urgendo & repetendo: Non non moriar &c. Deus iussit vocavit misit me ut redirem in terram patriam, non credam nec adsentiar tibi: Etsi Deus me occiderit, occidat sane tamen vivam: Ad hunc modum aliis atq; aliis verbis usi sunt quibus istis horis, Et fuerunt haud dubie sermones acerrimi & vehementissimi,* ut h. l. B. Lutherus autumat.

XXVI.

IV. *Lucta Jacobi cum Angelo fuit symbolica & repræsentativa:* Deus enim illam ita administravit & direxit, ut ea significare & figurare posset, quod in Iacobi & suorum salutem intendebat. Variæ hujus luctæ passim quæsitæ sunt significationes, quas omnes

mnes percensere non est operæ pretium: Iosephus dicit fuisse luctam *magnæ felicitatis præsagium, Genus namq; ejus nullo tempore defuturum, neq; ullis viribus hominum oppressum iri*, quia hic Angelo prævaluisset: Verum falsum esse & commentitium illud oraculum multis pene seculis Israelitæ senserunt, hodieq; sentiunt, dum hominum viribus sese oppressos esse vident. Nisi forte cum Gelenio in bonum sensum trahas verba Josephi, dicasq; non hominum sed Dei viribus oppressos Israelitas, ut *qui vendidit illos*, Deut 32. 30. Augustinus l. 16. de C. D. c. 39. aliam significationem quærit: *Jacob*, inquit, *nomen accepit ab Angelo qui fuit cum eo in itinere de Mesopotamia redeunte luctatus, quæ res typum Christi evidentissimum gerit: Nam quod ei prævaluit Jacob utiq; volenti ut mysterium figuraret significat passionem Christi ubi visi sunt ei prævalere Judæi*, Et eandem significationem habet q. 104. in Genes. in Ps. 44 & serm. 80. de Tempore. At, quod cum venia tanti Doctoris dixerim, non dicitur illud ad rem, quia victoria Iacobi non in vitio sed in laude ponitur, quod fieri facile non posset, si vitium illud & scelus Iudæorum figuraret: Gregorius magis videtur concinne rem exprimere: *Cum ad virtutem mens Dei astringitur, à propria fortitudine caro laxatur, Hinc Iacob qui Angelum tenuit uno mox pede claudicavit, quia qui vero Dei amore sublimia resipit, is jam in hoc mundo duplicibus incedere desiderio nescit, uno enim pede innititur, qui solo Dei amore roboratur, cui necesse est ut alter pes marcescat, quia mentis virtute crescente necesse est ut carnis fortitudo torpescat.* Hæc ille, quæ tamen ad luctam *cum Deo* nihil faciunt, cum quo & Thomas Anglicus qui, *factum est*, inquit, *id in figuram & mysterium, nimirum carnalis concupiscentia hominis, quæ viget in femore, si divina virtute tangatur, protinus torpescit & languescit.* Burgensis in addit: ita explicat: *Dicunt Hebræi* ait, *quod ratio hujus luctæ & claudicationis est figuralis tantum, in hoc enim figurabatur, quod licet Iacob haberet primogenituram & dominium super Esav ex ordinatione divina, ut supra c. 27. tamen in posterum aliquando aliqui descendentes de Iacob, qui dicuntur egredi de femore ejus essent læsi ab ipso Esav, unde in prædicto cap. dicitur, Tempusq; veniet, cum excuties solvesq; jugum ejus de cervicibus tuis quod impletum est, quando Idumæi rebellaverunt contra Iudam 4. Reg.*

Reg. 8. & sic videbatur dominium Iacob super Esav lædi in semore Iacob, sc. in posteritate quæ de semore ejus egrederetur: Simpliciſſimum eſſe & ad certaminis ſcopum & finem proximè accedere videtur, ſi dicatur, Deum hac luctâ voluiſſe Jacobum ad futura certamina præparare, ejusque animum fiducia roborare & obfirmare contra Eſavi & aliorum inſultus: Et illa hujus luctæ ſignificatio eſt in textu: Dicit enim luctator: *Quia ſi contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines prævalebis:* v. 28. Voluit itaque hac lucta figurare Deus, & ſignificare Jacobo, ad pugnam luctamq; vocatum ſeſe eſſe, non ad quietem, certaminis non otij hîc tempus eſſe, & veluti contra Deum ipſum manus ſæpe conſerendas eſſe: Ideo *luctatur eum eo:* Deum vero luctam & certamina Jacobi ſuorumq; ita dirigere, ut ad ſalutem & victoriam vergant, neq; permittere, ut tentemur ſupra vires noſtras 1. Cor. 10. 13. Sed ita moderari tentationes, ut non adoriantur nos niſi *humanæ*, ſint licet ab ipſo Deo nobis immiſſæ, viresque nobis eo majores ſufficere, quo lucta & tribulatio eſt impenſior, certamque victoriam contra omnes hoſtium inſultus nobis præſto eſſe: Ex una parte Deum quidem adverſari ſæpe, tum Jacobo tum aliis ſuis fidelibus, tanquam luctatorem & antagoniſtem, quaſi ſalutem vitamq; ſit erepturus, ex altera vero parte auxiliari nobis, viresq; ſuppeditare, ad prævalendum, imo & victoriam præmiaque largiri, tanquam auxiliatorem & brabeuten, Et ideo *non potuit vir ille prævalere:* Non tamen ideo ſuperbiendum eſſe, ſed diſcendum, quod *virtus Dei in infirmitate perficiatur* 2. Cor. 12. 9. & manere ſemper infirmitatis noſtræ penes nos teſtimonia, ne diſcamus nobis aſſcribere, quod Deus effecit in nobis, Ideo *claudicavit in femore* Iacob *poſt luctam*, ne *ſuperbiret quod ſibi Deum ſuperaſſe videretur*, ut ait Theophylactus.

XXVII.

IV. De facto Jacobi, an benedictionem petens ab Angelo S. Angelorum invocationem ſuo exemplo firmarit?

De luctæ ratione qualis fuerit, & quæ ad eam contigerint, pleraq;

pleraque hactenus dicta sunt: Unicum restat, ut videamus, an Jacobus benedictionem impetrans ab Angelo luctatore, promoverit & firmarit Angelorum invocationem Jesuitis usitatam: Catechesis sane Romana illud exemplum in subsidium citat p. 3. p. 502. 503. *Invocandi itaq; sunt Angeli quod & perpetuo Deum intuentur & patrocinium salutis nostræ sibi delatum libentissimè suscipiunt, Extant divinæ scripturæ testimonia hujus invocationis, Jacob enim ab Angelo qui cum luctatus fuerat petit, ut sibi benedicat, imo etiam cogit, se enim non demissurum illum profitetur, nisi benedictione accepta.* Salmeron Jesuita quoque disput. 7. in 1. Tim. 2. tom. 15. p. 464. *Angelos Sanctos invocare possumus*, ait, *quia Os. 12 de Iacob dicitur, quia invaluit ad Angelum, & confortatus est, flevit & rogavit eum, nimirum ut benediceret sibi, ut habetur Gen 32.* Bailius Jesuita in Catechesi, in quæstione *possumusne precari Angelos* subnectit exemplum Jacobi, *Jacob*, ait, *petit Angeli benedictionem Gen 32.* DELRIO Jesuita Salmantinensis in glossa literali, ideo dicit *Jacobum quæsiviisse de nomine Angeli ut eum postea posset invocare: Angelum sciebat, sed nomen quærebat, ut posset eum adjutorem in periculis advocare*, pag. 415. idque etiam arbitratur Sallianus Jesuita Parisiensis in Annalibus p. 397. n. 27. tom. 1. quod ideo tam anxie de nomine Angeli quæsiverit Iacob, *ut postea celebraret illum, à quo beneficium acceperat, illumq; in periculis invocaret.* Pererij testimonium supra est visum, asserentis ab hoc Angelo peti potuisse benedictionem *tanquam à deprecatore, procuratore & administro.* Verum nil omnino roboris in hoc exemplo est Jesuitis: Nam (1.) Angelus ille quem Jacobus hic fletu & lacrymis implorat non fuit creatus sed ipse Dei filius Angelorum Dominus, uti superius est evictum: Et vero (2.) etsi esset Angelus creatus, fuisset tamen repræsentative & autoritative Deus, Dei vices gerens - *ejusq; personam repræsentans*, ut ait Pererius, Invocatio ergo illa quam Jacobus Angelo Deum repræsentanti detulit, fuit ex hypothesi adversariorum vere divina, & actus latrias, seseque retulit ad Deum per Angelum repræsentatum: Angelis itaq; per se & secundum suam naturam extra illam repræsentationem consideratis tribui non potest, ut qui hoc honore, ipsis Pontificiis fatentibus digni non sunt, quatenus per

se spectantur, sed quatenus Deum repræsentant ejusq; personam gerunt: Ab eo vero, quod Angelis extraordinarie competit & κατ' ἐξ., ut sunt Dei personã repræsentantes, ejusq; nomine nobis, ita ut olim, loquũtur, (quod hodie non fit) id inferre, quod Angelis ordinarie, absolute, per se & secundum se spectatis cõpetere deberet, est valde incõpetens Quæ enim hæc connexio est? quæ cohærentia? Angelus, quatenus est Deus autoritativè & repræsentative est adoratus & invocatus invocatione verè divinâ à Jacobo: Ergo est adorandus invocatione paulo inferori, quatenus secundum suam naturam & ordinarie spectatur: Ibi latria afficitur in illo statu! Ergo hic potest affici dulia in hoc statu, quando spectatur simpliciter ut est Angelus: Quæ inquam hæc connexio est? Jacobi namq; exemplum doceret solummodo secundum hanc hypothesin quid Angelis extraordinarie, non quid ordinarie competere posset, & (3.) Non ideo tam anxie de nomine Angeli Jacobus quæsivit, ut eum in posterum invocaret, sicut DELRIO & Sallianus nugantur, sed ut pleniorem Dei cognitionem sibi acquireret: Quia enim Jacobus cognoverat esse Deum, à quo benedictionem impetrarat, eumque familiariter secum egisse, non contentus vulgari Dei cognitione de nomine etiam interrogavit, ut altius conscenderet & in Dei notitia magis magisq; proficeret, quod Jacobi petitum etsi per se non erat malum, negavit tamen Deus, quia contentum esse voluit Jacobum eâ cognitione, quam Deus ipsi tum præbuerat, pleniori, ad aliud maturius tempus reservatâ: Satis ista sunto de hoc Angelo.

בירוה

De Idololatria

Disputatio VII.

Quæ est

DE ANGELOLATRIA

Sexta.

Punctum XII.

De Angelo Auxiliatore Gen. 48. 16. seqq.

An sit creatus? Et,

An Jacobus h. l. Angelum creatum invocasse dicendus sit?

I.

TErtiò, Exemplum illud *Jacobi* in aciem collocant Jesuitæ, ubi benedictionem suis nepotibus petiisse legitur ab Angelo auxiliatore, Genes. 48. 16. De quo *primò* videndum, fueritne creatus Angelus, quod illi præsupponunt, nec ne, quo viso sine negotio aciem istam profligabimus Jesuitis. Resp. Rembertus Sandenhagen.

II.

Illi, uti dixi, contendunt, *creatum* fuisse, & stomachantur etiam in diversum sentientes: Becani, Baily, Gretzeri, Lorini, Marij, Salliani, & plurium recentiorum testimonia non cumulo: Unius Tostadi Episcopi Abulensis super hac re verba referre juvat, qui tom. 1. oper. in Genes. 48. c. p. 276. *Iste erat Angelus*, ait, *datus in custodiam Jacob qui eum diligentissimè mandato Dei ab omni malo custodiebat, & licet aliquando dicatur in textu, quod Deus apparebat ei, vel Deus eripiebat eum, intelligitur de Angelo, quia Deus non*

operatur ista inferiora immediatè, sed mediante Angelo, maximè, quatenus ad actus humanos, cum Angeli sint administratorij Spiritus &c. Paucis interjectis: *Est ergo hic sensus: Deus meus, & Angelus, qui est custos meus, ab omni malo me custodiens benedicat istis pueris, sc. ut sicut Deus bona multa mihi dedit, ipsis quoq; bona tribuat, & Angelus qui fuit custos meus, ipse custodiat eos, At qui autem multum superficialiter sacram scripturam, attendentes, qui omnia ad Christum referre deordinate valde cupiunt, quasi Homeros centonas & Virgilio centonas per deliramenta varia compingentes conantur asserere, Jacob intellexisse istam literam de Messiâ, sc quod non intellexerit de aliquo Angelo, qui est substantia creata spiritualis sed de Angelo magni consilij, qui est Messias.* Ita in hanc rem Tostatus, cui etiam bilem evomere paululum, & acerbius in eos invehi placuit, qui aliter Angelum illum quam de creato interpretantur. Quo vero fine hæc tam ferventer affirment, candidè & sine fuco docebit nos Catechesis Romana, quæ p. 3. q. 4. p. 503. *Extant*, ait, *divinæ scripturæ testimonia, hujus* (Angelicæ) *invocationis, Jacob enim ab Angelo petit, &c. neq; solum sibi ab eo tribui, quem intuebatur, sed ab eo etiam, quem minimè videbat, tum cum dixit, Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis*: Et reliquorum loco Bellarminus, pariter pro statuminandâ Angelorum invocatione ex hoc loco machinas nectit: *Sancti*, inquit, *sive Angeli sive homines pie atque utiliter à viventibus invocantur, probatur primò, scripturâ, Genes. 48. Iacob sic ait, benedicens filiis Ioseph, Angelus qui eruit me de cunctis malis &c. Hic aperte S. Iacob Angelum invocavit.* Nec vero, quod in frontispicio negligendum non est, in hoc stadio soli Jesuitæ decurrunt: Antecessores habent veteres Arianos comites & applausores modernos Iudæos & Photinianos, qui conjunctas quasi vires in hoc puncto contra Catholicos ἐμοδυναδὸν contulere: De *Arianis* apud Cyrillum videre est. Thesaur. l. 3. qui ut alias contenderunt creatorem creaturæ posse in votis & gratiarum actionibus ritè & sine peccato conjungi, ita dixerunt, h. l. Iacobum in precibus suis cum creatore Angelum creatum conjunxisse: Tertullianus quoq; vel Novatianus potius l. de Trinit. cap 15. pag. 639. *hæreticum pertinaciter obstinatum adversus veritatem* appellat, qui in hoc exemplo *volueris*

proprie

proprie Angelum intelligere, intelligit autem hæreticos, ait in h.l Pammelius, *cum Simonem Magum & Menandrum, qui seipsos & summam virtutem (id est Archangelum) dicerent & apud Judæos quasi passos esse, cum maximè Apellem.* De *Judæis* R Aben Ezra, & R. Levi Ben Gerson testatur R. Manasseh Ben Israel Concil. p. 86. quod juxta illos, *Angelus ille, de quo Iacobus loquitur, sit intellectus agens, qui præditus potentia, tanquam legatus Dei benefacere, aut quibusvis ex malis eripere aliquem possit.* Ipse vero Manasse obscurius paulo super hac re: *Ergo* inquit, *ut finem faciam, ajo, Iacobum preces suas ad primam causam, intellectum autem perfectissimè direxisse ad illum per quem Deus erat operaturus. Et quemadmodum docte ait R. Bahye incepit ab Elohim, & cessavit in* מלאך, *qui est* שכינתי, *& unit omnem fabricam, & mundum decem illustrium luminum.* De *Photinianis*, quid sentiant in hoc puncto, monstrabit Colloquium Albæ Julij habitum Anno 1568. ubi Georgius Blandrata Photinianus Melio collocutori, qui Angeli hujus mentionem injecerat, ita respondit, in fine actionis diei quintæ: *Dicimus de Angelo illo Genes. 48. qui eripuit Jacobum de omnibus malis, vel personam Christi sustinuisse, vel aliquem ex Angelis fuisse, missum à Deo, ut Jacobum liberaret, nec inde posse Melium suum æternum filium realiter existentem, vel Angelum aliquem fuisse increatum, colligere.* Faustus Socinus de hoc Angelo ad Iohannem Volckelium Grimmensem Missivum Epist. 3 p. 483. ita disserit: *Jam ad id, quod excipitur ab adversario ex loco Genes. 48. nulla causa erat, cur in disputatione cum Francisco Davidis quicquam responderem, cum ni fallor, ipse Franciscus loci istius mentionem non fecerit in scripto suo, quare non mirum, si non modo haut satis dilucidè, sed nullo pacto objectionem istam in disputatione illâ dissolvi, Potest solutio nihilominus peti ex eo, quod supra dictum est de illis septem spiritibus, de quibus videlicet nesciatur, an audiant preces nostras, & (nempe si eas audirent) nihil absurditatis in eo esse, quod illi invocati à Iohanne fuerint. Cum igitur adversarius adversus rationem ex Pauli verbis, gratiam & pacem à Christo precantis, aut dicentis, ipse Christus consoletur, confirmet, &c. ductam excipit, eâdem ratione consequi, Angelum illum à Iacobo Patriarchâ invocatum fuisse, primum respondendum est, non consequi, cum nihil constet, quod Angelus ille verba Iacobi audiverit, deinde*

dicendum, nihil absurdi eâ in re esse, cum Angelus ille Deo sine dubio subordinatus esset. Hæc ad Volckelium Socinus, cujus sane Volckelii animum Angelus ille, Iacobi auxiliator non leviter torsisse videtur, ut quid de eo tandem statueret, hæsitarit, sicut ex allegata Socini Epistola conjectari licet, in quâ adversus suum Volckelium Socinus paulo vehementior est. Valentinus Schmaltzius ad Frantzium de hoc Angelo, quem increatum esse Frantzius asseruerat, *si*, ait, *constaret, JEsum fuisse antequam nasceretur ex virgine, possent talia fortasis ad eum qualicunq; modo pertrahi: At isto non probato, quid aliud isti faciunt, qui ex hujusmodi infirmis consequentiis sua dogmata defendunt, quam quod produnt se argumentis, & τῷ ῥητῷ sacrarum literarum destitui.* Georgius quoque Enjedinus in locis suis prolixè desudat, ut aliquot argumentulis è trivio, persuadeat nobis, Angelum hunc non nisi creatum esse posse, de quibus suo loco inferius. Hos ergo, applausores, hos patronos & suffragatores suæ opinionis habent Iesuitæ, quorum in hac re consensum & suffragia jactari tuto possunt, utpote, quibus volupe est rem non pondere veritatis, sed sententium multitudine & suffragiis æstimare: Rationes sane hujus assertionis si exquiras, patroni illius aut nullas, aut nullius omnino momenti proferunt, quas in unam q. summam redegere Marius & Enjedinus, de quibus uti dixi suo loco.

III.

Orthodoxi ergo, priori opinione, quæ Novatiano judice, *hæreticorum* est, relictâ, de Angelo non creato Iacobi preces interpretantur, subnixi non hæreticorum sed Orthodoxorum patrum optimis suffragiis: Hoc enim ipsum contra hæreticos, ut vocat, asseruit Tertull. aut Novat. l. de Trinit. c. 26. 27. p. 1048. seqq. Contra Arianos prolixe evicit Athanasius orat. 4. p. 259. Cyrillus Alexandr. l. 3. thes. col. 53. sicut & Chrysostom. homil. 66. in Genes. Procopius Gazæus in h. l. aliiq; quorum patrum optimorum vestigia legere satius nobis est, quam cum Iesuitis, derelicta veritate in Arianorum castra transire. Accedit argumentorum robur, quo hæc sententia suadetur.

Pri-

IV.

Primum petimus *Ab Angeli hujus determinatione*: Non nudè & simpliciter dicitur Angelus, sed cum præfixo ה hajedijah, ὁ ἄγγελος ὁ ῥυσάμενος: *Angelus ille, qui eripuit me*, ut Vatablus vertit, h. e. ille Angelorum princeps & Dominus, qui mihi *à facie Esavi profugo apparuit*, Genes. 28. 13. qui me à *facie Laban in patrum meorum regionem reverti jussit*, Gen. 31. 11. qui *sub viri formâ mecum congressus est*, mihiq; *benedictionem impertiit*, Genes. 32. 24. seq. Oseæ 12. 4. & insigni istius victoriæ fiduciâ instructum ad certamina dimisit: quique adeo est *Deus illæ fortis*, Gen. 31. 13. c. 32. 28. 31. cui votum feci in Bethel, Gen. 28. 20. c. 31. 13. & *altare erexi*, Genes. 35. 1. *Ille*, inquam, *Angelus* est, qui hîc intelligitur: Is autem creatus esse non potuit, sed fuit increatus, verus sc. & æternus Deus, quia non Angelus (creatus) sed Deus Jacobo in Haran apparuit, Gen. 28. 13. c. 31. 13. c. 35. 1. non Angelus, sed Deus ipsum reverti jussit, Gen. 28. 15. non Angelus creatus, sed Deus cum ipso luctatus est, Gen. 32. 23. seqq. neque Angelo creato sed soli Deo vota vovere, & altaria erigere licet. Jacobo equidem eunti & redeunti confertæ Angelorum acies præsto fuere, quas etiam cum videret sibi obviam ire, appellavit מחנה אלהים, *Castra Dei*, Gen. 32. 2. hoc tamen loco ad *illum* speciatim Angelum digitum intendit Jacobus, & à reliquis Angelis creatis sequestrat, qui ejus per vitam Dux, Dominus, & *Auxiliator* fuit.

V.

Secundum sumimus *Ab Angeli hujus operatione*: Ille Angelus hîc à Jacobo innuitur, qui est הגאל מכל רע, *Redemtor* & vindex *ab omni malo*, atque ita Jacobum *ab omni malo liberavit*, Genes. 48. 16. quod quo jure in Angelum creatum derivare possint Pontificij, ipsi viderint. Cumulus sane malorum optimum Jacobum vitæ suæ decursu graviter pressit. Palmarium est illa *Esavi machinatio*, qui post collatam à patre in Jacobum benedictio-

nedictionem, flammas & ignes spirans, omnesque fratri diras vovens: *Appropinquabunt*, ait, *dies luctus patris mei, & occidam Jacob fratrem meum*, Genes. 27, 41. His tamen flammis divino subsidio ereptus in Mesopotamiam profugit Jacobus, ibique viginti circiter annis Labani rem oeconomicam pariter & suam haut segniter promovit, uxoribus, opibus, sobole, bonisque fortunæ cæteris divina favente clementiâ non mediocriter auctus. Etsi vero hæc ipsius in Mesopotamiâ prosperitas Esavum interea temporis latere facile non potuit, attamen, quod mireris, adeo in transversum sunt actæ Esavi molitiones, ut quod dudum altâ mente conceperat facinus, sive clam & per insidias, sive aperte & per vim tentare nunquam potuerit, quin tandem pristino rancore penitus depositio, fusisque lachrymis suaviter eundem amplexus sit, ut historia testis est, Gen. 33. 4. seqq. Hæc vero omnia *illi Angelo* accepta refert Jacobus, qui illum ab omni malo, adeoque & ab Esavi insidiis vindicavit, neque præter cogitationum, cordiumque nostrorum scrutatorem alius quisquâ esse potuit: Nam, quæ argumentationis vis est, qui Jacobum ab Esavi insidijs eripuit, illum καρδιογνώστην oportet esse, *qui corda hominum finxit, & considerat omnia opera eorum*, Psal. 33. 15. Impediit enim cogitationes Esavi, & aliovorsum rapuit, ne Jacobo nocerent, & foras prorumperent, atq; sic eas probe perspectas habuit. Angelus vero ille, de quo h.l. est is, qui Jacobum ab Esavi insidiis eripuit, quia eum vendicavit ab omni malo: Angelus ergo ille καρδιογνώστης est, qui Esavi cogitata penetravit, cor ejus finxit & consideravit omnia opera sua.

VI.

Alterum, quod Jacobum infestavit, fuit illa *Labani molitio* & plusquam crudelis vafrities, nunquam culpanda satis, qua innocentem immeritumque generum insidiosè prosecutus est. Ubi enim videret, pro voto sibi omnia succedere, dummodo rem domesticam curaret Jacobus, & vero iste abitum ad focos patrios meditaretur, ad vafritiem conversus, primâ quidem

dem fronte blandis & æquis promissis animum istius suspendit, re tamen ipsâ veteratorem egit, & Jacobum decies mutata mercede callide circumvenit, Gen. 31. 11. seqq. Ubi tamen Dei denuo subsidium expertus, veteratorem arte non veteratoriâ sed justa ex divino instinctu delusit, qui jussit illum, postquam cum Labano pactum fecerat, & nil tale cogitarat, virgas decorticare, easque statuere in canalibus, id est, in *adaquatoriis aquarum ad quæ veniebant deinde pecudes ut biberent, & incalescebant dum venirent ad bibendum in conspectu virgarum illarum, & postea pariebant ipsæ oves agnos & hædos maculis respersos*, Genes. 30. 38. 39. qui omnes ex pacto ante sancito v. 32. Jacobi merces erant. Etsi vero causas illius rei naturales à Jacobo pensitatas, earumque interventu, quod phantasiæ in conceptione magna sit efficacia, aliquid hic præstitum esse non negaverim, causas tamen illas secundas pro arbitrio movit, & extra vires ad producendum istum effectum causis illis secundis superiorem elevavit prima & isuprema causa, fecitque ut *valde valde crescerent* Jacob, Genes. 30. 43. fuit enim Imaginatio illa seorsim & secundum se solam spectata in fœtus colorati productione causa solum partialis, quæ à fortiori, ut sæpe fit, vinci potuisset, nisi hic specialis Dei actio & benedictio concurrisset, quam etiam in hoc opere sibi vendicat Angelus ille, Genes. 31. 12. Itaq; „Qui Jacobum à veteratorijs Labani artibus eripuit, & eum è contra valde valde crescere fecit, causasque secundas pro arbitrio direxit, is suprema est & prima causa, adeoque verus Deus. Angelus vero Jacobi auxiliator, est is, qui a fuit is, qui illum ab omni malo, adeoque & à Labani fraudib vendicavit, sicut & diserte dicit: *Vidi, quæ Laban fecit tibi*, Gen. 31. 11. Angelus ergo is fuit prima & suprema causa, adeoque verus DEus.

VII.

Neque id h. l. negligendum, quod Jacobus Angelo illi tribuit Ereptionem *ab omni malo* absolute, quod sane tributum augustius est & eminentius, quam ut creaturæ competere possit. Dei enim titulus hic est, quod sit ῥυόμενος ἀπὸ παντὸς κακοῦ,

κῦ, Sap. 16. 8. ab eoque solo petere nos docuit Oratio Domini: *Libera nos à malo*, Matth. 6. 13. Luc. 11. 4. qui etiam Iacobo promisit sese id præstiturum, Genes. 28. 15. c. 31. 11. 13. Et vero peccatum malorum omnium maximum, omnium origo & radix est, ut liberasse ab omni malo recte dici non possit, qui à peccato liberare nequit: Quis autem est, qui liberationem à peccato sibi tribuere possit præter Deum? Idque ipsum jam ante Cyrillus advertit, qui, *Quod*, ait, *non Angelum, ut intelligunt hæretici (aures arrigite Jesuitæ,) sed filium Dei significarit, inde patet, quod cum dixisset, Angelus, statim addit, qui me liberat ex omnibus malis: A verbis igitur ipsius consideremus, Deusne ipsum ab omnibus malis liberaverit an aliquis Angelorum qui sunt creati.*

VIII.

Excipit quidem Marius, *Deum præstitisse Jacobo hanc liberationem per Angelum*, tanquam instrumentum, eumq; h. l. intelligi: Verum licet per Angelos Jacobo fecerit liberationem Deus, non tamen ideo Angelo creato jure vendicabitur τὸ liberare ab *omni malo*, quod Dei encomion est, & majorem finita virtutem exigit, tum vero Angelus hic sibi *ut Domino* Iacobi liberationem tribuit, Gen. 31. 11. 13. seqq. Iacobus quoque illum ut Angelorum Dominum veneratur & agnoscit, illique, ut progressus docebit, divinos honores tribuit.

IX.

Excipit Tostadus: *Non dici ereptum Jacob ab omnibus malis simpliciter, sed ab omnibus malis pœnæ, à malis autem pœnæ Angelum eripere posse, cum sit minister Dei, & quemlibet Angelum in sua naturali virtute tantum esse potentem, ut fortitudo sua excedat robur omnium hominum congregatorum;* Neque inconveniens esse, si dicatur, *Angelum eripere posse ab omnibus malis pœnæ, etsi videatur illa malorum extensio majorem finitâ virtutem requirere, quia nullus quidem Angelus possit eripere ab omnibus periculis simpliciter, possit tamen*

tamen eripere unum hominem ab omnibus malis, idque satis sit facile cuilibet Angelo etiam minimo in virtute & robore. Hæc Tostadus, sat quidem operose, sed sine nervo & robore: Nam, frustra, quod de *omni malo* universaliter enunciat Jacobus, ad solum malum pœnæ restringit Tostadus, qui enim omne malum dicit, malum culpæ, quod κατ' ἐξοχὴν est malum, & malorum principium, vel maximè includit. Neque liberatio ab omni malo pœnæ (sive unum hominem, sive plures concernat) absolute potest deferri Angelo creato: Etsi enim Dei jussu in liberandis à malo, & vindicandis in libertatem piis, suum præstet ministerium Angelus, *custodiat Dei* servum *in viis*, Ps. 91. 11. & *castra metetur circa illum*, Ps. 34. 8. non tamen quodvis sine discrimine malum sua virtute arcere potest, malas v.g. *hostium cogitationes*, prout animo versantur, atràque sunt mente repostæ, in quas solum sibi imperium vendicat summus rerum arbiter, illasque pro suo arbitrio versat & moderatur. Accedit hoc, Quod Angelus ille Jacobum ita à malo vendicarit, ut bonis simul omnibus abundantissime cumularit, quod non nisi præpotentis Dei largâ manu contigisse dicendum.

X.

Tertium habemus *Ab Angeli hujus æquali cum Deo facta connexione:* Masius notavit, priscos Patres Dei & Angeli nomine juxta usos, cujus hic evidens exemplum sub manibus est: Unus enim & idem verus & æternus Deus est, qui tribus epitheris à Jacobo celebratur: de quo dicit: I. *DEus in cujus conspectu ambulaverunt Patres mei*, sive ut habent LXX. *cui placuerunt Patres mei*, quo ipso non solum verum æterni Dei cultum exprimit, sed & verum Deum à factitiis discernit, quod sc. is sit, qui cum patribus suis fœdus sanciverit, & in cujus conspectu illi iverint, fidemq; simul suam profitetur, quod illum Deum agnoscat & colat. II. *Deus, qui pavit me à juventute;* quo innuit fœdus cum Patribus suis sancitum ad se quoq; pertinere, illudq; sibi fiducialiter applicat, & divina erga se præstita beneficia deprædicat, quod tanquam

pastor ille bonus à juventute adeoque toto vitæ decursu sese ut ovem pascuæ suæ fideliter paverit, & omnibus corporis, fortunæ, animique bonis abundanter cumularit. III. *Angelus, qui me eripuit ab omni malo,* quo ipso aut eundem illum compellat, quem Deum suum & patrum suorum modo dixerat, aut ante facta generali Dei compellatione, hic dein in specie Dei filium appellat, quem consueta illorum temporum locutione Angelum nominat, non tam propter officium, quod ut Dei patris à hominibus legatus ordinarius susceperit, & ad nos missus sæpe apparuerit, sed & propter apparitionis habitum, quod eâ formâ, quâ Angeli solebant, V. T. patribus visus fuerit: Et hunc Angelum æqualiter prorsus cum illo Deo in cujus conspectu patres ambularunt, & qui pavit eum, connectit, æqualiter prorsus ab illo sicut à Deo benedictionem petit, æqualiter illius uti Dei ipsius beneficia prædicat & recenset, idem prædicatum *benedicat*, ad illa tria epitheta, *Deus* in cujus conspectu ambularunt patres mei, *Deus* qui pavit me, *Angelus*, qui liberavit me, connectit, neq; hic ullum inæqualitatis in textu est vestigium; Nam *si servus est*, (ut ait Isidorus l. 1. Ep. 109. de Spiritu Sancto, nos de hoc Angelo) *cum Domino minimè numeretur, si creatus est, cum creatore minime conjungatur*, scilicet ut ab eo simul & creatore indiviso nexu idem petatur ut hoc loco fit. Tum etiam, quod Novatianus observavit, (ersi unicè illi observationi non insistam) *si alterum Angelum voluisset intelligi, plurali numero duas personas fuisset complexus, nunc uni personæ singularem numerum in benedictione deposuit, ex quo eundem Deum & Angelum intelligi voluit*, quæ hujus autoris verba sunt l. de Trinit. c. 27. Athanasius quoque advertit, fieri ab optimo Patriarche non potuisse, ut in tam devota precatione Deum pariter & Angelum connectat, nisi Angelum illum velit esse verum Deum: *Nunquam enim quispiam precaretur accipere à Deo & ab Angelis, aut abaliis rebus creatis, nec quisquam hanc verborum formam concepit: Det tibi Deus & Angelus*, ait orat. 4. contra Arianos. ubi cum pariter negasset voto illo Jacobum aliquem Angelorum creatorum & qui naturâ Angeli erant, in unum copulasse cum creatore Deo, aut ab isto suo nutritore Deo ab Angelo benedi-

ctionem

ctionem suis postulasse nepotibus, tandem subnectit: *Clarum est, Patriarcham non alium in suis precibus copulasse cum Deo, quam hoc verbum, quod ideo Angelum nominavit, quia solus est, qui Patrem revelat, quod etiam ab Apostolo factitatum est, cum inquit, Gratia vobis & pax à Deo patre nostro, & Jesu Christo, ita enim certa & firma efficitur benedictio.* Cyrillus l. 3. thes. c. 1. hæreticos diserte appellat, qui hic Angelum creatum dicunt esse cum Deo connexum: *Si*, inquit, *Prophetico spiritu decoratum Jacobum hæretici fatentur, & sanctum Jacob fuisse virum non negant, cujus gratiâ ipsum ita errasse contendunt, ut Angelum cum Deo conjunxerit, & unâ cum Deo benedicere posse putaverit? Nolint quæso ita sanctum virum vituperare, sed verum sensum inquirant si sanctum fuisse arbitrantur: Sin vero minimè id putant, cur autoritate ipsius ad confirmanda dogmata utuntur?* Hujus ergo optimi Patris sententia hæretici sunt & Patriarchæ injuriam faciunt, maculamq; adspergunt non levem, qui in istâ precatione Angelum creatum Deo connexum esse dicunt. Hæretici ergo sunt & Jesuitæ, si Cyrillo standum est, ut qui veterum hæreticorum vitiâ arare in hoc argumento non erubescunt. Nec fieri potest, ut argumentum pro Deitate filii ex Baptismi formulâ ab insultibus Arianorum sit penitus inconcussum, admissâ semel illâ hypothesi; Quod unâ cum Deo Angeli quoque creati in precibus conjungi & invocati possint, in promtu enim Arianis erit, dicere, cum vero Deo Christum quoque in Baptismo conjungi & utrumque invocari, illum ut Deum naturâ talem & æternum, hunc ut Deum ex officio talem & in tempore factum: Quod enim Pontificij nobis obvertunt, Angelum unâ cum Deo h. l. conjungi & invocari posse, etsi creatura sit, illud Pontificiis Photiniani in alio puncto obvertent, fieri posse, ut filius quoque cum patre conjungatur & invocetur in Baptismo etsi creatura sit. Hanc ergo maximam, oportet ut inconcussam nobis Jesuitæ relinquant, Qui cum vero & æterno Deo in devotâ invocatione *æqualiter* connectitur, & pariter invocatur, ille est verus & æternus Deus: quâ positâ ê dictis subsumere promtum erit: Hic Angelus, Jacobi auxiliator & redemptor est talis, quod probatum dedimus. Ergo.

XI.

Proinde frustra Enjedinus regerit: *Deum & Angelum ita conjungi, sicut 1. Par. 20. 20. jubentur pii credere in Deo & Prophetis ejus, nimirum gradu inæquali, & adhuc dubium esse, an conjungatur cum Elohim ὁ ἄγγελος siquidem nullum legatur Syncategorema, quod duos versus istos, & duas enunciationes connectat.* Extra dubium enim h. l. cum Elohim ὁ ἄγγελος, per commune prædicatum, *Benedicat*, connectitur, sicuti evictum: Utut vero contingat cum creatore creaturam in scripturis connecti, nondum tamen repertum est creaturam creatori in invocatione & precibus conjungi, precesque simul & vota ad utrumque dirigi: *Nemo* enim *audire patietur*, Cyrillo judice, *dicentem aliquem, Utinam Deus Pater & Angelus quispiam dirigat viam tuam, Gratiam enim dare soli Deo convenit*, sicut & sola Deitas invocationis fundamen, solus item verus & æternus Deus invocationis objectum est, ad quem preces votaque dirigenda, Apoc. 14. 7. Matth. 4. 10. Deut. 6. 13.

XII.

Quartum petimus *Ab Angeli hujus religiosa adoratione*, quæ uti dixi, solius veri Dei propria est. Ita enim cum Deo illum suum Angelum connectit Jacobus, ut ad illum quoque preces & vota sua dirigat; *Angelus*, ait, *qui me eripuit ab omni malo, benedicat pueris istis*: Non equidem desunt, qui verbis istis contineri putant, non orationem Jacobi factam ad Angelũ auxiliatorem, sed expressum solummodo desiderium, quo id fieri cõcupiverit ab Angelo, quod tamẽ non ab Angelo sed à Deo impetraverit, in quã sententiã Enjedinus quoq; propendet, qui asserit *non invocare* h. l. Jacobum, *sed optare saltem, ut Angelus assit nepotibus suis, sicut aliquis dicere potest, Angelus Tobiæ sit tecum, & sicut Paulus Epistolam secundam ad Corinthios his verbis claudit: Charitas Dei & communicatio S. S. sit vobiscum, Unde*, ait, *quis colliget sanus, charitatem & Spiritum à Paulo fuisse invocatum*. Quæ opinatio si locum reperiat, omnis Pontificiorum molitio, quam hinc pro Angelorum invocatione petunt nullo negotio

corruet

corruet, quia sic non erit invocatio ad Angelum facta, sed optio saltem & pium desiderium de Angelicâ custodiâ. Quo minus tamen huic sententiæ subscribam, facit, quod accuratius pensitata Jacobi verba non desiderium solum, sed & religiosam invocationem ostendunt: Sicut enim in verbis immediate antecedentibus, *Deus in cujus conspectu ambularunt patres mei* &c: Votum non desiderantis solum sed & desiderata à Deo petentis est, Ita & in proximè seq: *Angelus qui me eruit* &c: per idem prædicatum *benedicat*, cum præced connexis, votum non solum desiderantis sed & invocantis esse necesse est. Idque Scopus etiam Patriarchæ innuit, qui postea quam filiis significasset, eam Dei in sortitione terræ Canaan constitutionem esse, ut illius etiam ali qua portio cedat filiis Iosephi Manasse & Ephraimo, ad vota dehinc & preces conversus, rata illa esse petijt, & suo tandem tempore feliciter complenda, quæ ipse Propheticè denunciarat: q. d. *Angelus ille qui me ab omni malo vindicavit, ille meus Redemptor & vindex, meus in omni vita Auxiliator, benedicat ex alto pueris istis* (Ephraimo & Manasseh) *ut filii quoque mei vocentur, & unâ cum alijs meis filiis promissam terram prosperiter pacateque inhabitent*, &c. Ita ergo desiderium suum Iacobus hic expressit, ut simul, quæ desideravit, ab Angelo petierit & expectarit, sicut & *impositio manuum*, quæ precantium olim ritus erat, (conf. Matth. 19. 13.) h. l. adhibita subindicare videtur. Quemitaque Iacobus eodem modo, sicut & Elohim, petit & implorat, illum etiam ut verum Deum agnoscit & veneratur. At vero ita implorat hunc Angelum. E.

XIII.

Quintum depromimus *Abenedictionis ratione*: Non implorat solum religiosè hunc Angelum, Iacobus, sed & *benedictionem* ab illo suis nepotibus postulat: *Benedicat*, ait, *pueris istis*. Ubi advertendum venit diligentius, (ne rimas quærant adversarij) quid & quotuplex sit benedictio. Reperitur ea in scripturis duplex, *Divina & Humana*: Illa realis alicujus boni in creaturam benedictionis capacem facta collatio est: Hebræi מוסר הוצא

accus-

acceſsionem boni appellant: Ut enim Dei dicere eſt facere ejusdem, quippe qui non nuda verba loquitur, ſed res verè exiſtentes, &*dicto abſolvit negotium*, ut eſt apud Ambroſ. l. 1. hexaem. c. 9. Ita etiam benedicere ejusdem eſt benefacere, neque id verbo ſolum ſed re & opere præſtat. Ita, *hominibus* cæterisque animantibus *benedixit* Deus, Gen. 1. 28. h. e. in ſuo genere efficaces potenteſque fecit, tum ad procreationem, tum ad alia officia & opera: *Benedixit Abrahamo valde*, Gen. 24. 35. h. e. multis eum bonis affatim replevit, deditque ei *oves, boves, argentum* & aurum: *Benedixit domui Potiphar*, Gen. 39. 5. & promittit ſeſe benedicturum *annonæ*, Pſ. 132. 15. *valvæ*, Gen. 49. 25. omnibus q; *operi & bonis* piorum, Deut. 28. 3. ſeq. quo ipſo realiſſimam & efficaciſſimam ut ſic loquar, *benefactionem* promittit. Ita Abrahæ pollicetur, ſeſe in ſemine ejus *benedicturum gentibus terræ*, Gen. 12. 4. Sic Deut. 7. 13. *Dominus benedicet & multiplicare faciet*. Et Num. 6. 22. populo benedictionem promittit, quam ſacerdos conſueta formula precari jubetur, *miniſterialiter*, ut ait Lyra ad illum locum, *Verba benedictionis proferendo, ſed Deus benedicebat effectum benedictionis cauſando*: Hoc ſenſu *Benedictio* qua idoque dicitur munus divinâ benignitate conceſſum, Geneſ. 33. 11. 1. Sam 25. 27. 2. Reg. 5. 15. &c: Sicut & beneficentiam ſive collectam Corinthiorum Paulus vocat εὐλογίαν, 2. Corinth. 9. 5. Hæc vero (humana benedictio) vel (2.) *In Deum* tendit, quomodo benedicere eſt in Deo beneficentiæ omnis originem agnoſcere, eaque de cauſâ illum celebrare, Pſal. 103. 1. Pſal. 104. 1. Pſal. 115. 18. & hoc ſenſu in Sacra S. Deus ſæpiſſime dicitur ברוך *benedictus*. Deus enim realiter benedicit hominibus, reali bonorum facta collatione, Homines vero Deo benedicunt verbaliter, bonorum collatorum facta deprædicatione: Illius benedicere eſt effectivum, horum vero ut Thomas ait, *recognoſcitivum & expreſsivum*: adeoque ut Baſil monet Tom. 3. in Pſ. 66. p. 150. *Sane convenit, homines cum Deo benedicunt, ſola illi verba offerre, Deum vero cum benedixit, ipſo opere confirmare, & omnis generis bonorum ſuppeditare proventum.* Vel tendit (hæc benedictio) (2.) *In res Deo conſecraneas*, quomodo Benedicere eſt rem Deo aut uſui cultui-

Benedicere Dei eſt benefacere

cultuive divino consecrare, uti Paulus 1. Cor. 10. 16. de poculo Eucharistico ait, τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας ὁ εὐλογοῦμεν, h. e. ut Oecumenius reddit, ὁ εὐλογοῦντες κατασκευάζομεν, *quod cum benedictione consecramus*, & ab usu vulgari separantes ad sacramentalem & divinum q: præparamus: Eadem significatione (quoad genus) Christus dicitur τὸν ἄρτον εὐλογεῖν, Luc. 24. 30. (qui alias quatuor vicibus benedictione usus legitur, In epulis, uti dixi, In miraculis, Mat. 14. 19. Mar. 6. 41. Luc. 9 16. Mar. 8. 7. In spiritualium bonorum collatione, Mar. 10. 16. Luc. 24. 50. Act. 3. 26. & institutione S. Cœnæ, Matt. 26. 26. quâ εὐλογία Deo gratias egit, & ab usu vulgari panem & vinum separavit, & effecit, ut quoties S. Cœna juxta ejus institutionem celebratur, verum quoque ejus corpus & sanguis mediantibus illis symbolis percipiantur) h. e. facta gratiarum actione & precibus sanctificare; Solebant enim Judæi certa forma εὐλογεῖν ברוך אתה יי quam εὐλογίαν vocant קידוש *sanctificationem*, quod tum demum omnium rerum usus sit sanctus & legitimus, quando eas precibus & gratiarum actione sanctificemus, Deumque cognoscamus autorem. Ex rituali Judæorum Scaliger observavit, quod in distributione & comestione panis azymi pater familias azymum in duas partes dividens sic uni benedicat: *Benedictus es Domine Deus noster in esu panis azymi &c:* Hac quoque significatione τὸ Benedicere Deo tributum extat Gen. 2. 3. qui *benedixit Diei septimo & sanctificavit illum*, h. e. sanctificando benedixit & in usum sanctiorem velut separavit. Judæorum fabula est vim quandam peculiarem ex divina benedictione huic diei insitam efficere, ut anima eo die plus sapiat, corpus q; magis vigeat, Saturnus vero sit præcipuè illius diei Planeta, qui facultatem habeat corpus supra dies reliquos roborandi, & vim cogitandi sciendi sapiendi excitet & instillet: Et inde fieri solet, ut illo die procreationi liberorum magis quam diebus reliquis operam locent. Verum ut dixi fabula est & commentum hominibus istis non indignum. Vel denique (2.) tendit hæc benedictio ab hominibus *in homines*, quo sensu benedicere est bene

bene precari, benedictio vero, bonæ mentis & faufti ominis alteri facta comprecatio, eaque aut (1.) *Communis* est, quâ omnes ex charitatis debito, quo invicem obstricti sumus, alter alteri bene precari tenemur, etiam inimicis, quibus *benedicere* jubet Christus Matth. 5. 44. Luc. 6. 28. Vel (2.) *Sacerdotalis*, quam Sacerdotes divino mandato instructi, ejusque autoritate muniti non tam aliis precantur, quam ministerialiter conferunt, Deus enim per Sacerdotes benedicit, Num. 6. 23. seqq. Ita Melchisedech Abrahæ benedixit, *Benedictus*, inquit, *Abram à Deo altissimo*, Genes. 14. 19. quæ benedictio non vulgaris sed solemnis & sacerdotalis fuit, ex qua Paulus Hebr. 7. 7. infert, Sacerdotium Melchisedechi Levitico excellentius fuisse, quia in lumbis Abrahæ omnibus Sacerdotibus Leviticis ex officio & nomine Dei benedixit, *Sine omni* autem *contradictione*, ait Paulus, *minus à præstantiori benedicitur*. Et hæc ratio est, cur Mose Melchisedechi ut *Sacerdotis* meminerit, dictusq; sit Melchisedech *Sacerdos Deo altissimo*, Gen. 14. 18. non quod panem vinumque proferens sacrificarit, sicuti ineptiunt Papicolæ, sed quia ratio datarum ab Abraha decimarum innotescere, & benedictio Abrahæ & Levitico sacerdotio facta constare debuit, quod non vulgaris illa fuerit, sed sacerdotalis ex officio & Dei nomine facta: vel denique (3.) *Patriarchalis* & Prophetica, quâ Patriarchæ olim, instinctu prophetico singularem posteris suis felicitatem denunciabant, & in quâ familiâ dignitas Ecclesiæ fœderisque gratia permansura, datæque Abrahæ benedictiones complendæ essent, significabant. Et ita *Semo benedixit* Noachus, Genes. 9. 26. eoq; posteris Semi propheticè denunciavit, quod penes illos mansurâ sit Ecclesiæ dignitas & fœderis gratia: Abraham porro *benedixit Isaaco*, & divino mandato illum constituit hæredem, Gen. 21. 12. & hoc ipso significavit in Isaaci semine promissiones Abrahæ factas complendas esse. Isaac porro *benedixit Jacobo*, Genes. 27. 27. qui etsi prophetico instinctu sufficienter cognorit, quod in posteris suis factæ à Deo promissiones à Deo complendæ essent, personam tamen ignoravit, & in illa (Dei permissu) erravit, & Esavo conferre voluit benedictionem, quæ ex Dei decreto Jacobo conferri de-

ri debuit, intellectu Isaci, quantum ad hanc circumstantiam nondum plene edocto, & satis informato. Hanc quoque benedictionem Iacob suis filijs Gen. 49. 1. seqq. & nepotibus, Ephraimo & Menasseh contulit, Gen. 48. 15. sicuti vero benedictio aliquando est futurorum bonorum prophetica denunciatio, ita ex opposito *maledictio* quandoque in SS. est propherica mali futuri significatio divino instinctu facta. Quomodo Noah. v. g. *maledixit Cenaan*, Gen. 9. 25. non quod impijs in illum maledictis convitijsq; invectus sit, neque quod ex vindictæ ardore, aut fervore impatientiæ mala quævis imprecatus sit, quod sanctum virum etsi iratum non decuisset, nec Deus ejusmodi imprecationes vindictæ cupidine factas ratas semper habet: sed quòd prophetice futurum malum justumque Dei judicium Chamo ejus posteris denunciarit, quod maximam partem impletum est eo tempore, ubi sub occupatione terræ promissæ Cenaanis posteritas aut deleta aut subjugata est. Et hæc de benedictione præmittere conveniens visum est, è quibus perspicuum est, quo sensu Deus, quo creatura aut homo dicatur benedicere: Dei benedictio est dativa, hominis votiva, illa realis, hæc verbalis, illa authoritativa hæc ministerialis, illa in rei exhibitione, hæc in fausta ejusdem comprecatione est: Illius benedicere est benefacere, benedictum benefactum, benedictio, ut sic loquar benefactio: Hujus vero benedicere est benè precari. Cujus itaque benedictio dativa non votiva, realis, non verbalis, autoritativa, non ministerialis est, cujus benedictio in exhibitione non in precatione est, cujus benedicere est benefacere, benedictum benefactum, &c. ille verus est & præternus Deus. At vero illius Angeli, à quo Jacobus h. l. benedictionem petit, benedictio dativa est, non votiva, &c. Scopus Jacobi attendatur: Propositum illi fuit, filijs propheticam & patriarchalem benedictionem impertiri, quam verbis quidem & votis ille perficiebat, reipsa tamen ab eo, quem hic sollicitat, compleri & præstari desiderabat: atq; sic interpellat illum, qui realiter benedicere, & facto, quod Jacob vovebat & prænunciabat, complere potuit: illum precatur, qui ex duobus filijs Josephi facere potuit duas tribus, illisque terram Cana-

Argumentum.

neam elargiri, & omnibus simul bonis abunde eos cumulare; Hoc enim illud *benedicere* est, quod h.l. petit Jacob. Tum etiam communi verbo & ad præcedentia relato idem benedictionis opus Deo simul & Angelo tribuitur, atque sic intelligitur benedictio illa ab Angelo sicut à Deo realiter confertur. Angelus itaque ille, à quo benedictionem petit Jacob, fuit verus Deus. ὅπερ ἐδει δεῖξαι.

XIV.

His ita demonstratis nullo negotio conficimus. 1. *Enjedini sophismata*, quibus hoc tam illustre oraculum evertere conatur: Ait 1. *probari non posse Angelum hunc esse Dei filium, 2. quatuor personas Trinitatis nos habituros, si Angelum illum accipere pro unâ divinâ personâ voluerimus, sequi enim, quod tres reliquas personas invocarit Jacobus Patriarcha vers. præced. ubi utitur verbo Elohim, complectente juxta sententiam nostrorum hominum Dei personas. 3. Ellipsin esse posse v.15 h.m. Et benedixit ipsi Ioseph, & ait, Deus in cuius conspectu ambulaverũt patres mei,* &c. benedicat tibi ô fili mi Joseph, *ut, quæ postea sequitur sit diversa benedictio nepotum, Angelus qui eruit me,* &c. 4. *Non statim esse creatorem à quo benedictio petitur & datur, siquidem etiam Iacobus & Esau benedictionem petierint & acceperint à patre Isaaco,* &c. Hæ machinæ Enjedini sunt, quibus nostram sententiam, quæ super petram fundata est, evertere satagit, frustra tamen: Quia (1.) Ante est evictum, Angelum hunc esse Dei filium, secundam Trinitatis personam, qui Angeli nomen propter causas supra dictas sibi in S.S. vendicat. (2.) Neque metuimus nobis ex asserto nostro quaternitatẽ personarũ in divinis, quia ipse Enjedinus in Gen. c. 1. contẽdit τὸ Elohim quandoq; significare unã personã, quid, si ergo h.l. idẽ significet? Et licet hoc loco significet non ἑνωτικῶς sed διαιρετικῶς, notetque tres personas, non tamen ideo quaternitas personarum metuenda. Potuisset enim Jacobus primò *Elohim*, Deum sc. in essentia vnum & personis trinum, pòst verò secundam illius Deitatis personam, *Angelum* nempe *illum* compellare: (3.) Neque necesse est hic Ellipsin fingere

fingere, cum unam eandemque benedictionem Josepho, & filijs Josephi, conferre voluerit Jacobus: Nam una eademque benedictione indigebant, reali sc. dativâ, & divinâ, quam uti Josepho, ita & Josephi filijs precatus est, alias divinâ & superiori Josephum, Angelicâ & inferiori Josephi filios donari voluisset, quod per absonum est: Tum etiam (4.) Non licet à creaturis realem benedictionem petere, sicut nec penes creaturas est, illam autoritative & αὐθεντικῶς conferre.

XV.

II. *Pontificiorum conamina*, quæ eo tendunt ut ex h. l. Invocationem Angelorum stabiliant: *Jacob*, inquiunt, *Angelum invocavit: Ergo idem nobis ejusdem exemplo facere licebit*: At vero Angelum invocavit Jacob, non creatum aliquem suique custodem, sed increatum, fœderis Angelum, & æternum Dei filium, qui *erat, antequam essent* Jacobus & *Abrahamus*, Joh. 8. 58. quem ejus exemplo invocare omnino tenemur. Angelos autem creatos, custodes, vigiles & *conservos* nostros nec Jacobi nec alterius pij exemplo probato invocare aut tenemur, aut jubemur, Et *licet*, quod Marius ad h. l. urget, *Deus per Angelos nos juvet & protegat, ab hominibus vero qui nos juvant, auxilium peti recte possit*, non tamen eadem est hominum viventium ratio, quibuscum nobis societas & conversatio civilis intercedit, quæ beatorum Angelorum, quibuscum nobis ejusmodi *civilis* societas non est. Illorum vocatio & conversatio nobis perspecta est, horum non item: Illorum interpellatio non sine mandato Dei est, nec religiosa est, nec sine probato exemplo est: Horum vero interpellatio & religiosa est, & sine Dei mandato, adeoque sine fide est, & sine probato exemplo est: Sic enim non ab Angelis sed ab Angelorum Domino custodiam Angelicam petere consueverunt, Gen. 24 7. 40. Tob. 5. 29. &c. Adeoque merito illa Angelorum invocatio à nostris Ecclesijs exposa est.

PLA-

Placet, vacante pagella Ethnici Poetæ versus adijcere, quibus causam reddit, quare Cœlici spiritus nobis familiares esse desinant.

PRÆSENTES namque ante domos inviſere caſtas
Cœlicolæ nondum ſpretâ pietate ſolebant;
Sed poſtquam tellus ſcelere eſt imbuta nefando,
Juſtitiamq; omnes cupidâ de mente fugarunt,
Perfudêre manus fraterno ſanguine fratres:
Deſtitit extinctos natus lugere parentes:
Optavit genitor primævi funera nati,
Liber ut innuptæ potiretur flore novercæ,
Ignaro mater ſubſternens ſe impia nato,
Impia non verita eſt Divos ſcelerare penates:
Omnia fanda nefanda, malo permixta furori:
Juſtificam nobis mentem avertêre Deorum.
Quare nec tales dignantur viſere cœtus,
Nec ſe contingi patiuntur lumine claro.

יהוה

De Idololatria

Disputatio VIII.

Quæ est

DE ANGELOLATRIA

Septima.

Punctum XIII.

De Principe Exercitus Jehovæ, Jos. 5. 13. seqq.

An sit Angelus creatus, &: An h. l. Josua Angelum creatum religiosè adorarit?

I.

QUarto: Factum *Josuæ* prætenditur, qui *principem exercitus Jehovæ* adoravit, Jos. 5. 13. 14. seqq. Videdum hic, Quis fuerit ille princeps, an creatus quispiam Angelus, an vero Angelus ille magnus consiliorum, omnium rerum creatarum, ipsorumque adeo Angelorũ princeps & Dominus. Exemplis quidem his hæc nostra definienda non est, sed legibus, mandatisque à Deo ritè præscriptis: Verumtamen hæc talia, quæ sacris Scripturis jampridem probata sunt, atq; jis ex adverso non contraveniunt, pro ridiculis haberi neutiquam possunt: Ergo & hic videndum, an Josua hoc facto quippiam Romanensium Angelolatriæ patrocinetur. Resp. Johannes Wilhelmus Laman Bilfeld. Westph.

II.

De Loco Visionis multa præmittere supervacaneum forte videri possit: Fuit is בירחו in *Jericho*, Jos. 5. 13 urbe Benjaminis 60. stadijs à Jordane, 10. à Galgalis, 150. ab Hierosolymis distante, prout Josephus autor est: Nomen accepit vel à ירח à *Lunâ*, forte, quod novilunium ibi primo omnium, ut quidam probabiliter

liter autumant, observatum, ad quod certo stipendio quidam, ut id observarent, eoque facto neomenias festum publice indicerent, conducti erant: vel à ריח ab *odore*, quòd fuerit, ut Ben Gorion appellat, עיר הריח *urbs odoris*, quia tractu jucundissimo, viretisq; & hortis delicioſissimis, rosarum optimarum, aliorumq; fructuum plenis coronata, insuper & *opobalsami ferax fuit, qui omnium cariſsimus fructus est ibi nascentium, itemque Cyprum & myrobalanum genuit, ut qui divinum esse*, (aut potius fuisse) *illum tractum dixerit*, Josepho judice, *non erraverit*: A palmarum generibus, quarum plurima tam sapore quam nominibus varia illic loci reperta, dicta est עיר התמרים *urbs palmarum*, Deut. 34. 3. Judic. 1. 16. c. 3. 13. 2. Paral. 28. 15. quarum *palmarum pinguissimæ calcibus pressæ plurimum mellis emittunt, non multo alio melle deterius, quanquam & mellis altrix est illa regio, &c. nec in alijs ei fructibus aliqua facile toto orbe regio certaverit, adeo multiplicatum, quod satum est, reddit.* Videatur Joseph. l. 4. Antiq. Jud. c. 5. l. 1. de Bello Jud. c. 16. l. 5. c. 3. Egesipp. l. 4. de excid. Hieros. cap. 16. & 17. Strabo l. 16. & alij. Quia autem non tam vitijs, quam divitijs hæc urbs abundavit, justo Dei judicio excisa, Jos. 6. 26. successu tamen temporis denuo restitui & habitari cæpta, Jud 3. 12. 2. Sam 10. 5. 1. Reg. 16. ult. 2. Reg. 2. 4. 5. 15. 18. 1. Macc. 9. 50. c. 16. 11. Luc 19. 1. muris insuper & præsidijs sub Herode infanticida adaucta, & novo nomine *Cyprus* dicta est, teste Josepho l. 1. de B. Jud. c. 16. Verum variante fortunâ à Romanis Hierosolymam obsidione cingentibus iterum excisa, iterumque sequioribus seculis excitata est, ut Hieronymi tempore etiamnũ Zachæi ἀρχιτελώνου ædibus & arbore συκομορέᾳ quam conscendens Christum vidit, Luc. 19. 4. non fuerit ignobilis. Hodie vero campos videre licet & rudera, ubi Jericho olim fuit, & præterea fermè nihil, uti oculati testes Breitenbach, Furerus, alijque in suis Itineribus testantur.

III.

Et in hujus urbis confinijs, hæc, de quâ acturi sumus, visio contigit: Non enim in ipsâ urbe, quæ *conclusa erat & munita ante faciem*

faciem filiorum Israel, ut nemo exiret & nemo intraret, Jos. 6. 1. sed extra urbem in ejus confinijs hanc visionem obtigisse necesse est: Adeoq; ב in בירחו hic vicinitatem notat, ut Jos. 10. 10. quod expressit recte Hieron. qui legit, *In agro urbis Jericho*; Aut *Jericho* hic significat *territorium* ejus, ut exponit R. David, solet enim quandoque de nomine urbis territorium urbis appellari. Verum hæc, uti dixi, supervacanea videri possent, adeoque ὡς ἐν παρόδῳ: Accingimur ad propositum.

IV.

Is, qui h. l. Josuæ insperato visus est, dicitur Vir in textu: *Ecce VIR stabat ei ex adverso*, Jos. 5. 13. Solet enim, *divina scriptura veratum rerum nomina aliquando tribuere rerum similitudinibus*; ut habet August. regula, l. 2. de Mirab. SS. cap. 9. præcipue quando sensus hominum secundum oculorum visa judicantium exprimit: Vir ergo dicitur, quia in Viri specie apparuit, adeoque Josuæ primum juxta externam speciem judicanti visus est Vir, etsi verè & propriè non fuerit Vir, sed *princeps exercitus Jehovæ*, &, uti Chaldæus מַלְאַךְ יְיָ, *Angelus missus à Domino*. Hic ergo quis fuerit, dispiciendum.

V.

Theodoret q. 4. in Jos. pag. 71. edit. Colon. negat, fuisse verbum divinum, & contra asserit, fuisse *Angelum creatum*, cujus sententiam Lyranus, Abulensis, Serarius, Sallianus, Bellarminus, Becanus, alijque Dd. Pontificij multo hactenus conatu propugnarunt: Est enim hæc *communior hodiè sententia, cum bonus aliquis spiritus sub hominis forma in Scripturis apparuit, repræsentari quidem aliquando Deum hominem vel Angelum, ut res ipsa tulerit, personam tamen repræsentantem semper esse Angelum, nunquam autem Deum, qui infima per media sapiente providentia dispenset*, ut Tom. II. Annal. ad an. 2584. n. 87 p. 292. ait Sallianus. Speciatim vero Tostadus probabile putat, *quod iste* Angelus *fuerit Gabriel, quia iste specialiorem curam gerebat de Judæis, quam alij Angeli, nam quanquam alij essent*

principes Judæorum & Michaël de principibus magnis, nullus agebat causam Judæorum pugnans contra principem Persarum nisi Gabriel: Et si objiciatur de Michaële respondendum est, quod ille non erat principaliter curam gerens aut causam agens contra principem Persarum, sed erat fautor & adjutor Gabrielis, ut patet Dan. 10. & ecce Michaël, unus de principibus primis venit in adjutorium meum, & iterum in fine ejusd. cap dicitur, Et nemo est adjutor meus in omnibus nisi Michaël princeps vester, Erat ego Gabriel curam principalem agens gentis Hebræorum, unde ipsi videtur convenire, quod nunc veneris auxiliator Judæorum. Hæc & alia pl. Tostad. Tom. 5. oper. comm. in Jos. cap. 5 q. 71. p. 164. Theodoretus vero cit. l. arbitratur fuisse Michaëlem Archangelũ: *Ego autem arbitror*, inquit, *esse Michaëlem Archangelum, ubi enim deliquissent, dixit Deus Universorum: Non ascendam tecum quia populus sit duræ cervicis, sed mittam Angelum meum ante faciem tuam, qui præcedet te: Hunc puto modo conspectum fuisse ab Iesu bono animo illum esse, jubentem & certiorem facientem de suppetijs.* Theodoretum secutus & uti autumat, ipsos quoq; Hebræos, Lyranus in h. l. *Dicunt*, ait, *Hebrei, quod iste fuit Michaël, & rationabiliter, eo quod Danieli dictum fuit, Dan. 10. Nemo est adjutor meus nisi Michaël princeps noster*, &c. Perer. in c. 3. Exod l. 6. p. 166. *verisimile* ait *sibi admodum fieri eum fuisse Archangelum Michaëlem, qui & in rubo apparuit Mosi & post in monte Sinai itemq; apparuit Josue cum introducturus erat Hebræum populum in terram promissionis.* Et ita alij plerique cum Theodoret. Lyran. Pererio, quos in hanc sententiam refert Seratius hic admodum operosus, quæst. 40. & 41. in cap. 5. Jos. Rationem communiter hanc afferunt, quod Epitheton *principis Exercitus Jehovæ* omnium optimè quadret in Michaëlem, qui sit *princeps* ille *magnus stans pro filijs populi Israëlitici*, Dan. 12. 1. *unus è principibus primis*, Dan. 10. 13. quem Angeli boni principem agnoscant, quia dicantur *Angeli Michaëlis*, Apocal. 12. 7. qui protector fuerit non solum Synagogæ Iudæorum sed & princeps reliquorum Angelorum, & *supremi Angelici exercitus pro Deo Imperator*, uti docent Bellarm. l. 2. de Pontif. cap. 9. Blas. in cap. 12. Apocal. sectione 18. Becan. tom. 1. Opusc. 14. cap. 4. p. 105. alijque. Hinc illa Michaelis elogia sunt orta, quod sit *dux superiorum spirituum, qui dignitate & hono-*

& honoribus prælatus sit cæteris omnibus spiritibus supernis, ut ex quadam Basilij de Angelis Homil. referunt, *quod S. Spiritibus prælatus sit Michaël sicut Lucifer malis*, ut ex Laurent. Iustiniani serm. de Mich. refert Becanus, quod sit *cœlestis militiæ princeps*, juxta Liturgiam S. Chrysost. *cœlestis militiæ princeps Michael, rogamus te nũc indigni, ut tuis intercessionibus munias nos*, &c. quod sit *primas cœlestis exercitus*, prout in communi Hymno canunt: *Collaudamus Venerantes; Omnes cœli milites; sed præcipuè primatem: Cœlestis exercitus; Michaelem in virtute; conterentem Zabulon.* Et ideo, ait Catharinus *eum in litaniis primum post B. Virginem invocari*, & *quod nonnulli asserunt, B. Michaelem tanquam principem Angelorum, & protectorem omnium fidelium in extremo die judicij inflaturum tubam, & omnes ad tribunal Christi convocaturum*, uti refert Becanus cit. l. p. 106. §. 12.

VI.

Veruntamen *hunc* (Angelum sive principem) *fuisse Deum aut Christum Dominum plerique antiquorum censuerunt*, non diffitente Salliano, *sub humana forma, ut plerisque etiam alijs in locis*, visum: Præter ea veterum testimonia, quæ in hanc rem superius observata sunt, pauca addo: Justini Mart. dialog. cum Tryphon. Iud. p. 221. *Fuit, quando archiducem* (ἀρχιστράτηγὸν) *seipsum dixit*, (λόγῳ sive verbum) *in hominis forma Josuæ Nave filio apparens.* Origenis in homil. 6. in cap. 5. Jos. p. 187. edit. Paris. *Cognovit ergo Jesus non solum quod ex Deo est, sed quia Deus est: Non enim adorasset nisi agnovisset Deum. Quis enim alius est princeps militiæ virtutum Domini nisi Dominus noster Jesus Christus? Omnis namque cœli militia, sive Angeli, sive Archangeli, sive virtutes sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia hæc quæ per ipsum facta sunt, sub ipso principe militant, qui est principum princeps, & qui largitur principibus principatum.* Eusebij, cujus locus notatu dignus est l. 1. Hist. Eccles. c. 2. p. 4. *Quinetiam ne fas quidem esse, visiones illas DEUM REPRÆSENTANTES, quæ sunt sacris literis proditæ, Angelis voluntati Dei inservientibus, ejusque sedulo obeuntibus ministeria attribuendas esse, quandoquidem, cum quispiam ex istorum numero hominibus visus sit, non exultat sane scriptura, sed nominatim Angelum non Deum, neque Domi-*

num hominibus locutum esse asseverat, sicut infinitis scripturarum testimonijs est comprobatu perfacile. Jesus praterea Mosis successor, eum cum non alia, quam humana formâ ac specie sibi apparentem conspicaretur, ut pote cœlestium Angelorum, Archangelorum sublimiumque potestatum Ducem, & cum Patre virtute & sapientiâ ex æquo insignem, & in universarum rerum regno ac principatu secundas à Patre obtinentem, summum exercitus Domini Imperatorem appellat, &c. Horum Dd. sententiam amplexus And. teas Masius, scriptor Pontificius in suo ad Jos. Comment. pag. 5. *Eum, Angelum,* inquit, *esse puto, non Michaelem, verum æternum Dei filium & perpetuum principem, directorem que populi Dei; Quanquam enim tum demum proprie nuntius Patris ille factus est, κατ' οἰκονομίαν, cum ex beata Virgine carnem indutus planè ad nos accessit, & in terris visus, atque nobiscum versatus est, tamen inde à condito lapsoque Adamo ejus perpetua curatio fuit, humanum genus Patri reconciliare, atque Ecclesiæ sanctæ religionem constituere, ut rectè, etiam antequam homo esset factus, Dei Angelus sit vocatus, cum per eum Deus Pater de rebus omnibus semper cum mortalibus communicaverit.* Hæc Masius, qui hæc ipsa quæ dicit, priscorum Hebreorum, ex Comment. Tanhuma & R. Gervndensi. testimonijs insuper confirmat. Et ab his *plerisque antiquorum* neque nos temere & sine ratione dissentimus, adeoque persuasi sumus penitus, Principem hunc Exercitus Jehovæ, qui Josuæ h. l apparuit, non fuisse ex ordine creatorum Angelorum, non Michaelem (si modo is sit creatus) non Gabrielem, non quenquam alium; sed esse ipsum Jehovam & Dei filium, cœlestis exercitus principem supremum & omnis creaturæ Dominum, quod ne frustra dixisse videamur tribus rationibus demonstratum imus.

VII.

Prima ratio petita est à *Denominatione*: Is enim qui hîc apparet, duo potissimum nomina gerit, quorum utrumque indicat esse verum & æternum Deum: Dicitur I. שר צבא־יהוה, ἀρχιστράτηγος δυνάμεως κυρίου, *Princeps exercitus Jehovæ*, Jos. 5. 14. 15. Cum enim Josua in agro Hierichuntino oppugnandæ urbi locum opportunum speculatum iret, aut rerum agendarum medi-

meditatione in planitie ista detineretur, hic ei lætus nuncius bellique conficiendi moderator ὑπὸ μηχανῆς oblatus, quem etsi augusta specie insignem, Iosue tamen forti & confidenti animo affatus: *Num noster tu es*, inquit, *an adversariorum?* sive ut Chaldæus explanat: *Num ut nobis opem ferres, venisti, an ut hostibus nostris?* Cui interrogato ut responderet, qui apparebat, primùm falsam animo opinionem eximere voluit, qui arbitrabatur merum hominem esse: Ait ergo se non esse eum quem arbitretur Josua, hominem sc. sive Cananeum sive Ebreum: *Non sum*, inquit, sc. is, quem tu me arbitraris esse, sed *sum princeps exercitus Jehovæ*, summus Imperator exercitus Domini, qui inter alios Duces primum locum obtinet. Ut vero, quid isthoc epitheto sibi tribuat, penitius cognoscatur, advertendum: Nomen צבא, quod vulgo *Exercitum* vertunt, multitudinem ad militandum ordine certo dispositam proprie significare: Radix צבא significat turmatim congregari, ad militiam præsertim, in militia ordine, loco & tempore constituto stare: translatitie vero, turmatim convenire ob aliam causam, ac e. g. ob cultum divinum: quomodo Levitæ dicuntur *militare militiam* ut Vatabl. legit, hoc est, *munere* suo perfungi in cultu tabernaculi Ecclesiæ. Num. 8. 24. c. 4. 23. &c. quo sensu Paulus voce στρατεία, *militiæ* videtur usus, 2. Corinth. 10. 4. 1. Timoth. 1. 18. Sic Exod. 38. 8. fit mentio נשי הצבאת אשר צבאו, *mulierum convenientium, qui conveniebant ad ostium tabernaculi Ecclesiæ*, ubi plurimi sunt, qui intelligunt *mulieres religiosas*, quæ ex singulis tribubus ad tabernaculum per vices convenerint, ibique tum jejunijs, orationibus, alijsque pietatis operis vacarint, tum ad certum militiæ Ecclesiasticæ genus deputatæ, aquas portarint, victimas laverint, manualibus operis artifices tabernaculi juverint, puellarū institutioni præfectæ sint, &c. Verum simplicius & melius intelliguntur *mulieres Hebreæ* in genere, *turmatim & certatim convenientes*, quæ ut Philo ait, *specula ad quæ formam curare solitæ erant, sponte, nemine jubente, Deo dedicaverant*. Nomen vero צבא ab hac rad. deductum, etsi, uti dixi, proprie *Exercitum* significet, seu *stationem quæ certo ordine aut tempore constituitur in bello* aut prælio, quicquid tamen aut standi aut ingre-

ngrediendi, faciendive ordinem præscriptum servat, aut certum definitumque ordinem significat, hoc nomine dici consuevit: Inde per translationem significat I. aliquando *tempus constitutum, ordinatum, definitum*, ut Es. 40. 2. *Completa est* צבא, Vatabl. *tempus ejus*, tempus sc. *laborum, captivitatis & veteris legis*, ut exponit Pintus, vel potius ut Vatabl. *advenit tempus visitationis & auxilij, in quo acceptura est consolationem*: Et ita & cum R. Mardochai Pagnin. & Vatabl. exponunt illud: Job. 7. 1. *Militia est vita hominis*, hoc est, *tempus determinatum est homini*, sicut & cap. 14. 14. *diebus quibus milito*, hoc est: *diebus temporis mei*: Rationem translationis quidam reddunt hanc, quod vel certo & determinato anni tempore exerceri soleat militia, vel, quod non quævis ætas apta militiæ, sed determinata & certa, Israelitæ enim asscribebantur à viginti annis & supra, Numer. 1. 3. sicut & Levitæ à viginti quinque annis ad tyrocinium primum veniebant, & observabant rationem militiæ sive ministerij, Num. 8. 24. ab anno vero trigesimo munus suum plenè exequebantur ad quinquagesimum usque, Numer. 4. 3. 47. Apud Romanos annis æt. 17. vel etiam 16 asscribi militiæ poterant, ut Livius autor est, Decad. 3. imo vero qui ad 15. annum pervenissent, scribi milites poterant, ut ex Varrone constat, qui natos annos quindecim dicit esse *ex catalogo*, hoc est, tabulâ in quam per numerum milites scribebantur: Majores vero annis 46. militiæ ineptos judicabant nisi in Reip. necessitate, ut est apud Polyb. l. 6 & ij dicebantur esse *Ultra catalogum*, &c. Quandoque II. nomen צבא ordinem aut *res personasve certo ordine bene dispositas & aptatas* designat. Ita sumit Tremell. in illo Num. 4. 3. *Recenseto omnem aptum ad obeundum hanc militiam*: ubi *simplicius*, inquit, *fore videtur istud, si militiæ nomine ordinem intelligamus quasi militarem, quem sacerdotes æque ac alij tenebantur cum Levitis observare, mandato Dei ad commoditatem cultus honestatemque publicam, quomodo etiam forensis militia in jure, & militia urbana Ciceroni pro Muræna dicitur*. Sic etiam (2.) Stellæ dicuntur צבא השמים, κόσμος τοῦ οὐρανοῦ, *exercitus cœli*, Deut. 4. 18. cap. 17. 3. 2. Reg. 21. 3. 5. Es. 45. 12. &c. στρατὰ τοῦ οὐρανοῦ, Actor. 7. 42. non solum quia radiantia

diantia ista sidera, quibus cœli chorum comtum & coronatum sudâ tempestate visimus, sunt τὸ κόσμῳ κόσμος, & uti vocem צבא ex Sept. quandoque Vulgatus vertit, *ornatus* hujus universi, sed etiam, quia certo ordine & statione quasi militari distributæ, indeflexo certo & stato cursu meatus longe ordinatissimos divinis vicibus perficiunt, & quasi milites quidam in summâ cœli speculâ excubias agentes continuo castrametantur, certoque ordine & quasi per vices à Deo educuntur, Es.40.12. Quo sensu etiam Solem aut Lunam, aut stellas præcipuas, aut stellam quandam magnam in cœlo quæ multitudini reliquarum præesse videtur, Idololatræ appellant *Reginam cœli*, Ier.7.18.cap.44.17 18.19. ubi tamen docti quidam Hebræi autumant voci למלכת de-esse א ut sit positum pro למלאכת, hoc est, *opificio* sive *operi cœli*, hoc est, cœlo ipsi: (3.) Alibi quoq; in SS. Angelorum multitudo dicitur צבא חשמים στρατιὰ τοῦ οὐρανοῦ, *exercitus cœlorum* stans juxta Dominum à dextra ejus & à sinistra ejus, 1.Reg. 22.19. στρατιὰ οὐράνιος, *exercitus cœlestis*, Luc.2.13. δυνάμεως κυρίου, *exercitus Jehovæ*, Psal.103.21. Est enim in Angelis triplex exercitus proprietas, ordo delectabilis, fortitudo insignis, majestas admirabilis. Quo etiam referunt quidam Nehem.9 6. ubi per *exercitus cœlorum*, δυνάμεις καὶ στρατιὰς τῶν οὐρανῶν, quorum ibi mentio fit, *Hebræi intelligunt universam multitudinem stellarum, Latini autem multitudinem tam stellarum, quam spirituum cœlestium*, sicut ait Vatabl. in illum l. Item Genes 2.1. ubi *perfecti* dicuntur *cœli & terra & omnis exercitus eorum*: Hebr. וכל צבאם, Mercerus alijque hic notarunt, Hebræos per *exercitum cœli* duo luminaria, & alia cœli sidera, tum etiam Angelos & animas hominum intelligere: Menasseh Ben Israel tradi dicit in Midras a-Nehelam, quod *exercitus sint stellæ & Angeli*, cum primis vero addit, *Angelos esse exercitum cœli*, probl.24. pag.94. ex quo probabiliter quidam colligunt Mosen in hac recapitulatione operum Dei voluisse creationem Angelorum inferere, præcipue quod alibi scriptura sui interpres innuat, quod sint cœlorum exercitus, ubi Angelos hoc nomine dignatur, Drusius quoque in Præterit.

libr. 1. p. 53 & l. 3. p. 85. per *virtutes*, hoc est, ut ipse exponit, *exercitus cœlorum*, Matth. 24. 29. ait intelligi *copiæ cœlestes, id est Angelos, qui Hebræis* צבאות השמים *unde* κύριος δυνάμεων, *Dominus virtutum i.e. exercituum* τῶν στρατιῶν *aut* στρατευμάτων. (4.) Dicitur quoque populus Israelis in scripturâ vel *exercitus* absolute, Dan. 8. 12. *Exercitus oppositus est defectioni contra jugem cultum*, h.e. ut exponit Tremell. *populus Dei vi dolo & modis omnibus solicitatus est, multique adducti (sub Antiocho) ut deficerent à legitimo Dei cultu & ad gentium nefarios ritus transfugerent*. R. Joseph. Ben Iach. in paraphrasi dicit designari *impios Israelitas, sc. Apostatas, qui erant è commemorato exercitu, & consilia suggerebant, ut prævaricarentur adversus juge sacrificium & ut porcos mactarent atque super altare offerrent, etiam ut dejicerent in terram veritatem i.e. legis librum qui erat in templo, &c. Exercitus autem illorum apostatarum consilio suo fecit omnia hæc opera mala & prosperatus fuit*, Mercerus in cap. 7. Iobi vers. 1. nomen צבא hoc loco Danielis ait usurpari pro statu & præfixo temporis spatio, & præscripto termino, adeoque esse vertendum: *Et certum tempus datum est defectioni contra jugem cultum*: verum hanc significationem non videtur admittere versus sequens ubi dicitur: *Quousque exponetur & sanctitas & exercitus conculcationi?* quæ locutio hoc quidem loco vocem צבא non de tempore sed de populo exponendam esse suadet. Vel dicitur populus Israëlis cum addito *Exercitus Jehovæ*, Exod 12 41. *Egressi sunt omnes exercitus Jehovæ è terra Misraim*, Utut enim Israelitæ videri potuissent cõfusa moles & ἀναρχία miserorum hominum colluvies, quæ neque legibus neque consilijs neque ordine gauderet, neque certos magistratus haberet, Erant tamen *exercitus Domini*, quorum Deus Imperator erat quosque suo spiritu auxilio & præpotente brachio dirigebat atque gubernabat: Quidam insuper statuunt Israelitas esse, qui dicuntur *exercitus excelsi*, Es. 24. 21. *In die illa visitabit Jehova exercitum excelsi*, hoc est, Vatablo Interprete, *exercitum Israelis, quem Dominus cunctis alijs nationibus prætulerat, donatum lege maximisque beneficijs q.d. affliget Israelitas in excelso sive in terrâ sancta*. Tremell. de summis Regi-

bus,

bus, Pineda de templi & mysteriorum cœlestium ministris, eo quod illi etiam in scripturis militare dicantur, Hector Pintus de cœli sideribus, alij de dæmonibus sive principibus hujus seculi, alij denique aliter, etsi non satis intelligenter, hunc exercitum excelsi exponunt. Huic significato affine est, quod 5. Ecclesia & cœtus fidelium Deo dilectus etiam dicatur στρατεύεσθαι ἐν τῷ οὐρανῷ, Apoc. 19 14. *Exercitus in cœlo sequebantur eum*, quos Interpp. vel de Angelis vel de Ecclesia, vel de utroque simul exponere solent: Ita & Dan. 8. 10. *Magnificavit se contra exercitum cœli*, quod Iachiades exponit de *genere Israelitico, quod est portio cœlorum*, Zach. 2. 12. *quia portio Dei est populus ejus*, alij tamen de pijs Iudæis sive Ecclesia Dei in Iudæa olim collecta speciatim intelligunt, quod sc. Antiochus irruiturus sit in *exercitum cœlorum*, h. e. Ecclesiam Dei, sub Deo Imperatore, & Christo duce in his terris militias agentem, & non tantum in viros tenues & plebejos sed ipsas etiam hujus cœli *stellas*, viros sc. in Reip. & Ecclesiæ gubernatione illustres grassaturus, eosque *in terram dejecturus* sit, ut ibi textus habet. Et sane leviculum non est, quod Ecclesia Dei *exercitus* dici consuevit, sit illud tum *propter ordinem*, & disciplinam pulcerrimam, utut videatur sapientibus hujus seculi confusum chaos, rudis indigestaque moles, tum *propter fortitudinem* & majestatem, quia terribilis est sicut castrorum acies ordinatæ. Cant. 6. 4. ubi Deus potentiam suam in infirmitate perficit, 2. Cor. 12. 9. tum *propter militiæ rationem*: Quotquot in hunc cœtum asscribuntur, militiæ consecrantur, milites fiunt, prælia tentant, bella designant, ubi Christus dux, Deus Imperator, crux vexillum, Diabolus & mundus hostes, fides per virtutes efficax armatura & clypeus, exitus mors, præmium & βραβεῖον vita æterna est.

VIII.

His vero omnibus non sine ratione præmissis, ad rem præsentem ea, quæ diximus, applicamus: *Quis enim*, inquies, *est ille exercitus Jehovæ, cujus sese Principem profitetur h. l. Angelus ille à Domino missus?* Aliter quidem atque aliter hic ab Interpp. est scriptum dictumve, sed sensu incommodo & à scopo nostro alieno ferme nihil: Quidam Angelos, alij populum Israelis, alij conjunctim

tum Dei populum tum Angelos, alij denique creaturas omnes tam cœlestes quam terrestres per hunc Iehovæ exercitum intelligi volunt, quia hæc omnia, sive Angelos velis, sive Dei populum, sive creaturas alias, exercitum Iehovæ in SS. dici non sit infrequens. Omnium maximè tamen mihi probabile fit, intelligi per exercitum Iehovæ *populum Israelis*, quia ut opitulator hic princeps apparuit, qui Iosuam meditabundum & in ipso terræ Cananeæ ingressu de victoria fortassis fluctuantem erigere, & his verbis, (quod sit princeps exercitus Domini) quasi certiorem facere voluit, se jam in occupatione terræ populum suum non deseruisse, quin potius promissis stare, Jos. 1. 6. & adesse principem atque Ducem illius *exercitus*, uti & ante fuerit. Sicut enim in exitu Israelitarum ex Ægypto populus Dei dicitur *exercitus Jehovæ*, uti dictum ex Exod. 12. 41. ut constaret, Deum esse, qui suo auxilio, suis legibus, suo consilio & præpotenti brachio hunc populum tanquam Imperator duceret ex Ægypto, juvaret & moderaretur: Ita & probabile fit, hic in ingressu terræ Canaan eodem epitheto Israelitas decorari, ut itidem intelligatur, Dei ope & ductu fieri hæc omnia, Deum esse, qui tanquam summus sui populi Imperator pro nutu copias istas hactenus rexerit, suaque manu jam porro contra hostes defensurus, & in promissum solum introducturus sit, ut ita non opus sit Iosuam animo labi, aut de felici rerum successu fluctuare, &c. Nec tamen repugno, quin *una* intelligantur Angeli, exercitus illi cœlestes, quorum ministerio hic quoque summus populi Dei Imperator ad propositum conficiendum, tutandâsque suas copias pro arbitrio usus est. Nihil enim hinc decedit proposito nostro.

IX.

Nam sive Angelos, sive populum Dei, sive utrumque, &c. hic intelligas, propositum feliciter conficimus: Dicito mecum esse Israelitas illum exercitum Iehovæ, & fateberis, oportet, præter filium Dei neminem fuisse, qui princeps *h. e.* dux & moderator fuerit populi Israelitici, suaque autoritate & potestate illum direxerit atque deduxerit. Hic enim necesse est, ut is, qui

Mosi

Mosi apparuit in rubo & liberationem præmisit, Exod 3. 2. seqq. qui populum Israelis ex Ægypto eduxit, Num. 20. 16. in columnâ præcessit, Exod. 14. 19. cap. 32. 34. in via custodivit, & ex Dei promisso in locum præparatum introducere debuit, quemque ut ducem audire & revereri jussus est, Exod. 23. 20. 21. ut is, inquam sit princeps ille exercitus Domini qui hic apparet: Cur enim non idem ille qui Mosis principatu præibat populo, hic quoque Iosuâ imperij vices tenente ducem populi sese præstare & appellare existimabitur? Præcipue quod Moses testetur frustra fore omnes populi conatus, frustra omnes in terra promissa successus, nisi facies Domini præeat, & hic populi dux populum regat, Exod. 33. 15. Neque ratio est, quare se principem exercitus Domini, h. e. populi Dei appellet, nisi quod ante ut dux exercitui illi semper præfuerit. At vero Iehovah est & verus Deus, qui præcessit, duxit, deduxit, &c. uti evictum est, ante disp. 6 punct. 11. th. 13. p. 233 seqq Iehovah inquam is, cui *Angeli* nomen competit, quiq; populo in deserto præivit, ipse sc. Dei filius, 1. Corint. 10, 9. uti dictum, p. 239. th. 24 ejusd. disp. Iehova ergo, qui Angelus simul Iehovæ & Dei filius est, is ipsus est, qui h. l. dicitur Princeps exercitus Iehovæ.

X.

Insuper: Qui alibi dicitur Princeps *Exercitus cœli*, Dan 8. 11. h. e. Israelitarum qui colunt Deum cœli, is h. l. etiam est princeps *exercitus Jehovæ*; sicut enim ibi exercitus cœli ita hic exercitus Iehovæ significat Israelitas, quorum unus est & idem princeps: At vero summus & æternus Deus est, qui Dan. 8. 11. dicitur princeps exercitus cœli: ut qui se *principem principum* nominat, eodem cap. v. 25. *Significatur* ait R. Iachiades, *superbivisse contra Deum qui est Dominus Israelis & princeps ejus.* Et paulo post: *Tandem ipsius superbia incitabit eum* (Antiochum) *ut etiam principi principum obsistat, nimirum Deo, Regi Regum benedicto.* Neque aliter ferme ad h. l. Interpretes. Summus ergo & æternus Deus est itidem is, qui h. l. dicitur princeps Exercitus Iehovæ.

XI.

Si vero per Exercitum Iehovæ Angelos cum quibusdam aliis intelligere placeat, nihilominus opinio nostra in salvo est: Præter Deum enim non est in scripturis, cui augustus ille titulus conveniat, ut dicatur Princeps Angelorũ h.e. Dominus, dux, Imperator: *Quis enim alius*, ait Origen. *princeps est militiæ Virtutum Domini, nisi Dominus noster Jesus Christus? Omnis namque cœli militia sive Angeli sive Archangeli sive virtutes sive dominationes sive principatus sive potestates, omnia hæc quæ per ipsum facta sunt, sub ipso principe militant, qui est principum princeps, & qui largitur principibus principatum.* Principes Angelos dici audio, ex Dan. 10. 13. cap. 12. 1. (de quo suo loco dicetur) sed Angelorum principem dici quempiam ex ijs, qui creati Angeli sunt, nondum probari video: sunt enim Angeli, exercitus *Dei*, Psal 103. 21. Angeli *Jehovæ*, Psal. 34. 8. Psal. 91. 11. Angeli *Dei*, Actor 27. 23. ministri *Dei*, Psal. 104. 4. &c. quia summi in illos imperium est Iehovæ, non vero Angeli cujuspiam creati: Non enim etsi superioritatis ut ita loquar & ordinis quidam gradus sint inter Angelos ut alij sint Angeli, alij Archangeli, &c. ideo imperium cum jurisdictione quadam uni Angelo in alium competere necesse est: Aliud enim superioritas est, sive dignitas & eminentia, quæ major minorve potest esse in Angelis, aliud superioritas, cum jurisdictione & potestate juncta, de qua ex scripturis, quod uni Angelo v.g in reliquos competat nil certi statui potest, sobrie verò & ex Dei verbo, non ex rationis nostræ cœco arbitrio de Angelis sentiendum est. De Michaele & *Angelis ejus*, Apoc 12. 7. item de Diabolo & *Angelis ejus*, Matth. 25. 41. infra in disp. de Præsidijs Angelorum, cum Deo, dicendi locus erit, ubi hæc uberius & planius proponemus.

XII.

Porro καθ' ἄνθρωπον argumentor: Posito quod princeps ille exercitus Domini sit *princeps Angelorum, qui vocantur exercitus, erit iste nobilissimus inter Angelos, quia principatus semper in ordinatissimis politijs traditur nobilissimo, & tunc esset aliquis de Seraphim,*

qui

qui tenent superiorem ordinem & excellentiam inter Angelos: sed principem omnium Angelorum mitti ad Josue nihil attinebat, quia non habebat specialem curam populi illius, potissime quia Spiritus de supremis ordinibus non mittuntur aut raro, vel si mittantur est hoc ad aliquem actum convenientem ordini suo, sicut fuit de Seraphim qui volavit ad Isaiam, ut patet Is. 6. &c. Quæ Tostadi verba sunt, q 70. tom. 5. p. 1. pag. 163. 164. Huc facit assertio Gregorij l. 17 c. 7. & Homil. 34. in Euangel. & Thomæ, qui illum secutus est, p 1. q. 112. quod Angelorum alij sint assistentes alij ministrantes, quorum illi Deo semper assistant in cœlis, & ordine non mutabili *sic contemplatione intima perfruantur, ut ad explenda foras opera minimè mittantur*: Hi vero officij causa à Deo mittantur, ad nos descendant, & *ad explenda officia nunciorum veniant*, ut ait Gregor. Quia vero quatuor ordines superiores, Seraphin, Cherubin, Throni, & Dominationes, in hac opinione, sunt Angelorum assistentium, quinque inferiores ministrantium, princeps Angelorum, & nobilissimus inter istos, quia ex ordine assistentium est juxta Thomam, ad Israelitas mitti non potuit, eo quod Angeli assistentes nunquam ministrent aut ad nos veniant, atq; sic ille, qui Iosuæ hoc loco missus apparet, ex illorum ordine esse nequit: non ex ordine assistentium, quia illi nunquam mittuntur: non ex ordine ministrantium, quia fuit princeps Angelorum.

XIII.

Dicitur porro &11. Angelus hic nomine tetragrammato יהוה cap. 6. v. 2. quòd nomen in casu recto soli vero Deo in SS. vendicari jam sæpe est demonstratum: ubi h. l. tacere non possum observationem Tostadi, quam habet in c. 4. Ios q. 2. ubi *generaliter*, ait, *in toto veteri Testamento Angelus apparens in assumta formâ nunquam vocatur Deus, sed Angelus vel vir, causa hujus est, quia Deus tollere voluit Israelitis Idololatriam, quæ est in cultu rerũ per Imagines, &c. & si Angelus in assumto corpore apparens Deum se vocaret, non decuit Angelum qui se Deum vocaret, vel loqueretur tanquam Deus, apparere in ulla assumta figura*, &c. *Quando tamen apparebat Angelus in assumta figura, & dicebat se Angelum, non existebat ista occasio ad idololatriam, quia*

quia cum ille se Angelum proderet, Israelitæ scirent Angelum non esse colendum, non fabricarent ei imaginem aut similitudinem, secus si se Deum diceret. Hæc Tostadus, etsi non bene memor sui ipsius, è quibus patefit, dari juxta hanc sententiam occasionem ad idololatriam, si Angelus creatus sese Iehovam vocet, quia is, qui in SS dicitur Iehovah, cultu latriæ colendus, adeoque & Angelus Iehovam sese appellans homines ad idololatriam eo ipso invitet & sollicitet, quod absonum sit de bono Angelo cogitare, adeoq; & absurdum, asserere, Angelos uspiam sese vocare in SS. Iehovam, quod occasionem secus præbeant idololatriæ, uti Tostadus h. l. arguit: Neque est, ut hic cogitet quispiam, illum exercitus Iehovæ principem postquam Iosuæ apparuerat, subito evanuisse, & post aut alia novâ visione Iehovam apparuisse, aut hæc, quæ cap. 6. sequuntur, effata, non auribus Iosuæ, sed menti indidisse: Nam continuata serie caput hoc eum præced. connectitur, & eadem prorsus utrinque apparitio ejusque modus describitur. *Cum enim Sacra scriptura descripserit apparitionem & ejus apparatum debuit describere, quid inde secutum sit, alioquin apparitio frustra describitur. Dicendum ergo est, quod ea quæ locutus fuit Angelus, sint ea quæ habentur seq. cap. de lustratione Jericho per septem dies, & consonat valde, tum quia immediate ponuntur post istam apparitionem, tum quia consonat apparatui Angeli apparentis, ipse enim in bellico apparuit cultu, sc. habens evaginatum gladium & ita sequuntur verba notantia robur, sc. Ecce tradidi in manu tua Jericho*, &c. ut colligit Tostad. cit. l. q. 78. p. 166. Et cap. 6. q. 2. annectit, *Dicendum est eundem* (Angelum qui supra apparuit Iosuæ) *hæc dixisse, imo nisi ista dixisset, nihil diceret*, &c. Idem ergo qui cap. 5. 14. sese principem exercitus Iehovæ vocarat, hic dicitur Iehova, adeoque est verus Deus, ὁ ὢν ἐδαιδάξατο.

XIV.

Secunda ratio sumta est ab *operis mere divini Attributione*: Hic enim princeps *mox cruenta bella facturo evaginatum gladium tenens apparet*, ut Rupert. ait, ut sc. intelligat Iosua, cujus auspicijs prosperi bellorum exitus tribuendi sint, & sciat certissimam hostibus perniciem instare: Gladius enim priscis symbolū & omen inimicitiarum

citiarum & mortis erat, dictus q. *cladius* à clade, *quod cladem inferat hostibus*, ut Varro ait, Unde omnium maximum priscis, Pierio autore, juramentum fuit, *ventum & acinacem* (Medorum gladium) *attestari*, per ventum quidem animam aut vitam per acinacem vero interitum aut salutem; ut in quo salutis præsidia statuerent, interpretantibus: Ita Helvidius Pertinax triduo ante quam occideretur, visus est homine sibi videre qui eum gladio insectabatur: Galba quoque *Neronis nece cognitâ & susceptâ Cæsaris appellatione iter ingressus est paludatus, pugione ante pectus è cervicibus dependente, usu togæ non prius recuperato, quam omnes, quibus novas moliebantur, oppressisset*, ut Suetonius refert in Galba c. 11. Sicut & in secretis Caligulæ post ejus necem duo libelli reperti, *in quibus nomina morti destinatorum continebantur: Præscripti vero erant diverso titulo, alteri Gladius, alteri Pugio nomen erat, per hunc eos qui clam opprimendi erant, intelligebat, per Gladium, quos palam cædere destinasset, moliebatur enim princeps carnificinæ deditus electissimum quemque utriusque ordinis interimere, mox Antium, inde Alexandriam commigrare*, ut pariter Sueton. in Caligul. narrat c. 49. Huc referri potest, quod Angelus Bileamo apparuit *gladio evaginato*, Num. 22. 13. & quod Christus ita sese videndum præbet, ut ῥομφαία δίστομος, *bisacuta framea*, uti quidam vertunt, *ex ore ejus procedat*, Apoc. 1. 16. c. 2. 12. c. 19. 15. ad designandam *peremptoriam judicis contra impios sententiam*, ut exponit Andreas Cæsar. in cap. 2. Apocal. Gladio itaque evaginato instructus Josuæ apparet hic princeps, ut hoc q. symbolo militari novitij ducis animum firmaret, qui in ista sublimitate nondum ardua bella confecerat, populumque, in ipso terræ ingressu, ubi cominus & eminus, à fronte & à tergo hostes erant, erigeret, ne spem penitus omnem expectorarent, eo quod à Deo belli dux & Imperator ad conficiendum gladio hostes missus esset. Ideo affatus Josuam: *Nunc*, inquit, *venio*, (non ad increpandũ Judæos, quod legem Dei non observarint, ut quidam Judæi putant, neq; ideo, quod Moses recipere illum noluerit, ut noviter nunc ad Josuam, venire sit necesse, quemadmodum R. Salomon teste Tostat. nugatur,) sed nũc venio ad auxiliandum, & præliandum pro populo meo; Etsi enim ante princeps iste populum Israelis & Josuam

ducem comitatus esset, tamen nunc recte se adveniisse ait, quia de re singulari jam Josuam adit, & peculiari ratione, & admirabili consilio atque auxilio præsentiam suam manifestat, cumprimis in occupatione urbis Jericho, quam sibi in solidum vendicans, *Ego tradidi*, inquit, *eam in manum tuam*, cap. 6. 2. sc. si ad meum nutum ductumque te accommodaveris, eaque, quæ jussero, rite perfeceris. Qui ergo non solum ut populi Israelis opitulator, hostiumq; vindex hic apparet, sed etiam sibi ut autori victoriam hostium vendicare jure potest, is est verus & præternus Deus: Victoria enim αὐτοχειρία ἀπὸ Θεοῦ est, Psal 144. 10. Deut. 33. 29. Psal. 108. 14. Psal. 18. 30. Deut. 33. 29. Prov. 21. 31. &c. Atqui Princeps exercitus Iehovæ est is &c. ut è dictis patet. Ergo.

XV.

Tertia ratio promta est *A divina adoratione*, quam duobus potissimum indicijs hic Iosua testatam facit: *1. Devotâ incurvatione*, quâ exterius animi & voluntatis subjectionem interiorem declarare voluit: Cum enim audiret non Angelum esse, sed principem exercitus Iehovæ, ipsumque verum Iehovam, *procidens Jehoschuah super faciem suam in terram incurvavit se, dixitq; ei, Quid Dominus meus edicit servo suo*, Ios. 5. 14 Verbum Hebræum וישתחו generale est, ut alias diximus, & honorem significat, quo vel Deum vel homines proni afficere solemus, cujus exempla in sacro codice passim sunt obvia: Unde Masius arbitratur, *fuisse hanc adorationem perculsi formidine subitâ animi, ut videtur, Et ut*, inquit, *reverentiæ fuerit, libenter enim hoc fatemur, tamen mos fuit semper illi Genti, non solum Deo sed etiam Angelis, sed etiam hominibus se prosternere honoris causâ, illud enim verbum Hebraicum prorsus respondet Græcorum προσκυνεῖν, quod apud Orientis populos semper fuit solemne & usitatum ut ex Xenophonte constat. Quem morem homines illi adhuc observant, ut sæpe vidimus, demittunt enim se pronos in terram, eamque ubi ore attigerunt, rursus se erigunt, & semel iterumq; venerabundi salutantesque incurvant corpora.* Hoc ergo Masij effatum si obtineat, Pontificij ex hoc quidem loco nihil obtinebunt, quia pro more illius populi Josua formidine animi perculsus saltim sese huic principi in-

pi incurvarit, eiq; honorem προσκύνησιν, quem viris gravibus illic loci deferri fas sit, detulerit. Verùm misso isto Masij asserto, satemur honorem plus quam civilem h.l. intelligi, quia non prius adoravit, quam cognosceret esse principem exercitus Jehovæ; Lyranus *adorationem duliæ* vocat h.l. Ita & Tostadus: *Adoravit Angelum*, ait, *non adoratione Latriæ quia hanc Soli Deo impendere tenemur, & licitum est, sed quadam minori, quæ dulia vocatur, & hac etiam homines adoramus, &c. Est autem gradus in hac dulia, quia aliter adoramus homines, & aliter Angelos*, &c quæst.75. in Jos. Sallianus *adorationem religiosam* vocat, *non quæ Deo sed quæ Dei servis & amicis convenit*: Bellarminus *adorationem mediam* indigetat: *Item*, inquit, *Josuæ 5. cum vidisset Josua virum stantem evaginato gladio dixit*: Noster es, an adversariorum, *Ille*, nequaquam, *inquit*, sed princeps sum exercitus Domini, continuo cecidit Josua pronus in terram & adoravit: *Hic aperte videmus adorationem illam mediam quam quærimus: Nam quod Josua non putaverit illum quem adorabat esse Deum, patet, quia Angelus dixerat se esse Dei ministrum; Quod etiam non adoraverit civiliter sed religiosè, patet, quia non prius adoravit, quam intellexit esse Angelum Dei legatum, quod denique non malè fecerit adorando, patet, quia Angelus non solum non prohibuit eum ab adoratione, sed etiam jussit, adhuc majorem honorem sibi exhiberi, dicens*, solve calceamenta pedum tuorum, locus enim in quo stas sanctus est. *Non erat autem sanctus locus ille, nisi ob Angeli præsentiam, non enim erat tunc Josua in loco sacro, sed in campestribus Hiericho*: Hæc Bellarm. l.1.de B.S.c.13. quæ fere ad verbum ita descripsit Becanus tom.1. op.14.c.21.p.100 Verùm ut Bellarmini argumentationem invertamus, nos potius hic videmus *adorationem* illam *divinam*, quam quærimus; Nam quod Iosua illum, quē adorabat, non putaverit esse angelū creatum, inde patet, quia dixerat Angelus sese, (non ut Bellar. ait, Dei ministrum, sed) principem exercitus Iehovæ, h.e. summum populi Dei Imperatorem, Ducem, & Protectorem, qui hactenus in columnâ nubis & ignis præcessisset, populumque in deserto duxisset, deduxisset, contra hostes defendisset, &c. Unde Josua cognoscere poterat non Dei ministrum sed Deum esse; Neque Angelus creatus sese adorari passus fuisset, quip-

quippe qui sibi eum honorem deferri non vult, Apoc. 19. 10. c. 22. 8. Quod autem non adoraverit civiliter sed religiose cultu latriæ, patet, quia non prius adoravit, quam intellexit esse Angelum Iehovam, & principem exercitus Iehovæ, qui non alio quã latrias cultu vult honorari; Quod denique non male fecerit adorando patet, quia princeps hic non solum non prohibuit eum ab adoratione (quod tamen feciſſet si Angelus creatus fuiſſet, neque pius Ioſua bona fide gloriam ſolius Dei Angelo creato deferre potuiſſet) ſed etiam juſſit alium honorem divinum ſibi exhiberi, dicens ſolve calceamenta, &c. Non autẽ erat locus ille ſanctus niſi ob Angeli (increati) præſentiam, non enim erat tunc Ioſua in loco ſacro, ſed in campeſtribus Iericho. Hæc contra Bellarm. verbis fere Bellarm. ſed ad veritatis normam inflexis diſſerere libuit.

XVI.

Porro & II. Ioſua divinam adorationem teſtatam fecit *humillima mentis & voluntatis ſubjectione*: Iubetur enim *verbis Deo competentibus*, ut Theodoret. appellat, calceos exuere ob loci ſanctitatem, in quo conſiſtat: *Extrahe*, inquit princeps ille, *calceamentum tuum à pedibus tuis, nam locus in quo ſtas, ſanctus eſt.* Hujus diſcalceationis varias rationes reddunt Interpp. Quidam ex Hebræis putarunt calceamentis ſignificatas eſſe pravas cupiditates & curas aut ſollicitudines ſeculares tali officio indignas, quas deponere oporteat Joſuam: Et *ideo Moſi dictum eſſe, Exue calceamenta tua è pedibus tuis, numero plurium, Joſuæ, calceamentum tuum è pede tuo, quia illi duplex cura incumberet, quarum utramque ab ſe in Deum rejicere jaberetur, huic vero unica; Moſes enim quam diu apud populum cum imperio fuit, non ſolum Imperatoris officia ſed etiam patris familias & nutritij facere debuit cum per vaſtam ſolitudinem illi alioqui cibo, potu, veſte caruiſſent, At Joſua in regione omnibus rebus, quæ ad humanos uſus neceſſariæ ſunt, affluente, nullam, niſi bellicarum rerum curationem habuit:* uti ex Hebræorum opinione refert h. l. Maſius. Verum hæc ſubtiliora ſunt, Maſio judice, & argutiora quam firmiora. Cyprian. ad Quirin. ait hoc ritu ſignificatum eſſe, quod Chriſtus ſolum ſit Eccleſiæ ſponſus, reliqui omnes etſi ſanctiſſimi, ſint

mi, sint saltim amici sponsi, cum qui alteri propinquiori magisque necessario in ducendæ uxoris jure cesserit, calceum exuere lege debuerit: Et hoc subtilius est quam verius. Similiter alij, quod hoc ritu significetur, non esse accedendum ad contemplationem divinorum mysteriorum cum calceamentis, h. e. cum illis regulis & axiomatib. Philosophorum, quibus res creatæ examinari ab illis & æstimari solent: Aut, abijcienda esse opera mortua, quod è pellibus mortuorum animalium fiant calcei: Aut, vincula terrenarum cupiditatum solvenda esse, quod corrigijs calceamenta quasi vinculis innectantur. Aut, animo quieto & sedulo accedendum esse ad oracula Dei accipienda, & ad verba ejus non festinanter sed attente pensitanda, quod qui calceos induant ad iter se parare, qui exuant, ad quietem sese componere intelligantur. Hæc, inquam, omnia etsi non male excogitata sint, non tamen scopum satis attingere & rei hujus rationem exhaurire mihi videntur: Simplicissimum & optimum videtur quod Theodoretus dicit de Mose, ideo jussisse Deum solvi calceamenta, *ut religiosiorem hac ratione illum redderet*, & reverentiam majorem animo incuteret, atque ad obedientiam præpararet: *Cum enim calceos de pedibus solvimus ob alicujus præsentiam, intelligimus ei nos præstare reverentiam non parvam*, ut h. l. Tostat. infit: Erat alias ritus ex calceationis in lege signum, quod excalceatus juri suo renunciaret, Deut. 25. 9. Ruth. 4. 7. Erat item reverentiæ subjectionis & servitutis signum, sicuti calceatum esse signum erat dominatus & potestatis herilis, Unde Esaias in signum captivitatis & servitutis populi *nudus* & discalceatus incedere jubetur Esa. 20. 2. David quoque regno dejectus, & libertate privatus pergit flens & *discalceatus*, 2. Sam. 15. 30. Juxta eandem consuetudinem Mephiboseth obviam dicitur iviisse Regi *non curatis pedibus ejus*, 2. Sam. 19. 25. quasi peccati & subjectionis suæ conscius seipsum servum hoc ritu profiteatur. Contra cum Ezechiel pro uxore mortua tristitiæ signa edere prohibetur, jubetur ipse inter alia, ut sint *calceamenta in pedibus ejus*, Ezech. 24. 17. Huc videtur respexisse Johannes Baptista, cũ Christum calceatum inducit, se vero tanquam servum non dignum qui solvat corrigiam calceamenti,

menti, Mar.1.7. Luc.3. 16. Joh.1.26. Et hac ratione factum arbitror, quod *sacerdotes in tabernaculo* deservientes *nudis pedibus sacrificia divina peragebant*, referente Theodoret. q. 7. in Exod. Idque probabiliter putat colligi posse ex Exod 30. 19. Cajetan. ubi sacerdotes jubentur lavare manus ac pedes in aquâ, ex labro per fistulam quæ epistomio aperiri & claudi poterat, defluente. Ad hoc enim videntur pedes laviſſe, ne ijs sordidis tabernaculum fœdarent, nam si post calceis rursum pedes induissent, quid opus fuisset lotione, quæ sane facta videtur, non tam ad pedum quam tabernaculi munditiem, ut eo loco colligit Cornel. à Lapide. Scribit & Joseph. l. 2. Bell. Jud. c. 15. Berenicen regis Agrippæ sororem, cum Hierosolymam voti causa abijsset, rem sacram facturam idem feciſſe, & nudipedem ante Flori præsidis tribunal stetisse; Unde & Leo Serm. de Jejun. *Nudipedalium* meminit, quæ habeant Judæi; & Juvenal. Satyra 6. de Judæis loquens:

Observant ubi fasta mero (h. e. nudo) *pede Sabbatha Reges.*

Quem ritum illa sacra quoque probant, quæ Paulus ut Judæos lucrifaceret, exercuisse dicitur apud Hieron. in c. 4. Epist. ad Galat. eumque etiam hodie à Judæis in Synagogis suis sacra peragẽtibus observari autor est Gaspar Sanctius à Rabino quodam, ut ipse testatur, ita edoctus. Et hęc porro pessimâ quadã κακοζηλία in impiam superstitionem apud alios populos degenerarunt: Calceos exuere consuevere Gentiles Apollinis templum calcãtes, ut est apud Nonium & Solin. l. 15 Habebãt & Lacedæmonij sua γυμνοπαιδία, festa *Nudipedalia*, in quib. Spartanorũ chori nudis pedibus laudes Deorum cum tripudio cantabant, in honorem Spartanorum, qui pro patriâ in Thereis cecidissent: Fuit ex choris istis prior puerorum, alter vero selectissimorum virorũ, ductores vero chori coronas gestarunt, quæ Thyreaticæ dictæ, & ex palmis confectæ, in monumentum victoriæ in Therea partæ, ut est apud Atheneum. Tertull. in Apolog. contra Gent. c. 40. *nudipedalia*, ait, *populo denũciari* solita apud gentes, pro impetrandis imbribus, ubi Pammel. *Nudipedalia*, inquit, *nuncupat, quod nudis pedibus juberetur in publicis supplicationibus pluviam invocare populus.* Sic & Pythagoræ symbo-

symbolum fuit: *Nudis pedibus rem sacram facito & adorato*, quod explicans Giraldus, ait *in adoratione & sacrificiis pedes nudari apud gētes consueviſſe*. Turcarum & Mahumedis sectatorū, sicut & plerarumq; nationū Orientis hic etiam mos est, ut nonnisi nudis pedibus tēplorum pavimenta calcent, & cum suas v.g. Moscheas intrāt, calceamenta exuant: Etiā Christianis Æthiopibus *non datur potestas adeundi templum, nisi nudis pedibus, neq; licet in ipso videre, loqui, obambulare, quia tēpla similia sunt mōti Sinai, ubi Dominus dixit Mosi: solve calceamentū*, &c. uti est apud Damian. à Gões. Reperti & olim Heretici *Nudipedales*, qui uti Aug. refert de hæres. c. 68. *nudis pedibus semper ambulare* soliti sunt, & in eo magnam collocarunt sanctitatē, Philastrius *excalceatos* nominat, quamvis discrimen inter Discalceatos & Nudipedales hoc esse videatur, quod hi semper nudis pedibus ambularint, illi ad sola loca sacra calceos deposuerint. His affines illi Hypocritæ fuere, qui in Hieronymi tempora inciderunt, de quibus tom. 1. ad Eustoch de Custod. Virgin. *Viros*, ait *fuge, quos videris catenatos, quibus feminei contra Apostolum crines, hircorum barba, nigrum pallium, & nudi in patientiâ frigoris pedes. Talem olim Antymum, talem nuper Sophronium Roma congenuit*. A quibus aut parum aut nihil distant fratres nostri Nudipedes, & Monachi discalceati, ex ordine Franciſci, quibus est *cordula nodosa, pes nudus, cappa dolosa*, qui nescio quam sanctitatem & religionem in illa discalceatione sibi imaginantur. Henricus Petreus Carthusiæ Colon. professus in Catal. Hæreticorum meminit quoque *Nudipedum* sub Carolo V. quos dicit fuisse ex *Antiluteranorum seu Anabaptistarum colluvie, qui cum in Moraviâ Apostolicam consectari vitam vellent videri, omnia missa & communia faciebāt, dispersisq; facultatib. ac liberis ædibusq;, posthabitis palabūdi ac discalceati per agros passim vagabātur, unde & discalceati seu nudipedes nūcupari cæpere*. Sed hęc data occasione obiter.

XVII.

Constat autem ex his, quæ diximus, quare Moses alibi Exo. 3. 5. & Iosua hîc pedes nuda verint: id enim religio, subjectio, servitus & obediendi promptitudo in utroque pro isto tempore exigebant: ut enim olim ritus excalceationis sub lege indicabat excalceatū suo juri renunciare, Deuter. 25. 9. Ruth. 4. 7. Ita hoc ritu discalceationis uterq; monetur, ut juri suo cedāt, totosq; sese

divin

divinę voluntati & vocationi concedant & emancipent. Ut olim servitutis & rever. signũ erat nudare pedes, quo erga superiores timorẽ reverentiam subjectionem aut servitutem servi profitebantur; Ita hoc ritu voluit Deus, ut uterq; Moses & Iosua animo humili, obsequioso & ad omnia jussa parato reverẽter in Dei cõspectũ accedãt, & divinæ præsentiæ majestate magis magisq; moveantur, adeoq; ad visionẽ ceu rẽ divinam cogitatu diligẽter expendendã eo sint attentiores, pariter ut sacerdos nõ nisi raro, trepide, & quidem vocatus, magna cum reverentia intra velum in locum sanctum intrabat in Dei cõspectum, Lev. 16. 2. Et hæc ratio in ipso textu innuitur: *Locus enim in quo stas*, inquit princeps exercitus Jehovæ. *sanctus est*, v. 15. Terra sane ista per se & sua naturâ sancta nõ erat, sed ex peculiari ordinatione divinâ sive relatione ad Dei præsentiam extraordinariam, quâ sese Iosuæ hic manifestare & locum hunc sanctificare voluit: Quidam specialim hic respectum fieri volunt ad futuram Messiæ in hac terra Cananeâ exhibitionem, q. hæc terra dicatur ideo sancta, quod sanctificata & divinitus deputata sit in hunc usum, ut locum præbeat filio Dei olim incarnando & in hac terra officij sui Prophetici & sacerdotalis partes perfecturo; Hæc vero sanctitas loci ratio est, quare Iosua jubeatur calceamentum exuere, h. e. externo isto ritu reverentiam, devotionem, subjectionem, & serviendi prõtitudinem ostendere, eo quod stet in conspectu sancti Dei, qui hic præsentię suæ speciale symbolum exhibeat, & locum illum extraordinariè sanctificet, coram quo summa reverentiâ animiq; subjectione opus sit. His jam præmissis tandem argumentor: Qui speciali suâ præsentiâ locũ sanctificat, Sanctus Sanctorum est, Conf. Exo. 3. 5. & adde disp. 6. th. 12. Ac vero princeps Exercitus Iehovæ speciali sua præsentia locum sanctificat, prorsus eadem ratione, uti Jehovah ille, Exod. 3. 5. 15. Erg Sanctus Sanctorum est: Itẽ: Qui propter sui præsentiam summam humilitatem, animiq; reverentiam & subjectionem exigit, eamq; exteriori signo discalceationis vult reverẽter declarari, ille est summus ille rerũ arbiter, & verus Deus. At vero hoc facit princeps ille, &c. Est ergo summus Jehovah & verus Deus, quod in præsenti erat demonstrandũ. Argumentũ quo adversantes nitũtur, quod Michaël sit princeps Magnus, & præfect9 Synagogæ Iudeor. infra cũ Deo, peculiari disput. reservabitur.

DEO GLORIA.

יהוה

De Idololatria

Disputatio IX.

Quæ est

DE ANGELOLATRIA

Octava.

Punctum XIV.

De Angelo orante pro populo, Zach. 1. 12.

An fuerit creatus?

I.

QVINTO, Angelus ille Jehovæ à quibusdam Romanensibus in subsidium citari solet, qui legitur orasse apud Deum pro populo: *O Jehovah exercituum, quousque non misereberis Jeruschalaim, & urbium Jehudah, quibus iratus es jam septuaginta annos*, Zach. 1. 12. Bellarminus enim asserturus, quod sancti orent pro nobis, hanc rationem inducit, quod Angeli idem faciant, *orent pro nobis, & curam nostri gerant in speciali*, idque patere dicit inter alia ex h. l. Zach. 1. 12. adeoque id *multo magis spiritus hominum beatorum facere*, l. 1. de B. S. c. 18. §. *Quarta propositio*. Bailius quoque in Cateches. q. 45. de Angelorum invocatione hoc exemplum citans: *Vicissim*, inquit, *Angeli pro salute nostrâ precantur, Zachar. cap. 1. Angelus orat pro populo Juda, dicens, Domine exercituum*, &c. Et idem ajunt alij Jesuitæ communiter, indeque porro concludunt: *Si* (Sancti & Angeli) *intelligunt nostras orationes, & pro sua charitate parati sunt nos juvare, & apud Deum pro nobis intercedere, cur nobis non liceat ab ipsis petere ut hoc faciant?* cum Becan. tom. 5. op. 1. de Invocat. Sanct. q. 7 p. 529.

Resp. Joachimus Mollerus Stetin. Pomeran.

II.

Hebræorum *communis opinio*, prout Fernandius & Christoph.

Castrus hic ajunt, *est, Michaelem fuisse:* quod etiam asserunt Theodoret Lyranus aliique Interpretes ad h.l. *Nam cum oret hic propopulo,* ait Fernand. *& Dan. 10. dicatur princeps h.e. custos Hebræorum, probabili conjectura Michael esse perhibetur,* Confidentius Castrus, *vir insidens equo rufo est Archangelus Michael Dei populi custos & tutor ac princeps, ut dicitur Dan.10.21. ut est communis intelligentia tam Hebræorum quam nostrorum Interpretum,* &c. Quanquam, ut addit Fernandes, *erit fortasse qui velit hunc Angelum esse aut peculiarem ejus populi custodem, alium à Michaele, uti diximus Dan.10 &c. Aut vero dicet alius, esse Gabrielem, qui etiam narratur Dan.10. pro populo captivo satagere,* &c. Hoc vero utut certo nondum definiverint isti Dd. quis tandem ex Angelis creatis sit iste, an Michael, an Gabriel, an alius quispiam, in eo tamen communiter consentiunt, creatum fuisse.

III.

Etsi vero, quod initio præmoneo, vel maxime de Angelo creato hîc apud Prophetam sermo esset, non tamen ideo quicquam obtinerent Romanenses: Nam 1. *Ab oratione Angelorum aut sanctorum factâ ad Deum pro nobis, ad invocationem Angelorum, &c. à nobis præstandam N.V.C.* Jam ante notum esse poterat Jesuitis, largiri Ecclesias nostras, quod Angeli curam nostri gerant & orent etiam, etsi hoc ultimum ut fidei articulum non urgeant, vide disp.3 punct.7 p.85. Verum colligere inde non licet, Angelos ea propter religiose colendos aut invocandos esse: Non enim in scripturis uspiam illius consequentiæ ratio aut modus reperitur; *Angeli aut Sancti orant pro nobis: E. religiose sunt colendi;* Quin potius, Sancti qui in terris adhuc nobiscum militant, ex communi συμπαθείας affectu orant, unus pro salute alterius, non tamen ob id adorandi religiosè. Imo vero ex Bellarmini asserto, *tempore V.T orabant sancti defuncti pro vivis,* l.2.de Purgat.c. 15.§.Et quanquam, *sicut & Moses & Samuel jam mortui poterant & solebant orare pro populo Judæorum,* l.1.de Beat.S. c.18. At vero *ante Christi adventum qui moriebantur non intrabant in cœlum, nec Deum videbant, nec cognoscere poterant ordinarie preces supplicantium, ideo non fuit consuetum in V.T. ut diceretur S. Abraham ora pro me,* &c. ait

cap. 19. §. 2. Sic quoque *non esse incredibile* idem Bellarm. censet, *animas purgatorij pro nobis orare & impetrare*, l. 2. de Purgat. cap. 15. §. *Quod autem*. addit vero: *Quanquam hæc vera sint, tamen superfluum videtur ab eis ordinariè petere ut pro nobis orent, quia non possunt ordinarie cognoscere, quid agamus in particulari, sed solum in genere sciunt, nos in multis periculis versari, nam nec rebus nostris intersunt, nec orationes nostras in Deo vident, nec est verisimile, eis revelari ordinarie quid agamus vel petamus*: Ipsius ergo Bellarmini definitivâ Sancti invocari non poterunt, etsi orent pro nobis, eo quod non cognoscant preces & necessitates nostras neque assistant nobis, &c. Quod itidem satis clare Becanus edisserit de Invocat. Sanct. tom. 5. op. 1. q. 3. ubi, *aliud*, inquit, *est Sanctos pro nobis orare, aliud sanctos à nobis invocari; Ut ipsi orent pro nobis, non requiritur alia cognitio, quam vel solius personæ pro quâ orant, vel simul etiam particularis necessitatis, in quâ persona constituta est; Ut autem à nobis invocentur, requiritur alia cognitio, quâ nimirum intelligant aut percipiant preces nostras, quas ad ipsos fundimus.* Satis perspicue hic Becanus adserit non esse ex eo saltem puncto religiose quenquam colendum, quod oret pro nobis, nisi insuper accedat notitia specialis precum aut necessitatum, &c. At vero, ut eodem jure & nobis hic inferre liceat, neque Angeli creati gemitus cordium & omnes sigillatim necessitates eorum norunt à quibus invocari possent, neque mandatum nobis est, eos religiosè invocare, etsi vel maxime nossent, neque adorari volunt à nobis, etsi velimus vel maxime, Ap. c. 19. 10. c. 22. 9. Aliud ergo & hic esto, *Angelos orare* pro nobis, & aliud *Angelos invocari*: Ut orent, satis est si assint nobis, & notitiam habeant personæ & necessitatum personæ (saltem in genere) pro quâ orant: Ut vero à nobis invocentur, requiritur insuper cognitio gemituum cordis, etiam ut adhuc in imis penetralibus cordis delitescunt, & mandatum Dei, & promissio de exauditione, & exemplum probatum, uti in præced. est dictum.

IV.

II. Aliud *esse* dico, *orare pro alio, ad Deum, aliud offerre Deo preces alterius*, offerre, inquam, ἱλαστικῶς & per vim *meritorum* suorum:

rum: Prius (modo dextrè intelligatur) Angelis denegare nolumus, ut jam ante dictum, adeoque (si cætera essent paria) & hoc largiri possemus Angelo Zachariæ h. l. etiamsi vel maxime constaret esse creatum: Posterius vero largiri non possumus, quia ἱλαστικῶς Deo preces offerre, est illas per sua merita Deo commendare & gratas facere, per eadem merita precum exauditionem, h.e. peccatorum remissionem, pœnæ & supplicij aversionem, salutem & vitam æternam impetrare, quod sane solius Christi mediatoris est, non ullius Angeli creati, uti diximus disp. 3. punct. 7. Ad hunc ergo suffragatorem & mediatorem nostrum unice per preces est recurrendum, ut eas ratas apud Deum faciat, & interpellet pro nobis.

V.

Denique III. *Visio fuit, quæ hic Zachariæ contigit*: In visionibus vero res sæpe exhiberi & objici solent quæ neque sunt, neque fiunt unquam, *visio* enim *est prophetia exhibita per speciales imagines*, h. e. eas, *quæ ex divina ordinatione ac placito assumuntur, ad repræsentandas res alias, modo quasi hyeroglyphico, ut apud Ægyptios figuræ rerum ad significationes assumebantur, modo item ænigmatico, quo res aliud quidem sunt, & aliud repræsentant*, ut definit A. Fernandius. Posito ergo, quod Angelus hic sit visus orare pro populo, non tamen ideo necesse erit, repræsentatum fuisse hac visione id, quod Angeli creati h. m. orent pro nobis, quia *alterius personæ* pro populo orantis hæc visio repræsentativa esse potuisset. Sic eodem loco visus est vir equo rufo insidens, visi equi, visa myrteta in profundo, visi, inquam, h.e. visione exhibiti, cum tamen neq; myrteta ista, neq; equi, neque equites isti proprie sic dicti unquam fuerint, nam si proprie fuissent, visio non fuisset: Non ergo necesse est visiones fidem facere rei sic gestæ, uti visa est, sed analogice quandoq; explicandæ sunt, prout alterius rei, cujus gratia exhibentur, repræsentativæ aut adumbrativæ esse queunt. Quin etiam solemne est Jesuitis, ut dicant Angelos qui in V.T. apparuere, etsi fuerint Angeli personaliter, fuisse tamen sæpius *repræsentativè* Deum, quia in visionibus ejus personam gesserint &

repræ-

repræsentarint, Quid si ergo Angelus hic visus, etsi vel maxime sit creatus Angelus personaliter, attamen repræsentativè sit Christus, ejusque unicè (non Angelorum creatorum) officium repræsentet, utpote qui apud Patrem pro salute Ecclesiæ & populi sui intercedere soleat? Et hæc ex hypothesi, si Angelus hic Zachariæ vel maxime sit creatus, ad Pontificiorum strophas præmittenda fuere: Jam propius accedimus ad rem ipsam.

VI.

Assertio proinde nostra est, *Angelum hunc, qui pro populo hic intercedit, fuisse ipsum Jehovam & Dei filium*, qui perpetuus apud Deum Ecclesiæ suæ advocatus & Intercessor est: Idque diffiteri non potuit Ribera Jesuita, quod etiam statuant Ambros. Hieron. Origen. alijque: Nitimur autem in hâc assertione aliquot fundamentis.

VII.

Primò: *Dicitur* hic Angelus absolute & *in casu recto Jehova*: Non urgeo, quod dicitur מלאך יהוה Zach.1.11. 12. quod verti posset tam, *Angelus Jehova*, in recto, uti etiam quidam legere malunt, quam *Angelus Jehovæ*, in obliquo; Neque illud præcisè attendo, quod Angelus Jehovæ dicit sese ostensurum, quid sint visa ista; *Ego ostendam tibi*, cap.1.9. cum tamen is qui hoc fecit, dicatur Jehovah, *ostendit præterea Jehovah*, ait Propheta v.20.c.1. Saltim observari jubeo, quod is, qui *Angelus Jehovæ* dicitur, cap.3.1. statim dicitur *Jehovah*, v.2. *Ostendit mihi* (Dominus) ait Propheta v.1. *sacerdotem maximum stantem coram Angelo Jehovæ, & Satanam stantem ad dextram ejus, ut adversaretur ei*: At vero de hoc Angelo statim subnectitur v.2. *Dicebat Jehovah: Increpet te Jehovah ô Satan*, &c. Hieron. Theodoret. Rupert. Remigius, alijque arbitrantur quidem, esse hanc increpationem *Dei Patris*, Satan imprecantis ut à Deo filio increpetur: Albertus tamen, Hugo, Kimchi, Vatablus, & alij eundem esse putant qui v.1. dicitur Angelus, & v.2. Jehovah, & in hoc, uti opinor non aberrant, (quamvis fallant in eo quod Angelum creatum putent, eo quod Dei Jehovæ legatus

sit, in recto dici posse Jehovam.) Nã Angelus patrocinium Sacerdotis maximi coram sese stantis suscepit adversus Satanam v.1. adeoque & is Jehova sit necesse est, qui verba increpantia Satan prolocutus est, v.2. quippe quę verba sunt patrocinium pro sacerdote ad Deum suscipientis. Et sic increpatio est *Dei filij*, imprecantis Satan, ut à Deo Patre aut totâ SS. Triade increpetur.

IIX.

Secundò: Describitur hic Angelus *ut Angelorum Dominus* imperium habens in illos, & ab ijs diserte distinguitur: Nam visione prima, quâ Dei erga Ecclesiam cura & providentia repræsentatur, *vir equo rufo insidens* apparet *inter myrtos, quæ erant in profundo, & post eum equi rufi, varij, & albi*, Zachar. 1.8. Vir iste non est *Archangelus Michaël*, ut Castrus ait esse *communem intelligentiam tam Hebræorum quam nostrorum interpretum*, sed est Christus Dei filius humana specie hîc indutus: Hunc enim virum reliqui equites (h.e. Angeli) quasi superiorem pone sequuntur: *Ecce post eum erant equi rufi*, &c. v.8. Ab hoc tanquam præside & principe requiruntur, quid in suis cujusque regnis rerum agatur: Et ad hunc sua quoque responsa referunt, quæ in cujusque regnis agantur, ei velut superiori, & ad Deum patrem Interpreti & mediatori rationem reddentes: *Responderunt* enim *Angelo illi Jehovæ, qui stabat inter myrtos, & dixerunt, perambulavimus terram, ecce tota terra habitatur, & quiescit*, Zach. 1.11. Et ideo, sicut Josua sacerdos maximus, Zach. 3.1 ita & Angeli dicuntur *stare coram ipso*, Zach. 3.4 h.e. *ministrare* ipsi: Stare enim in SS. coram aliquo dicitur, qui alteri ministrat, aut ministerio alterius consecratus est, Deut. 10.8. 1. Sam. 16.23. 1. Reg. 10.5. c. 17.1. cumprimis Angeli dicuntur *stare coram Domino*, (non coram Michaële) Dan. 7.10. Job. 1.6. Luc. 1.19. 1. Reg. 22.19. Et. 6.2. aut *coram Dominatore universæ terræ*, ut Zachar ipse ait c 6 5. loquendi modo desumto à ministris & stipatoribus aulicis, qui velut milites quidam in procinctu stantes ad regis nutum sunt, ejusque vultum continue observant, & jussa quæque paratissimi exequuntur: Ita Angeli velut parati & præ-

Stare, qd?

præcincti milites *stant coram Deo*, & ad supremi hujus imperatoris nutum quævis imperata promtissimè expediunt; Quo referre quibusdam placet illud *Jò cernere faciem Patris qui in cœlis est*, quod Angelis tribuitur, Matth. 18. 10. ubi consequens videtur pro antecedenti positum, quod sc. *appareant coram Patre ut ministri, custodiendis pijs omnibus quantumlibet vilibus in hominum conspectu ab ipso destinati, & ipsius jussa singulis momentis expectantes*, ut Beza l. illum interpretatur. Insuper, Hic vir inter myrtos consistens, tanquam defensor & Auxiliator Ecclesiæ Angelorum agmine stipatus producitur, simili ferme ratione uti Johanni Christus visus est, Apocal. 19. 11. seqq. Pugnaturus namque pro populo Dei jam laborante, bellatoris habitum assumit, equitis nempe insidentis *Equo rufo*, & sanguineo, eoque sanguinis profusionem & cladem Hebræorum hostibus minitatur: *Solet Equus* (cum sessore suo) *in* ejusmodi *visionibus felicem rei successum, & miram rei expediendæ velocitatem symbolice significare*, Vide Zachar. 6. v. 2. Apocal. 6. 2. 4. 5. 8. c. 9 17. c. 19. 11. seqq. &c. *Equus* ergo, cui h. l. insidet vir ille stans inter myrtos, auxiliandi non tam promtitudinem, quam majestatem & prosperam expeditionem notat, quod equitis instar celeri & concitato equo insidens paratus sit ad obeundum hoc munus, & defendendum ab hoste populum, nec paratus solum, sed rem quoque feliciter & celeriter confecturus: *Equus* vero *rufus* ultionis divinæ in hostes suos certitudinem & gravitatem significat, sicut aliâs rufus color in SS. vindictæ signum esse solet, Apoc. 6. 4. Zach. 6. 2. Apocal. 12. 2. 3. Es. 63. 2. *Myrtus* Ecclesiæ membra repræsentat, quæ virent, florent, fructum edunt & odora sunt Christo, attamen in mundo multis calamitatibus pressa velut *in profundo* delitescunt: Est myrtus arbor *pulchra*, unde Venus pulchritudinis Dea apud Ethnicos *myrtea* dici consuevit, teste Plinio l. 15. c. 29. Esther quoque ob pulchritudinem insignem Hebræo cognomine dicta est הדסה h. e. *myrtea* Esth. 2. 7. Est & *odorifera*, etiam in Ægypto, ubi, ait Plinius, *etiamsi cætera sine odore sint, lilia, violæ, rosæ, myrtus tamen præcipuus odor*, Est & arbor *festiva* ac fausta, festis diebus ad ornatum ac

trium-

triumphalibus olim coronis inservire solita, ut est apud eundem Plinium l. cit: Inde est quod Levit. 23. 40. ad septimi mensis festivitatem celebrandam inter alias frondes jubentur afferri *rami densarum frondium*, vel ut alij legunt, *densarum arborum*, ubi plerorumque consensu rami arboris myrti intelliguntur, vel saltim includuntur, ut patet ex Nehem. 8. 16. quæ Plinio tam est densa, ut ex ejus ramis opere topiario sæpe cataphracti equites, armati milites, naves, & alia id genus opera, quæ in hortis pro delicijs habentur, fieri possint: Quæ ad Ecclesiam Dei singula pulcrè, etsi fortè non omnia ad præsens institutum, accommodari possunt. *Equi vero sive equites post hunc ducem*, qui illum tanquam stipatores & ministri sequuntur, sunt Angeli divinæ majestatis ministri, *quos misit Dominus ad perambulandum terram*, tanquam nãcios & exploratores, per quos q. cognoscat, quid rerum in his terris agatur, & veluti cursores & ministros sibi fidelissimè parentes adhibeat, sive ad judicia ejus præstanda, quod *equis rufis*, sive ad beneficia, quod *albis*, sive ad utrumque conjunctim, quod *equis balijs* sive *varijs* (etsi alij aliter explicẽt, vide inter alios Petr. Galatin. l. 3. de Arcan. Cath. verit. c. 24.) figuratum est. Itaque, ut è dictis propositum meum conficiam, *Vir, sive Eques ille inter myrteta consistens est Jehovah exercituum*, & verus Deus, nequaquam Angelus creatus, quia hunc virum equi sive equites reliqui, hoc est, Angeli creati ut ministri pone sequuntur, hujus tanquam Domini jussis parent, ad hujus mandatum terram perambulant, ab hoc tanquam principe requiruntur, quid in terris agatur, illique ut superiori factorum rationem reddunt; Quæ omnia & singula in creatum Angelum non cadunt, sed in eum, qui est Dominus exercituum: At vero Angelus ille orans pro populo, vers. 12 est vir sive eques ille in myrteto consistens, v. 8. Cum enim Zacharias interrogaret, quid sibi vellent isti, respondit Angelus, qui in eo loquebatur, *Ego ostendam tibi*, & confestim subnectitur: *Et respondit vir qui stabat inter myrteta, & dixit, isti sunt*, &c. vers. 9. 10. Idem ergo Angelus Zachariæ instructor promisit se ostensurum visionem, & idem ipse ostendit, implens suam promis-

promissionem, & idem is est vir in myrteto consistens. Tum etiam qui vers. 8. dicitur *vir stans inter myrtos*, is vers. 11. dicitur *Angelus Jehovæ stans inter myrtos*, & v 12. legitur pro populo ad Jehovam orasse: Angelus ergo ille orans pro populo vers. 12. est Jehovah exercituum.

IX.

Tertio: *Actiones merè divinæ huic Angelo tribuuntur*: Urgeri, h l. posset *interior impulsus*, & inspiratio facta Zachariæ: Fuit enim המלאך הדובר בי ille *Angelus loquens in me*, ut vocat Propheta, vers. 19 seqq. hoc est, peculiari modo interius dictitans & revelans quæ visione obtulit exterius, ut non satis emphasin Hebreæ locutionis assecutus videatur Tremellius, qui vertit: *Angelus qui alloquebatur me*, Est enim hic duplex ה præfixum, quod dubio procul infert excellentiam aliquam, tum etiam דבר cum ב de persona dictum h l. reperitur, quod ita positum *Dei interius loquentis in anima hominis, & res abstrusas dictantis instinctum indicat*, Num. 12. 2. 8. 2 Sam. 23. 2. Os. 1. 2. ut ex Kimchi Dn. D. Tarnov. observavit. Addi posset & *Intercessio* facta apud Deum pro populo Israelis, vers. 12. quæ sane officium Christi mediatorium eleganter adumbrat: Is enim pro Ecclesia sua apud patrem intercedit Psal. 99. 6. Es. 53. 12. Roman. 8. 33. 1. Joh. 2. 1. 2. Hebr. 9. 24. & à patre semper exauditur, Joh. 11. 42. nostras quoque preces aliás impuras & imperfectas, absque illo si essent, Deo offert & ratas facit, Jerem. 30. 21. Joh. 14. 6 Hebr. 7. 24. 25. 1. Pet. 2. 5 Apoc. 8. 3. 4. ut Deus non avertat faciem suam à precibus nostris propter hunc Davidem, Psalm. 132. 10. suum ἀγαπητὸν, in quo acquiescit, Matth. 3. 17. & in quo nos reddimur dilecti, Ephes. 1. 6. & accessum habemus ad patrem, Joh. 14. 6. Rom. 5. 2. Ephes. 2. 18. *orat Christus pro nobis ut sacerdos noster, orat in nobis ut caput nostrum, oratur à nobis ut Deus noster*, dicente in Psal. 55. Augustino. Nolumus tamen, quia præfracti adversarij hic rimas quærere possent, hisce unicè insistere: Ut fortius illos premamus, addimus & attendimus cumprimis,

Christus orat pro nobis

X.

I. *Vindictam* in hostes: *Agitaturus sum manum meam contra illas gentes, & erunt præda servis suis, ita agnoscetis Jehovam exercituum misisse me*, ait Angelus ille, Zach. 2, 9. Quod autem is Angelus creatus esse non possit, inde patet, quia dicit de sese: *Agitabo manum meam contra gentes illas*, Quæ hæc manus est nisi potentia Dei infinita? quæ bonos pariter malosque, etsi infinito cum discrimine gubernat, Psal. 139. 7. 8. 9. Hebr. 1. 3. Esa. 48. 12. 13. Quidam Interpp. verba illa de spirituali gentium & hostium conversione intelligunt, quos conversurus sit Christus *agitando* sive *levando* manum super eos, hoc est, non vi exteriori & corporali, quæ sit in ferro & armis, sed interiori & spirituali, quæ fit in spiritu & verbis, ita ut *gentes illæ præda* futura sint *servis suis*, hoc est, Judæis, quos miseranda servitute presserunt, quod in spirituali ista victoria contigisse putant, ubi gentes ex omni natione, quæ sub cœlo est, Judæorum, hoc est, Apostolorum eas prædicatione Euangelij convertentium præda sunt factæ. Alij tamen potius censent, ut de vindicta divina contra hostes Ecclesiæ Judaicæ hæc verba intelligantur, Quia agitare manum cõtra aliquem percutientis, punientis, & ultionem de aliquo sumentis est, 1. Reg. 11. 26. Job. 31. 21. Utut vero sit, sive de victoria Christi per Evangelij prædicationem de gentibus reportandâ, sive de ultione adversus impios tyrannos intelligas, vox illa Dei est, non cujuspiam Angeli creati, qui pro autoritate & potestate sua infinita, quapotest subijcere sibi omnia, Phil. 3. 21. solum ita dicere & gloriari potest: *Ego agitabo manum meam contra illos*, eos funditus & ad internecionem usque deleturus, qui Ecclesiæ meæ insidiantur, &c. Quod vero Deus Pater hic non loquatur, constat inde quia dicit, *Agnoscetis Jehovam exercituum misisse me*, quæ missio à Jehova facta primæ personæ Trinitatis nusquam in SS. tribuitur, tum etiam Angelus ille loquens in Propheta, qui fari incipit vers. 7. 8. continuata serie hæc edicit, ut è textu patet.

Huic

XL.

Huic addendum, quod Angelus ille loquens in Zacharia c. 6. 5. dicit de Angelis v. 8. *Hi qui egressi sunt in terram aquilonarem, tranquillarunt spiritum meum in terra aquilonari.* Quibus verbis admodum honorifice Angelis administris sui spiritus sedationem tribuit: Per *Spiritum* Hieron. cum Hebræis quibusdam *Spiritum Propheticum* intelligit, quo per multos Prophetas prænunciarit Deus, delendos esse Chaldæos, ideoque Angeli illi fecerint quiescere Spiritum illum, quando eum explerint, & Prophetias executioni mandarint: Isidorus *voluntatem Dei* intelligit, quod Angeli mandatorum Dei executores, terram quoque Aquilonarem ingressi sint, eamque vastarint, & quod ipsis injunctum erat, executi sint feliciter, atque sic legationem suam recte obeuntes Spiritum Dei tranquillarint, hoc est, ejus voluntati abunde fecerint satis. Non desunt, qui *Spiritum Pacis* exponant, quasi Israelitas soletur Deus, non esse timendos magnopere hostes aquilonares, eo quod Spiritus ille Dei pacificus in ista quoque terrâ per Dei gratiam & Angelorum ministerium sit habitaturus: Theodoret. Lyran. Vatabl. alijque *furorem*, & *iram Dei*, sive ut 70. Interpp. vertunt, θυμὸν intelligunt, uti videtur exponi Ezech. 5. 13. quem requiescere fecerint in terra Aquilonari Angeli, sive, quod ultionem de Chaldæis divino jussu sumserint, sive, quod multos in Babylone hærentes ad pietatem & resipiscentiam suo ministerio perduxerint: Sumta locutione ab homine irato, qui irâ suâ donec de inimico ulciscitur, furit, ultione vero sumtâ jam sedatus, & sanguine hostili pro voto exsaturatus conquiescit. Utut vero intelligas, sive de Spiritu prophetico, sive de voluntate Dei, sive de spiritu pacis, sive de ira & furore Dei, certum est, hæc verba non Angeli cujuspiam creati, sed Dei veri & præterni esse potuisse. Et tamen hæc verba prolocutus est autoritativè & in prima persona Angelus ille de quo agimus, ut patet ex cap. 6. 5. seqq. Is ergo verus & præternus Deus sit necesse est.

XII.

II. *Jus & Dominium* in populum Dei: Disertis verbis hic Angelus Ecclesiam Dei vocat *populum suum*: Et *adjungentes*, ait, *se gentes multæ Jehovæ die illo, erunt mihi populus, & habitante in medio tui me, agnosces Jehovam exercituum misisse me ad te.* Zach. 2. 15. Hæc *Deum patrem* loqui, nemo opinor erit, qui dicat, quia dicitur *Angelus*, & fatetur se à Jehovah missum, Et tamen qui loquitur *Deus* est, quia *pars Iehovæ est populus ejus*, *Iehovah funiculus possessionis ejus*, hoc est, possessio peculiaris, (nam possessiones funiculo dimetiebantur) Deut. 32. 9. Jehuda est *portio Iehovæ*, Zachar. 2. 16. *fundatio Iehovæ*, Psal. 87. 1. Israel est *populus sanctus Iehovæ Deo suo, quem selegit Iehovah Deus suus, ut sit ei populus peculiaris*, Deuter. 7. 6. *regnum sacerdotale & gens sancta*, Exod. 19. 6. 1. Pet. 2. 8. 9. Ecclesia est *populus Christi περιούσιος, peculij instar reconditus*, Tit. 2. 14.

XIII.

III. *Patrocinium & defensionem Ecclesiæ* adversus Satanam ἀντικεῖσθαι: Josua enim Sacerdos maximus, qui Ecclesiæ typum gerit, *stare dicitur coram* hoc *Angelo Iehovæ*, Zach. 3. 1. hoc est, ipsi in Ecclesia ministrare, ex vi phraseos, de qua dictum ante, *Satan* vero dicitur *stare ad dextram ejus, illique adversari*, hoc est, graviter & instanter illum in judicio isto incusare, populi & sacerdotij peccata mirum in modum exagitare, causamque in hoc processu plausibilem fovere: *Dexterum* enim in SS. quandoque dicitur, quod prospere succedit, aut præponderat alteri, aut pro magno pensatur, locutionis ratione sumta è medio, ubi *pro dextero haberi dicitur, quod pro magno pensamus, pro sinistro vero, id quod despicimus*, ut ait Gregor. l. 20. Moral. cap. 20. non aliter ut sinistræ dextera manus solet anteponi: Sic *dextera* pro amicitia, *dextera falsitatis* pro amicitiâ falsa & fucatâ ponitur, Psal. 144. 8. 11. in *dexterâ manu* esse, est amicissimum & proximum esse, pro magno haberi, Jerem. 22. 24. Apocal. 1. 16. 20. *dexteræ oblivisci*, est deserere,

Psal.

Psal. 137. 5. *ad dextram assistere*, sive *adesse*, est favere, patrocinium suscipere, ad auxiliandum præsto esse, Psal. 16. 8. Psal. 109. 31. Psal. 110. 5. *ad dextram collocari* est honorari, pro magno & pretioso pensari, Ps. 45. 10. Matth. 25. 33. *ad dexteram insurgere*, est valde alicui insultare, Job. 30. 12. *ad dextram stare adversando*, est causam bonam sive favorabilem in judicio fovere, & victoriam sibi de inimico polliceri, Psal. 109. 6. 7. Quo attento observare facile est, quare *à dextris* h. l. Satan, non *à sinistris* Josuæ dicatur in judicio stetisse, quia ut Hieron. ait *vera erat accusatio, ac certam victoriam pollicebatur inimico*, adeoque facile, nisi hic obstitisset Angelus, in Dei judicio superior evadere potuisset. Qui itaque Sacerdotij & Ecclesiæ tanquam *servorum* suorum sibi astantium & ministrantium patronicium suscipit, & coram quo Satan hominis peccatoris causam agit, eumque accusat, ille non est creatus Angelus, sed verus Deus. At vero Angelus de quo nobis sermo, est is, ut patet ex dictis. Ergo.

XV.

IV. *Peccatorum remissionem, & justiciæ imputationē*: Jehoschuah enim, *quum esset indutus vestibus sordidis, & staret coram ipso Angelo, Respōdens Angelus alloquutus est eos, qui stabant coram se, edicendo, Amovete vestes istas sordidas ab eo, & dixit ei; Vide, transtuli à te iniquitatem tuam, ut induam te mutatis vestibus: Ideoque dico, Imponunto cidarim mundam capiti ejus, imposuerunt itaque illi cidari mundam, capiti ejus, & induerunt eum vestibus, Angelo Iehovæ astante.* Zachar. 3. 3. 4. 5. Hoc loco Angelus sibi tribuit 1. *Remissionem peccatorum*, Josua enim sordidis vestibus indutus hic astat, quæ ceu peccatorum & infirmitatum symbola indicabant, illum multis magnisque peccatis pollutum, & interius ea, quæ *carnalis est, maculata tunicâ*, Jud. vers. 23. sordidatum, Angelus tamen ille pro suâ potentia & virtute has vestes squalidas in signum remissæ iniquitatis auferri jussit, & dixit sese peccata abstuliſſe: *Ecce transtuli abs te iniquitatem tuam*, At vero remissio peccatorum authentica & autorita-

tiva est solius Dei, ministri quidem remittunt, sed Dei nomine & ministerialiter, adeoque absolute dicere nequeunt, *Ego transtuli:* Soli namque *Deo peccatur*, Psal. 51. 6. solus & ille remittit & aufert peccata, Psalm. 103. 3. Es. 43. 25. Mich. 7. 18. Luc. 5. 25. &c. Unde est quod sancti passim à solo Deo peccatorum remissionem petere solent: imò vero, *Ego amoturus iniquitatem*, inquit Jehova, Zachar. 3. v. 9. ut constet quis sit qui dicit: *Ego transtuli iniquitatem*, (2.) *Iustitiæ donationem:* Elargitur namque Josuæ hic Angelus *vestes mutatorias*, hoc est, maximè pretiosas, elegantes festivas, quæ non semper seu quotidie ut ajunt, sed festis præcipue diebus gestari solent, quas hoc loco appellat מחלצות ab *extrahendo* vel *exuendo*, sive, quod à communi usu sint extractæ & festivis solùmodo diebus in usu, sive quod diebus festis absolutis rursus exuantur & deponãtur: Alibi dicãtur חלפות שמלות, *mutationes vestium*, ad verbum, hoc est, *vestes mutationum*, Genes. 45. 22. חלפות בגדים, itidem, *mutationes vestium*, Jud. 14. 12. 13. 19. 2. Reg. 5. 5. 22. 23. בגדי החמדות *vestes desideriorum*, id est, omnino pretiosæ, Genes. 27. 17. Hîc vero vestes illæ mutatoriæ symbolum sunt justitiæ Christi per fidem nobis imputatæ, quâ ceu *veste nuptiali*, Matth. 22. 11. *veste salutis* Es. 61. 10. *stolâ præcipuâ* Luc. 15. 22. & *veste albâ* in Dei conspectu *induimur*, *ne manifesta fiat pudenda nuditas nostra*, Apoc. 3. 18. Elegans enim h. l. justificationis nostræ in Dei judicio factæ repræsentatio est: Squalida enim injustitiæ toga, qua omnes induti sumus à capite ad calcem usque, nobis ibi exuitur, & splendida justitiæ toga, quam Christus nobis acquisivit sanguinis pretiosissimi λύτρῳ, nobis donatur: peccatum quod adest non imputatur, ac si abesset, Christi vero justicia quæ inhæ sive non adest, imputatur, ac si adesset, ita ut in Dei judicio à peccatis nostris purgati & vere justi habeamur, & pro injustitia nostra justitiam Christi, pro morte vitam, pro ira gratiam, pro inferis cœlos in Christo acquiramus. Qui ergo sordidâ peccatorum togâ exutâ, nos induit suâ justicia, ut in Dei judicio verè justi habeamur, is h. l. Angelus intelligitur: At vero, quis demum ille est præter Christum justiciam nostram

ſtram, 1. Corinth. 1. 30 ? (3.) *Sacerdotij reſtaurationem*: Dicit enim hic Angelus: *Imponunto cidarim mundam capiti ejus, & impoſuerunt*, &c. Cidaris, ſive ut alij volunt, galerus, Hebr. h. l. צניף aut מצנפת Exod. 28. 4. à *circumvolvendo* dictus, fuit Pontificis maximi ornamentum capiti involutum, quod quale fuerit certo non conſtat: Villapandus ait, מגבעות fuiſſe pileos omnibus ſacerdotibus communes, ab *acumine* ſic dictos, pileo vero ſacerdotis maximi fuiſſe circumvolutam faſciam byſſinam Pontifici propriam, quæ מצנפת dicta fuerit, hoc eſt, *involucrum*. Paguinus, alijque exiſtimant, fuiſſe ornamentum capiti ſacerdotis impoſitum, inſtar tiaræ Orientalis, ſive pilei turcici, dicti *turbante*, qui longa faſcia involvitur: Joſephus, qui ſacerdos fuit, & dubio procul ſummum Pontificem in ſuo decore vidit, ita deſcribit, *Porro* (Pontifex M.) *pileo quaſi cæteri ſacerdotes utebatur, ſuper quem extabat alius conſutilis, ex hyacintho variatus, Hunc aurea corona triplici circumdabat, in qua ſpectabantur caliculi aurei, quales videmus in herbâ, quæ apud nos vocatur Baccharis, apud Græcorum herbarios Hyociaſmus.* Et, ut paulo poſt ſubjungit, *ejuſmodi corona ab occipitio circum tempora utraque procedebat, nam frontem illi caliculi non ambiebant, ſed cœlorum quoddam latum aureum, quod ſacris characteribus Dei nomen inciſum habebat.* Ita de cidari Joſephus, quæ ex profeſſo perſequi non eſt noſtri inſtituti, inde tamen conſtat, fuiſſe ſummi ſacerdotis, tum etiam regis Ezech. 21. verſ. 31. Eſ. 62. verſ. 3. ornamentum: Hac ergo cidari, tanquam publici officij decore, induit & ornat Angelus Jehovam, eoque ipſo ſacerdotij reſtaurationem, & rerum ſacrarum adminiſtrationem (quam cidari ornatus Pontifex curabat) ad tempora uſque Meſſiæ pollicetur. At vero miniſterij conſtitutio & conſervatio, tum etiam Eccleſiæ collectio, opus ſolius Dei eſt, eo quod infinitæ virtutis eſt: Vide Pſal. 68. v. 12. 1. Corinth. 12. 28. Syr. 45. 21. Eſa. 41. 27. Jerem. 13. 15. cap. 23. 4. Joel. 1. 23. &c.

XV.

Hunc itaque ſyllogiſmum generalem è dictis pro aſſer-

tione

tione nostra conficimus: Qui in casu recto & absolute dicitur Jehovah, nomine solius Dei proprio: II. Describitur ut Angelorum Dominus in illos imperium habens, & ab illis factorum rationem requirens, & jussa imperans: III. Actiones mere divinas exercet, hostes Ecclesiæ manu sua exagitat, Ecclesiam ut suum peculium habet, & adversus Satanam defendit, peccata insuper autoritative remittit, justiciam donat, Ecclesiam colligit, ministerium constituit & conservat, is utique est verus & æternus Jehovah. Atqui Angelus, qui intercedit pro popnlo Israelitico, Zach 1.12. est is, &c. ut ex ijs, quæ dicta sunt innotescit. Angelus ergo ille qui intercedit pro populo est verus & æternus Jehovah, quod impræsentiarum demonstrare animus erat.

Appendices.

1. *Imputativa justitia an sit putativa & imaginaria?*
2. *Polygamia Patriarcharum an illicita?*
3. *Mentiri an quandoque concessum?*
4. *An & qua ratione cuique sit præfixus vitæ terminus?*
5. *Quid liber quem scripsit Deus, & quæ deletio è libro?*
6. *Sitne Christus Mediator secundum utramque naturam?*
7. *Pœna Sagarum qualis?*
8. *Pœna furti qualis?*
9. *Pœna hæreticorum qualis?*
10. *Pœna adulterorum qualis?*

Sit

DEO GLORIA.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958736/phys_0324
DFG

יהוה

De Idololatria.

Disputatio X.

Quæ est

DE ANGELOLATRIA

Nona.

Resp. M. Johannes Carmenus, Westph.

Punctum XV.

De Angelo Tobiæ comite, Tob. 5. 5. seqq.

Quis fuerit? Et, An ejus exemplo confici possit, Angelos Deo hominum preces offerre?

I.

SEXTO, Angelus Tobiæ comes patrocinium causæ Pontificiæ suscipere jubetur, qui *preces Deo obtulit*, Tob. 12. 12. Nam, quod Angeli *cognoscant nostras preces, offerant & sistant eas Domino Deo, affirmant Catholici, & probant ex scripturis Tob. 12. Ego obtuli orationem tuam Domino*: ait ex Bellarm. Becanus tom. 1. op. 14. cap. 16. Et idem alii, quos recensere non est opere pretium.

II.

Antequam vero in hunc Angelum ejusq; gesta pressius inquiram, suppono primum, *Librum Tobiæ in Canone non esse*, adeoq; fulciendis fidei dogmatibus invalidum esse: Probatum id alias à nostris, quod ne actum agam, recoquere nolo; Hoc tamen cumprimis observari peto, quod *Ecclesiæ testimonium* in causa, ubi de Scripturæ & Ecclesiæ autoritate disceptatur, magni à Pontificiis semper fiat: Scotus *libris sacri Canonis non esse credendum* ait, *nisi quia primo credendum Ecclesiæ approbanti & authoritati libros istos & contenta in eis*. l. 3. Sentent. d. 23. q. Un. Durandus vult, nos credere oportere, *Scripturam à Deo inspiratam, quia Ecclesia, quæ regitur à Spi-*

ritu S. approbat. dist.24.q.1. Eccius ait, *scripturam non esse authenticam nisi autoritate Ecclesiæ*, in Enchirid. Bellarmino contendit, *non aliunde haberi scripturam esse divinam, & qui sint libri sacri, nisi ex traditione non scriptâ*, l.4.de Verbo Dei, c.4. Et idem reliqui Pontificij ὁμοθυμαδὸν affirmant, nisi quod quidam τὰ σκληρὰ μαλθηκῶς λέγουσι, &, contra quam alii faciunt, volunt, *autoritatem Ecclesiæ non esse rationem per se moventem ad credendum, sed causam sine qua non crederemus*, quod aliquot argumentis firmat M. Canûsl. 2. Loc. Th. c.8. sive, ut Valent. inquit, *solum testimonium divinum, quod revelatione continetur, esse causam rationemq; fidei, propositionem vero Ecclesiæ requiri tanquam conditionem sine quâ Christianâ quidem fide minimè crederetur*, l.1. de Anal. Fid. c.1. & disp. 1. in 2. 2. q. 1. p. 1. §. 10. Et hoc quidem dextre intellectum à nobis cum *B. Chemnitio* inculcatur; ut qui Ecclesiæ testificationem in hoc negocio, non quidem ut causam fidei divinæ, sed ut causam sine qua non crederemus, sive conditionem ad credendum requisitam admittimus, non ut per illam fides quâ scripturis creditur, fiat fides verè Christiana, sed ut per illam verbum cui credimus, homini q. intimetur, atq; sic agens patienti applicetur: Neq; illam Ecclesiæ de scripturis traditionem pro *verbo aliquo non scripto* venditamus, ut audet Bellarm. l.4. d. V.D. c. 4. qui inde traditionum non scriptarum necessitatem adstruit, quod Canon SS. non aliunde quam è traditione innotescat; sed salrim ut *humanum testimonium* urgemus, ad credendum scripturis fide divinâ, requisitum: *Ecclesiam* vero quando appello, non intelligo *Mathematicè omnes Dd. id est nullo plane excepto, sed moraliter, Quo quidem pacto omnes esse censentur ij, quorum autoritatis pondus tantum est, circumstantiis omnibus consideratis, eruditionis, pietatis, multitudinis, &c. Ut à prudentibus certè eorum ratio solum haberi debeat, ceteris neglectis q. nihil sint, si cum illis conferantur*, prout ait Greg. de Valentia l.8. de Anal. F. c.8 *Ecclesiam* item *primitivam* requiro, à quâ, sicut Chemnitius rectè dicit, SS. habet *autoritatem ut à teste, cujus tempore scripta illa edita & approbata fuerunt*; Præsens enim Ecclesia *non potest facere librum Canonicum de non Canonico, nec contra, sed tantum declarare, quis sit habendus Canonicus*,

nicus, & hoc non temere nec pro arbitratu, sed ex veterum testimoniis & similitudine librorum de quibus ambigitur, cum illis de quibus non ambigitur &c: quæ ingenua Bellarm. assertio est, l. 1. de V.D. c. 10. Præsenti enim Ecclesiæ de Canone Scripturarum nil innotescit ex immediatâ quadam Dei revelatione, quia *non sunt nunc novæ revelationes expectandæ, sive à summo Pontifice, sive à Concilio sive etiam ab Ecclesiâ tota*, prout res ipsa docet, & his verbis asserit M. Canus l. 2. L. Th. cap. 7. Oporret ergo omne illud quod Ecclesia præsens de Scripturarum Canone tradit, ex primitivæ Ecclesiæ Traditione & testimonio innotescere, quæ ut B. Chemnitii verbis hic loquamur, *postea perpetuâ successione per manus tradita est posteritati, & in certis antiquitatis historiis diligenter conservata, ita ut sequens Ecclesia custos esset testificationis primitivæ Ecclesiæ de Scripturâ*. Unde jam ulterius consequitur, Ecclesiam præsentem nil circa SS. Canonem nisi ex *primitivæ Ecclesiæ* traditione definire, nil contra & citra illam, nisi aberrare velit, hîc sancite posse, quia *traditiones illæ Apostolicæ* juxta Bellarm. *non sunt, nisi quas firmis testimoniis antiquorum probare possumus esse Apostolicas*, l. 4. de V.D. c. 3. Et vero illa primitivæ Ecclesiæ testificatio conditio necessaria est, unde nobis Canon SS. innotescit, absq; quâ si esset, citra divinam revelationem nil de illo perspectum haberemus. Unde etiam pii veteres Canonem SS. *secundum traditionem Veterum ita deputarunt*, & illa Scripta receperunt, quæ *intra Canonem Patres concluserunt*, uti Hilarius & Ruffinus affirmant: Proinde Augustinus *ridendos aut etiam dolendos* dixit *Manicheos, qui tam fundatæ autoritati à temporibus Apostolorum usque ad hæc tempora certis successionibus custoditæ atq; perductæ audeant tale aliquid dicere*, l. 32. contra Faust. c. 21. Quibus Manicheis non sunt absimiles Paterculi nostri Tridentini & Florentini, qui rejectâ constanti præcedentium seculorum traditione, contra illam ex paucorum Veterum incerta, dubiâ, & inconstanti opinione novum nobis SS. Canonem satis noviter atqdd audacter pro suo Imperio & cum anathematis fulmine obtrudere ausi sunt:

III.

His vero præsuppositis facile erit negotium conficere, & demonstrare, quod Liber qui Tobiæ dicitur pro Canonico haberi non possit, Quia unanimi primitivæ & Succedentis Ecclesiæ testimonio non solum destituitur, sed & diserte inter Apocrypha (non quidem illa, quæ repudianda aut damnanda sunt, sed quę ad dogmatum probationem adhiberi non possunt) recensetur: Videas Tobiam omitti à Josepho l. 1. contra App. in præfat. Meliton. Episc. Sardensi, apud Euseb. l. 4. H. E. c. 25. Orig. expl. Psal. 1. Athanas. in Syrops. Script. Hilar. in Prolog. expl. Psalm. Concil. Laod. can. 59. Cyrill. Hieros. Catech. 4. Gregor. Nazianz. carm. de gen. SS. libr, Amphil. Epist. ad Seleuc. Epiphan. l. contra Hær. & de Mens. & Pond. Hyeron. in Prol. Galeat, & præfat. in Prov. Ruffin. in exposit. Symb. Ap. I. Damasc. l. 4. de O. F. c. 8. Strabon. Fuld. Hugon. & Richard. de S. Victore, Hugon. Card. Nicol. Lyran. Anton. Qui omnes Tobiam in Canonis recensione constanter omittũt, nisi quod Athanas. ex quorundam opinione ait, *Visum esse quibusdam additis Tobia & Judith 24 libros secundum numerum Græcarum literarum comnumerare.* Plerique etiam constanter reiiciunt: Hyeron. in prol. Galeat. *Tobiæ non est in Canone*, h. e. ut Cajet. exponit, *non est regularis ad firmandum ea quæ sunt fidei*; Et præfat. in Prov. Tobiam recenset inter libros quos *legit quidem Ecclesia, sed inter Canonicas Scripturas non recipit.* Ruffinus in expos. symboli, *ejusdem ordinis* ait esse Tobiam cujus sunt libri *Ecclesiastici*, h. e. non Canonici, quos *legi quidem in Ecclesiis voluerunt, non tamen proferri ad autoritatem ex his fidei confirmandam.* Rudolph. Flaviac. l. 14. in Lev. ait Tobiam, *quamvis ad institutionem Ecclesiæ legatur, tamen non habere autoritatem.* Hugo de S. Victore l. 4. didasc. c. 2. asserit, *legi quidem sed non scribi in Canone.* & ita cum illo Richard. de *S.* Victore iisdem verbis. Hugo Cardinalis prolog. in Jos. Tobiam refert inter illos, qui, *quod sunt dubii de Canone non numerantur, sed quia vera canunt, Ecclesia suscipit illos.* Nicol. Liranus *ait* in l. 1. Reg. c. 16. librum Tobiæ *non esse*

in

in Canone & licet recipiatur in Ecclesia ad ædificationem prælegendus, efficacem tamen non esse ad probationem alicujus dubij, quod item inculcat Præfat. in Tob. Et hoc Lyrani assertum probant, quoque Antoninus, Abulensis, Cajetanus, & alij apud Serarium præfat. in Tob. Ecce! Ecclesiæ de Libro Tobiæ traditionem, quæ constanti seculorum successione etiam per medium Papatum ad nos usque est derivata; Proinde ægrè ne ferant Jesuitæ, quæsumus, quod Librum istum Ecclesiæ constanti testificatione rejectum & resectum è Canone, pro Canonico habere non possumus: ignoscat quoque nobis Gretzerus, quod ipsius audaciam & impudentiam admiramur, quæ ipsum ita jussit declamitare in defens. l. 1. Bellarm: *Tam infallibilis est Tobias aut Judith, quam Genesis aut Epistola ad Romanos*: Item: *Audi Juni, tam certa est & infallibilis definitio Concilij Tridentini de libro Tobiæ v. g. quod sit Canonicus, quam si decretum hoc ab ipso S. Petro Apostolorum Principe in Concilio Tridentino scriptum & promulgatum fuisset*: Item: *Etiamsi nullus unquam usque ad Concilium Tridentinum scriptum reliquisset, librum Tobiæ aut Judith esse Canonicum, Concilium autem Tridentinum Oecumenicum definivisset librum Tobiæ esse Canonicum, prono assensu id crederem, mihique certissime persuaderem, Concilium non nisi ex traditione Apostolicâ hoc decernere & definire.* Hæc ille Gretzerus, cui quid contigerit, aut ubi tandem fuerit, aut animum gesserit, cum hæc talia scriberet, divinari non licet. Forte non fuit domi. Nos ipsi, aut si ipse non amplius supereſt, ejus Hyperaspistis Jesuitis hunc nodum solvendum damus: Q Liber ex testificatione Ecclesiæ primitivæ pro non Canonico habetur, ille à præsenti Ecclesia non potest fieri aut declarari Canonicus. Ἔνδηλον ex iis qui dicta sunt: At vero Liber Tobiæ est talis. Ergo. Quæ hîc in contrarium pro *autoritate* hujus libri è Veterum Scriptis proferuntur à Sixto Senensi l. 1. Bibl. S. f. 2. p. 24. & l 8. Hæres. 11. p. 827. & à Bell. l. cit. à Mario in prolog. SS. num. 48. à Nic. Serario prolog. 5. in Tob. præ aliis hîc operoso, ea facilem habent explicationem: modo attendatur (1) Patres non omnes sed pauciores, neque antiquissimos, sed circa quintum seculum & idem fere tempus

exortos hunc & similes libros Canonicos appellasse, qui patres traditionem Universalem facere non possunt, præsertim quod temporibus sequentibus illa illorum opinio non fuerit universim recepta & in Ecclesia probata. (2.) Patres istos *Canonem* sæpe pro *Codice* ponere, cumprimis Innocentium I. (quem nobis objiciunt) mortuum Ann. 416. qui in Epist. 3. ad Exuper. libros quos in Canonem refert, opponit iis Apocryphis, quæ sunt *scripta non solum repudianda sed etiam damnanda*: ut ipsa nos Epist. docet: Ita & Concil. Carthag. Canonem illorum scriptorum definit, quæ *à patribus acceperit in Ecclesia LEGENDA*. Nec minus Augustinus librorum Canonicorum unũ alteri ratione *autoritatis* præponit, & libros Maccabæorum utut dicat *Canonicos, sobrie* tamen monet *esse legendos & audiendos*, è quo constat, quo ille sensu *Canonicum* intellexerit. (3.) Librum in Scripturæ *Codice* extantem sub nominè *Sacræ* aut *divinæ Sipturæ* interdum à Patribus citari, (prout Tobias à Clemente aliisque à Sixto Sen: Mario & Serario allegatis interdum citatur) non tamen idcirco pro *Canonicâ Scripturâ* haberi, quæ singula ex ipsorum Patrum scriptis evidenter Clariss. Hornejus in tract. de SS. ostendit. Sed finimus ista & venimus propius ad propositum.

IV.

Quia itaque persuasi sumus, Librum Tobiæ non esse in Canone, etsi admittamus eum in Codice SS. nemo, ut arbitror, vitio nobis vertet, si paulo diligentius hujus Angeli, qui dicitur comitatus Tobiam, dicta & gesta discutiamus, eaque ad SS. Canonicæ ἴσην καὶ μόρφωσιν regulemus. Non id fiet eo animo, ut Angeli ullius, quẽ *verè* novimus Angelũ, dicta aut gesta in discrimen vocemꝰ, aut Angelo cuipiã (quod procul absit à piis mentib.) mendacium impingamus; Sed ut vindicemꝰ potius à mendacio, & dispiciamus, An credendum sit, hæc, quæ liber Tobiæ Raphaeli tribuit, ab Angelo verè gesta, aut potiꝰ à pio Viro per modũ fictionis excogitata esse; Sive: An Angelꝰ ille Tobiæ fuerit verꝰ, an potius

tius fictitius sive personatus? Ubi ingenue fatemur, *Angelum istum fuisse (non verum sed) fictitium & personatum*, quemadmodum & ipse liber fictitius est, ab homine pio & mediocriter docto, ut B. Lutherus suspicatur, per modum Comædiæ concinnatus: Hæc nostra assertio est, cui, ne nimium prolixi simus, *duabus* saltem rationibus fidem conciliamus.

V.

PRIOR RATIO petita est *ab Angeli responso*, qui à Tobiæ filio quæsitus, *Unde te habemus bone juvenis?* regerit, *Ex filiis Israël*, Tob. 5. 7. A Patre interrogatus: *Indica mihi, de quâ domo, aut de quâ tribu es tu*, respondet; *Ne sollicitum te reddam, Ego sum Azarias Ananiæ Magni filius*, v. 16. 18. Vel ut in Græco est: ἐγὼ τὸ γένος Αζαρίου τοῦ Ανανίου τοῦ μεγάλου τοῦ ἀδελφοῦ σου; *Ego ab Azaria & Anania illo magno fratribus tuis genus duco*; Hebræa Pagnin. ita vertit; *Ago de familia Ananiæ, filii Azariæ M. & nomen meum Azarias.* Cap. 7. 3. uterque Raphaël & Tobias à Raguele quæsiti; *Undenam estis fratres?* respondent; *Ex tribu Nepthalim sumus, ex captivitate Ninive.* Simile dicendi artificium in universo SS. Canone non reperio Sanctis Angelis tributum, qui utut in humanâ figurâ ad tempus assumptâ, quandoq; apparent, nusquam tamen *dicunt* fingunt que sese *homines* ex certa familia, tribu, domo, gente oriundos, ita enim aliud ore afferrent, quam in veritate compertum haberent, & quod ipsi scirent esse falsum: Uti v. g. falsum est, quod dicit hic Angelus sese esse Israëlitam, Ananiæ filium de tribu Nephtalim, è Captivis Ninive, & id falsum esse ipse quoque benè novit, Tobiam autem, qui verum esse putavit, eo circumvenit, quod locutionis stratagema ego Sancto cuipiam Angelo non possum adsignare. Idque ex dicendis fiet evidentius.

VI.

Ut hanc rationem infringant, variè pl. Dd. allaborarunt:

Primo:

Primo: Drusius in Annot. ad loca diff. Genes. c. 47. ait, eadem ratione SS. Canonicis mendacium impingi, quæ viros appellent Angelos, qui viri tamen non erant, sed esse saltem apparebant, si hoc sit mendacium, quod Angelus sese dixerit Azariam Ananiæ F. etsi non fuerit, sed apparuerit: Verba ejus ita habent: *Si Angeli erant* (tres viri Gen. 18.) *quomodo eos viros appellat? Sic Manoë pater Samsonis Angelum qui ei apparuit, hominem vocat. Respondent hoc fieri, quia in specie virorum & hominis apparebant; Sic Satan, inquiunt, Samuel vocatur, cujus formam induerat. Hoc recte; Sed quare non eodem modo excusant Angelum apud Tobiam, dicentem se Azariam esse filium Ananiæ, cujus formam sive speciem referebat, ut Athanasius testatur; Mendacium est, inquiunt, & hujusmodi mendacia non extant in libris Canonicis. Ego contradico, aut non est mendacium, aut talia mendacia extant in libris Canonicis: Exempla quæ produxi fidem faciunt. Unde Canon Theologicus apud August Species rerum appellantur de nominibus ipsarum rerum &c.* N. Serarius Jesuita in h. l. eodem fere diverticulo usus est: *Dico ego*, inquit, *vere Angelum dicere se Azariam esse, quia illius formam & personam præ se ferebat, quemadmodum S. Petri imago dicitur D. Petrus. Neque enim majus hoc mendacium, quam cum dicit Angelus Gen. 31. Ego sum Deus Bethel, ut eum in locum fatetur Calvinus. Et Exod. 3. & 20. Ego sum Dominus Deus tuus, ut iis in l. probavi. Hinc D. Athanasius in Synopsi: Raphaël comitatus est illum in speciem hominis qui Azarias diceretur. Vide Hyeron. Dan. 8. S. August. Serm. 226. Celavit in primo nomine dignitatem, ne faceret locatori terrorem, si enim diceret, Ego sum Angelus, non esset Tobiæ mercenarius.* Et huc facit, quod Dionysius Carthusianus jam ante regessit; *Etsi*, inquit, *nunquam mentiantur Angeli, tamen occultant interdum veritatem*, in comment. ad h. l. Hic Resp. 1. Aliud est de alio aliquid dicere juxta alterius judicium, aliud de se in prima persona aliquid referre: Potest fieri, ut aliquis citra veritatis jacturam alterius de re hoc aut illo modo sentientis judicium exponat, Uti v. g. Scriptura, cum dicit, Abrahæ *tres viros apparuisse*, Gen. 18, 2. qui tamen viri non erant, hæc dicit non secundum rei veritatem, sed secundum Abrahæ visa & sensa, cui videbantur esse viri;

ri; Non hic suam sed alterius, non quidem mentientis, sed de re uti apparet, judicantis sententiam exponit: Verum, Qui de semetipso loquitur in prima persona, sibique hoc aut illud attribuit, illum oportet non ex alterius, sed sui ipsius mente & conscientia loqui, aut indicare ad minimum, se non ex sui sed alterius judicio de sese loqui; Secus si fiat non erit mentis & sermonis conformitas, atque sic nulla in sermone veritas; Angelus autem ille Tobiæ sibi in prima personâ illud attribuit, quod sit Azarias, *Ego sum*, inquit, patrem quoque, consanguineos, tribum, captivitatem *sibi* vendicat, & quidem, ita ut Tobias arbitratus sit rem sese non aliter habere, quia ex verbis aliter non poterat judicare: Neque huic rei, ut sese Azariam diceret, satis esse poterat repræsentatio, *quod* Azariæ *formam & personam præ se ferret*; Quia ob nudam formæ aut personæ repræsentationem nemo potest dici is, cujus personam repræsentat: Alias et Dæmon in Samuelis figurâ apparens recte dixisset, *Ego sum Samuel*, 1. Sam. 28. item in hujus aut illius defuncti formâ homines illudens, recte diceret, *Ego sum hujus aut illius anima*, quod tamen Chrysost. judice, *fraus est, non enim anima est, sed Dæmon illa comminiscitur, ut fallentes fallat*, homil. 29, in Matth. Verè tamen hæc diceret Dæmon, si Drusii & Serarii ratio obtineret. Nec uspiam Angelus creatus, uti putat Serarius, in Scripturis ob id quod Deum repræsentat, dicitur in casu recto Deus & Jehovah; Locis enim objectis non de Angelo qui vernm Deum repræsentat, sed de Angelo, qui verus Deus est, sermo fit, ut ante dictum. 2. Aliud est occultare aut tacere quod verum, aliud profiteri, & palam edicere quod falsum est. Taceri potest quandoque veritas ita exigentibus circumstantiis, negari tamen nunquam potest. Sic Angelus Manoeh, etsi quæsitus de nomine verum dissimularet, quia id asserere nondum erat visum conveniens, non tamen verum negavit, aut falsum respondit, Jud. 13.17. quod noster Angelus visus est feciſſe.

VII.

Secundò: Autor Glossæ ordin. ait; *Mystice verba Angeli esse intelligenda; Erat ex numero Angelorum, qui sunt filij Israël, quoniam semper vident Deum à facie ad faciem, & sæpe mittuntur ad custodiam Israëlis, id est, videntium Deum:* Nicolaus Lyranus eodem ferme modo: *Locutio*, ait, *figurativa erat, Azarias autem interpretatur adjutor Dei, Angeli vero sunt adjutores, in quantum per eorum ministerium electi diriguntur ad salutem: Ananias vero interpretatur Dei gratia, cujus filii sunt Angeli, quomodo dicuntur filii gloriæ, quando est gratia consummata.* Dicit autem se esse ex captivis Ninive, *propter conjunctionem charitatis, quâ conjuncti sunt Angeli cum filiis Dei.* Dionys. Carthusianus: *Angelus se vocat filium Ananiæ h. e. Dei, qui propterea vocatur Ananias, quod respondeat, h. e. clementer annuat precibus nostris, Azariam vero seipsum vocat, propterea, quod à Deo emissus esset ad opem ferendam Tobiæ. Dicuntur autem Angeli filii Dei ratione creationis.* sic quod Angelus dicit se esse è tribu Nephtalim, Hugo Cardin. Sic exponit, quod *quoad Tobiam verum sit quoad literam, quoad Angelum verum fuerit quoad nominis interpretationem, Nepthalim enim interpretatur dilatatio, & Angelus erat de illis qui erant dilatati charitate.* Et ita ferme Serarius in Tob. cap. 5. p. 58. Sallianus Tom. 4. Annal. ad A. M. 3324. n. 21. alijq; pl. ubi tamen Lyranus & Hugo non eo fine has excusationes prætexunt, ut Canonicam hujus libri autoritatem ostendant, sed Angeli quem verum esse putabant, sermones quoquo modo defendant. Verum nondum sufficit isti vulneri hoc malagma: Ut taceam alienas nominum Israëlis & Nepthalim afferri derivationes, quorum illud non significat *videntem Deum*, sed *principem Dei*, qui prævaluit contra Deum, ex שׂרה & אל ut constat ex Genes. 32. 28. Hoc vero non significat *dilatationem*, uti Hugo derivat, forte à פתה quod Chald. est dilatare, sed *permutatum*, ut B. Luth. vertit, vel ut alii, *luctationem meam*, à פתל quod luctari, conari, contorqueri significat, uti hæc etymologiæ ratio redditur, Genes. 30. 8. Ut inquam,

hoc

hoc omittam; Saltim attendo, quod juxta hos Glossistas Angelus de allio quæsitus de cæpis responderit, & Tobiæ interrogatum *æquivoco responso* eluserit, verbisque in se satis quidem perspicuis tacita mentis restrictione alienum sensum affinxerit: Quod est I. contra *legem sermonis* & verborum, quæ *propterea sunt instituta, non per quæ se invicem homines fallant, sed per quæ in alterius quisque noticiam cogitationes suas proferat*, juxta August. Enchirid. c. 22. II. Contra *Legem charitatis*, quæ alterum circumvenire vetat; Decipitur vero Tobias cum aliud mente versat Angelus, quam sermones ex communi significatione denotant, quos tacitè restringit, etsi aliud intelligere noverit Tobiam, qui putabat Angelum communi & usitata verborum significatione loqui, atque verè hunc esse arbitrabatur Azariam, Ananiæ filium prout responsum præ se ferebat. &c. III. Contra *Legem veritatis*, qnæ severissime inculcatur, sicut & contrà universim mendacium prohibetur, Zach. 8. 9. Matth. 5. 37. Eph. 4. 25. Coloss. 3. 9. Jac. 3. 14 &c. Quia autem *Verba ita sunt ex communi sensu instituta ad significandum, non potest quisquam mutare significationem illorum, aut illis aliquid aliud pro sua voluntate significare, quia vocū significatio ex communi sensu accipienda est: Quare non minus peccaret contra veritatem, quicunq; uteretur verbis in alia significatione præter communem, etiamsi directe non diceret contra mentem, sed vellet aliud significare, quam si directe contra mentem verbis ipsis uteretur*, ut observat beneG. Vasquez d. 182. in 1 2dæ. cap. 4. *Et tolleretur hâc ratione omnium fere sermonum certitudo*, omne item mendacium excusari absque negotio posset, *si quis absque mendacio uti posset verbis alioqui contradicentibus veritati, affingendo illis suo arbitratu sensum alienum à proposito*, ut recte ait Valent. tom. 3. disp. 5. q. 13. Et, *quamvis verba ujurpare ad aliquem sensum alienum significandum in conversatione communi non esset mendacium proprie contra negativum præceptum, esset tamen peccatum omissionis contra præceptum affirmativum illius virtutis veritatis, quo quidem præcepto exigente ita ratione boni commnuis & civitatis, quilibet interrogatus à proximo debet respondere determinatam veritatem, quam interrogatur, vel de quâ ortus est sermo*, uti idem Valentia-

leutianus notavit. Hic vero Angelus, secundum Dd. istos usus est verbis in alia significatione præter communem, & illis aliud pro suâ voluntate & in mente significavit, quam communiter significare solebant, itemq; illis pro suo arbitratu alienum à proposita quæstione sensum tacite affinxit, interrogatus quoque à Tobia, unde esset de quâ domo, tribu, aut familiâ, non respondit determinatam veritatem, quam interrogabatur, & de qua ortus erat sermo. Quæ singula, ipsis Vasquezio & Valentiano fatentibus, sunt contra veritatem. *Est Deus duplicitatis aspernator, simpliciter intentionem utriusq; interrogantis & respondentis considerat, verborum artem aspernatur & odit; Quacunq; arte verborum quisq; juret* (dicat) *Deus tamen qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille cui juratur,* (dicitur) *intelligit.* Isidor. Si hic aliquis excipiat; *Non omne mendacium in peccatis esse numerandum, adeoque Angelum dicendo mendacium non peccasse:* Huic oppono sententiam August. l. de Mendacio ad Consent. & l. contra Mendac. quæ omne Mendacium inter peccata recenset, atq; *in Scholis omnium calculis jam probata est, contra Cassian. collat. 17. ubi c. 20. docet licitum esse mendacium ob aliquam utilitatem,* apud Vasquez. cit. loc. Thomas 2.2.q. 110, a. 3. *mendacium* ait *esse malum ex suo genere.* Bonaventura l. 3. d. 38. a. 1. q. 2. *dicendum* æstimat, *quod absque dubio omne mendacium est peccatum, ut nullo pacto, nullo fine, nullâ dispensatione nec humanâ nec divina possit fieri bene, Et hoc August. dicit expresse, & nititur multipliciter probare, & in hoc cummuniter concordant Dd.* Fusè inter alios hoc astruit Becan. Tom. 2. Op. 1. cap. 6. th. 3. seqq. ubi vide. Unicum Augustini dictum apponimus, quod ita habet: *Omne mendacium ideo dicendum est esse peccatum, quia homo debet loqui quod animo gerit, Omnis autem qui mentitur contra id, quod animo sentit loquitur. Et utiq; verba propterea sunt instituta non per quæ se invicem homines fallant, sed per quæ in alterius quisque notitiam cogitationes suas proferat. Verbis igitur uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est.* Enchirid. c. 22.

VIII. Ter-

VIII.

Tertio. Quidam Thomæ Commentator in p. 1. q 51. art. 2. aliud effugium quærit, & dicit, *fieri posse ut Angelus quod antea conformatum jam fuit, & in sepulchro forte jacebat, corpus assumeret, & ita* ait, *locum hunc explicari posse, quia potuerit Raphaël Azariæ corpus asciscere, vel certe alius alicujus, qui ex magni Ananiæ prosapiâ esset:* Verum hoc effugium jam ante ipse Serarius vidit esse nullum, Quia, *si alius alicujus corpus assivisset, falso adhuc Azariam sese diceret, si Azariæ verò mortui corpus assivisset, resciscere ipsius mortem, vel jam tunc vel saltem postea, ipso adhuc Raphaële peregrinante potuisset Tobias; Sicque verba sibi data, fraudemq; factam Tobias judicasset ac doluisset. Esto tamen, nunquam resciviset, nunquid hominis pars una proprie homo est? Nam isti contra quos mihi hæc disputatio, nullum in Angeli verbis tropum. sed puram putam proprietatem volunt. Si vero, ut interdum συνεκδοχικῶς dicitur, una pars hominis homo esse potest, nonne potius animus ipse homo quam corpus? Cum solum ergo Azariæ corpus sibi Raphaël adjunxisset, quomodo verum fuisset; Ego sum Azarias?* Hæc contra istum Dd. Serarius, quibus ut aliquod insuper addamus, non est opus.

IX.

POSTERIOR RATIO petita est *ab Angeli consilio*, ubi in primâ itineris statione jussit *piscem*, qui Tobiam in fluvio sordes abluentem invasit, *extrahi & exentari, cor ejus & fel & jecur reponi, quod necessaria essent ad medicamenta utiliter.* Quæsitus vero à Tobia; *Obsecrò te Azaria frater, ut dicas mihi, quod remedium habebunt ista, quæ de pisce servari jussisti:* Respondit: *Cordis ejus particulam si super carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus Dæmoniorum sive à viro sive à Muliere, ita ut ultra non accedat ad eos*, Tob. 6. 2. seqq. Hoc vero consilium valde suspectum facit hunc Angelum, ut persuasi simus, ejusmodi Raphaelem in rerum naturâ non fuisse, qui tale ἀλεξιφάρμακον contra omnia dæmo-

num genera suppeditarit; Unum hujus atque alterum fundamentum adferemus:

X.

Primò: Christus ait, *quoddam genus Dæmoniorum non ejici nisi jejunio, & Oratione*, Matth. 17. 21. h. e. oratione seria & ferventi, est enim in hac locutione *Hendiadis*, ut vocant, ubi duo substantiva conjuncta sunt, quorum alterum adjectivi vicem supplet, ejusque significationem habet cum emphasi quadam; Ut v. g. *Imago & similitudo*, Gen. 1. 26. est imago quam simillima, *primogenita & pingue* Gen. 4, 4. sunt primogenita valde pinguia, & optima, *nomen & ornatus*, 1. Par. 27. 5. est nomen ornatissimum sive valde celebratum, *silentium & vox*, Job. 4. 16. est vox tacita sive submissa valde, *tauri & coronæ*, Act. 14. 13. sunt tauri coronati, *gloria & virtus*, 2. Pet. 1. 3. est virtus sive potentia gloriosa: Ita & h. l. *Jejunium & Oratio* est oratio valde jejuna, h. e. admodum fervens, fidelis & devota, quæ jejunio & abstinentiâ q. flabello est excitata: Christus enim h. l. jejunium, *per se* ut pietatis cultum, aut medium adversus Dæmonas non commendat, uti Seratius putat, sed valde jejunam h. e. est fervidam & fidelem orationem requirit, eo quod *hoc genus Dæmoniorum*, quod diuturnâ possessione invaluit, & ex Dei permissu atrocius grassatur, non levi, tepidâ, aut perfunctoriâ, sed ardenti, fideli, & indefinenti oratione expellatur. Est itaque quoddam genus Dæmoniorum quod non ejicitur nisi jejunio & oratione, ut Christus asserit; E. non omne genus Dæmoniorum extricatur fumo isto de corde aut jecore piscis, quod Angelus hic in medium consulit.

XI.

Secundò: Alibi in SS. Canonicis ubi hominum contra Spirituales nequitias armamenta recensentur, non fit ulla ullius fumi mentio, quod tamen, credo, factum esset, si fumus quidam piscis haut ignoti (qualem hunc arbitrantur, vide Valles. Sacr. Philos.

Philos. c. 42. Sallian. Serar. l.cit.) omnes Dæmonas ita fugaret, ut nunquam revertantur. D. Petrus à suo Servatore edoctus arma quibus Leoni rugienti obviam ire possimus, hæc requirit; *Sobrij estote, vigilate, quia adversarius vester ambulat* &c. *Huic resistite fortes in fide*, 1. Pet. 5. 8. B. Johannes eodem prorsus modo *Fidem* dicit esse *Victoriam quæ vincat mundum*, cujus Satan princeps est, 1. Joh. 5. 4. Et alibi fidelium arma dicit esse *Sanguinem Agni, & Sermonem testimonij*, & patientiam, sive perseverantiam, quod *animam suam non dilexerint*, h.e. quibusvis etiam maximis periculis propter Deum objecerint *ad mortem usque*, Apoc. 12. 11. D. Paulus Militem Christianum πανοπλίαι adversus Satanam à capite ad talos usque armaturus, *pro clypeo fidem, pro galeâ spem, pro gladio verbum Dei, pro lorica justitiam, pro calceis patientiam, pro baltheo veritatem, pro telo orationem* suppeditat, Eph. 6. 11. seqq. Cui Apostolo non erubescit in faciem contra ire Serarius, quando ait, *propositum non fuisse Apost. totum Ecclesiæ armamentarium exponere, sed præcipua quædam armorum genera commendare:* Cum tamen πανοπλίαν h. e. universam Dei armaturam hic exponat, qua fideles induti *stare* possint *adversus artes Diaboli, & obsistere tempore adverso, & omnibus confectis*, h.e. rite devictis & prostratis omnibus hostibus, *stare*, Ephes. 6. 11. 13. Nec alia armorum genera contra Satanam nobis è Sp.S. armamentario unquam exponet Serarius, quam quæ hic suis Ephesiis exposuit B. Apost.

Christianorum arma adversus Sathanam.

XII.

Tertiò: Non possunt Dæmones ita fugari, quin aliquando revertantur; Ait quidem Angelus, posse *omne genus dæmoniorum ita fugari ut non revertatur*; Et fuere olim, qui arbitrati sunt, *dæmonem superatum nullum posse hominem de cætero tentare, neq; de eodem, neq; de alio peccato, quosdam vero dicere, quod potest tentare alios, sed non eundem*, apud Thomam p. 1. q. 114. art. 5. Sicut & Lombardus ait, *Dæmonibus, qui à Sanctis juste & pudicè viventibus vincuntur, potestatem alios tentandi adimi videri*, idq; ex Origene probat, qui dicat, *non ultra fas esse illi spiritui, qui ab aliquo Sancto castè & pudicè viven-*

vendo victus est, impugnare iterum alium hominem, *Hoc autem*, inquit, *putant quidam intelligendum tantum de illo vitio in quo superatus est, ut si de superbiâ aliquem virum sanctum tentat, & vincitur, ulterius non liceat in illum vel alium de superbiâ tentare.* Verum hîc *Magister* sive quisquam alius *non tenetur.* Reverti posse dæmonas, utut sint fugati, testis est Hist. Evang. Matt. 12.44. Luc. 11.24. c. 4. 13. Job item & Saulis exemplum monstrat, Job. 1. & 2. 1. Sam. 18.9. c. 16.24. Et ideo Christus, ne piis idem cõtingat, *vigilare eos & orare* jussit, *ne incidãt in tentationem*, Matth. 26.38. Luc. 22. 40. Orationis item formulâ à Christo præscriptâ precari quotidie jubemur: *Libera nos* ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, *à malo*, quod Beza vertit, *ab illo Improbo*, Matt. 6.12. h. c. *à Satana*, *qui dictus est*, ὁ πειράζων, c. 4. 3. *Nam* πονηρὸς *potius de personâ, quã de re dicitur, & Art. masculinus adjunctus omnem dubitationem tollit, Interprete ipso Iohanne*, 1. Ioh. 2. 13. *& Tertulliano, qui Malignum interpretatur in l. de Fuga*, ut Bezæ ad h l. interpretatio habet. Neq; alio fine Paulus nos jubet indutos esse universâ Dei armaturâ, ut possimus *stare adversus insidias diaboli, & resistere in die malo*, Eph. 6. 11. quam quod Satan sæpe fugatus sæpius potest redire. *Nunquid enim à mænibus semel iterumque repulsi hostes, acie in campis semel iterumq; cæsi fugatiq;, omnia belli consilia deinceps abjiciunt? An ripsaspides pugnam iterum nunquam capessunt? At canes crebro etiam repulsi & muscæ sæpius abactæ rursum redeunt, allatrant & pungunt. De Dæmonibus ergo cur aliter existimemus? An tam pudentes, tam ad nocendum ignavi tam de suis artibus & hastis desperantes? An eos à quibus despecti & victi tam in bono Deiq; gratia fixos arbitrantur, ut suo amplius libero arbitrio abuti nequeant, non amplius prolabi, non seipsos immutare? Quis vero ullum unquam hostem fortius afflixit & contrivit, quam primo etiam prælio Satanam servator? Et tamen semel iterumq; sese afflictus ille & contritus erexit, ipsum Triumphatorem invasit, manusq; conseruit*, ut Jesuitæ Serarij verba habent, in Tob. cap. 8. quæst. 18. Non jam illud attendo, quod ex aliquot veterum sententiâ Lombardus asserit l. 2. dist. 11. *Unumquemq; habere bonum Angelum sibi ad custodiam deputatum, & unum malum ad exercitium*, *ita* ut Angelus iste malus in principio medio, & exitu vitæ hominem divino permissu oppugnet, ut Com-

Commentatores exponunt; Quod si sit, non fugabitur ita *omne* genus dæmoniorũ ab homine, ut non revertatur; Non tamen, uti dixi, hoc attendo, quia non est satis solidum.

XIII.

Quartò: Fumus ille de Corde piscis dicitur *extricare* omne Genus Dæmoniorum: Extricavit ergo vel ut *Causa*, vel ut *Signum*: Non potest dari tertium: At neutro modo extricavit, Ergo nullo prorsus modo extricavit: Antecedens duo ponit, quæ distinctim probanda sunt: Et *primo* quidem non potuit Fumus ille extricare Dæmones ut *Causa*, quia virtus illa & efficientia adversus Dæmones vel naturalis fuisset, vel supernaturalis, vel mixta ex utraq;: Non fuit, neq; esse potuit *Virtus naturalis*, utut illud asserant Barth. Fayus, P.G. Tholosanus & eo propendeat Hyer. Mengus Vitellionensis in Flagello Dæm. cap. 3. ubi asserit ex h.l. Tobiæ, quod *in quibusdam rebus à Deo creatis insita sit quædam Virtus & potentia juvandi energumenos, & constringendi Dæmones, atq; ipsos eliciendi è corporibus ab ipsis obsessis;* Sicut & Serarius contendit, *fumi hujus efficientiam fuisse quadantenus naturalem*, in c. 8. Tob. q. 3. Quia, uti infra dicam latius, nulla res corporea qualis est iste fumus, naturaliter & per se potest facere impressionem in Spiritus; Cui accedit, quod *non tantum vis abigendi Dæmones fumo isti tribuitur, sed ita etiam abigendi, ut nunquam revertantur; At solent præsentem duntaxat morbum medicamenta depellere, non autem efficere, ut nunquam reverti possit*, quæ ratio ab ipso Serario attenditur l. cit. Neq; *Virtus* illa fumi fuit *supernaturalis*, utut hoc asserat Vallesius de Sacra Phil. c. 42. Quia, quæ Serarij verba sunt, *Angelus cap. 9. 8 Vim efficientiam istam eo modo describit, quo naturales rerum vires contra morbos describi solent, Cordis, ait, ejus particulam, si super carbones ponas, fumus ejus, extricat omne genus Dæmoniorum, sive à viro sive à muliere: Quis Dioscorides, Plinius, aut Mathiolus insitam herbæ vim aliter enunciet? Quibus aliis verbis, quæ natura suggerit, medicamenta eloquantur Theophrastus, Hippocrates & Galenus? Res naturalis recensetur cordis particula, præparatio item naturalis, si super carbones ponatur, verbum*

deinde quod agendi vim importat, additur, extricat, id est, extricandi & expellendi vi præditum est, ut supra dictum. Neq; c. 6. 7. Tobias nisi de naturali harum rerum vi rogat, cum ait, Quod remedium habebunt ista, quæ de pisce servari jussisti? Raphaëlem enim hominem esse putabat, sed qui non frustra servari hæc vellet, peritiamq; ipsorum efficacitatis aliquam haberet. Hoc enim & Raphaël ipse v. 5. indicarat, sunt hæc necessaria ad medicamenta utiliter. Et in Græco modum exponit, paulo quidem aliter, quam in Latino v. 8. sed ita tamen, ut eadem omnia & paulo forte clarius indicet: Ἐάν τινα ὀχλῇ δαιμόνιον ἢ πνεῦμα πονηρὸν, ταῦτα δεῖ καπνίσαι ἐνώπιον ἀνθρώπου ἢ γυναικὸς, καὶ μηκέτι ὀχληθῇ id est: si vexet aliquem Dæmonium, vel malus spiritus, oportet hæc, Cor & Epar suffumigare, coram homine vel fœminâ, & non vexabitur amplius. Hæc in nostram sententiam satis evidenter differit Serarius. Neque virtus illa fumi fuit mixta, partim naturalis, partim supernaturalis, ita ut cum suffimenti hujus vi naturali concurrerint potissimum tria, quæ supernaturalem insignem vim conciliarint, primo remotio causæ v. c. Libidinis, ob quam Dæmoni sævire concessum erat, secundo preces Tobiæ & Saræ, tertio significatio in fumo duplex, tum passionis Dominicæ, tum extinctionis seu debilitationis earum partium, quæ ad libidinem incitant, uti quidem opinatur sæpe dictus Serarius, qui ad incitas redactus, cum fumi hujus virtutem neq; naturalem, neq; supernaturalem videret, aliterq; evadere non posset, ipse mediam sive mixtam excogitavit, quæ de utroq; aliquid participaret, de toto nihil. Nam, fumus ille simpliciter non habet vim naturalem fugandi Dæmonia, non ergo potest habere vim quadantenus sive *aliquomodo* naturalem, & mixtam quandam efficientiam facere, quæ aliquo modo naturalis sit, aliquo modo non sit. Insuper, verba Angeli personati fumo efficientiam ut *medicamento* tribuunt, neq; aliarum causarum concursum exprimunt; Videat & attendat sua verba Serarius, ubi ait, *Angelum cap 9 8. vim efficientiamq; istam eo modo describere, quo* naturales *rerum vires contra morbos describi solent.* Et hoc primum est, quod fumus ille non extricaverit omne Genus Dæmoniorum ut Causa, sive naturalis, sive supernaturalis

naturalis sive mixta. Neq; secundum esse potest, quod sc. Fumo ille Dæmones ejecerit *ut Signum*; Quod in hoc argumento non pauci arripuere, cum viderent fumo virtutem vere efficacem tribui non posse: Diversitas tamen sententiarum est: Quidam volunt totam hanc jecoris incensionem eò tantum adhibitam, ut se hominem esse non Angelum Angelus persuaderet, Alij fumum eundem ajunt fuisse signum temporis tantum, quo Dæmon ex pelleretur, quæ sententia videtur placere Thyreo Jesuitæ p. 3. Disp. de Dæmon. c. 48. *dicere possumus*, inquit, *non docere Angelum, vi fumi Diabolos expelli, sed tantum asserere ipsos fugandos, quando fumus excitatus fuerit* Et paulo post: *Quid igitur est, quod Dæmonium profligavit? Fumus? Non? Raphael Angelus profligavit, quomodo vero? an ob excitatum fumum? Nec hoc etiam; Veruntamen quando excitatus est fumus poofligatus est Dæmon.* Aliis vero placet, fuisse fumum signum efficacitatis precum Tobiæ, quod arripit Nic. Lyranus, *Fumus iste*, inquit, *non expulit Dæmonem, sed figuravit ejus expulsionem, quia sicut dictum est, facta Angeli circa Tobiam fuerunt in multis figuralia, & ideo fumus ex igne procedens significabat virtutem orationis Tobiæ junioris, & Saræ, cujus merito Angelus Raphaël expulit Dæmonem à Sara. Unde non dicitur c. 8. Quod fumus ille Dæmonem expulerat, sed quod Angelus Raphaël Dæmonem apprehendit, & religavit in superioribus Ægypti.* Nec obscure hanc sententiam innuit Dion. Carthusianus, & si in tota hac controversiâ aqua ipsi hæreat, & ipse, quid tandem de fumo isto asserere velit, ignoret. Veruntamen, quod fumus iste signum esse non possit ullo illorum modorum, jam ante vidit & fuse demonstravit Serarius l. cit. q. 2. & res certa est; (1.) Quia verba Angeli fumo satis clarè veram efficientiam tribuunt; ut quod sint (cor, epar, fel,) necessaria ad *medicamenta* utiliter, cap. 6. 5. adeoq; veram in se virtutem medicandi habeant; Item: quod *extricent* omne genus Dæmoniorum, h. e. extricandi vim habeant, pariter ut de herba v. c. aut potione dicitur, quod *expellat* morbos, h. e. expellendi vim habeat; Item; quod *odoratus sit Dæmon fumum, & fugerit* ad superiora Ægypti, quæ verba sunt in Græco cap. 8. & è Latino cap. 6. colliguntur, atq; indicant, *Dæmonem*

nem vi percepti odoris fugisse; ut ait Serar. Item; Quod fel non fuerit signum restituti visus, sed vera causa; *Fel* enim *Callyonimi* piscis (quem hic intelligunt Interp.) *cicatrices sanat, & carnes oculorum supervacuas consumit*, juxta Plinium l. 28. c. 11. Vide Serar. in c. 8. Tob. q. 2. Sicut autem de felle, ita etiam de Corde aut jecore loquitur Angelus, (2.) *Suffecisset*, ajo verbis Serarii, *quodlibet aliud suffimentum thureum vel myrepticum, præsertim cum ejuscæmodi odoris genus ad eam significationem usitatius & accommodatius foret, vel certe satis esse debuisset fumus de quacunq; piscis parte, vel è jecore cujuscunq; animalis, v. 5. arietis cap. sup. mactati, neq; fuisset opus tanto itinere, tantoq; labore unâ cum sarcinis aliis, cor & hepar illud huc afferre.* Et hæc hactenus pro nostra sententia, videbimus quid objiciant adversantes.

XIV.

Objiciunt generatim, *Dæmones fugari posse & sæpefugatos esse rebus sensibilibus sive corporeis*; Ut hujus rei fidem faciant, adferunt primò è *scripturis* Exemplum Davidis, qui *Harmonia Musica* (re sc. sensili & corporeâ) *malum à Saule Sp. excusit*, 1. Sam. 16. 24. c. 18. 9. in quem l. Bodinus; *Musica*, ait, *ante alia plurima contra sp. malignos potest, ut à Saule infestando scribitur malignus Spiritus destitisse, cum David pulsaret fides: Erat quidem tunc temporis Spir. S. in Davide, veruntamen Saulis cruciatus pulsatis demum fidibus desinebat, sive eo quod Musica res divina quædam est, Diabolus vero nihil tantopere quam discordias diligit, sive quod Harmonia conspirans cum animo effugientem rationem ad sua principia revocat, &c.* lib. 3. Dæmon. cap. 6. p. 303. *Dicitur etiam in Musica Guidonis, quod sint quidam Dæmones, qui nonvalent melodiam sustinere*, ait Doctr. pulch. in Mal. Sp. p. 245. Deinde Serarius Miraculum illud urget, quod est Act. 19. 12. ubi *Sudariis & Semicinctiis* Pauli Dæmones leguntur fugati; Withakerum verò, (contra quem hæc scribit) *Messalianis* similem facit, qui *Unicum Dæmones ejiciendi modum putarint, ipsam sc. quam aliis pene omnibus Christianorum ceremoniis vilipensis immodice prædicarint, Orationem.* Post in B. Lutherum debacchatur, &, *qui*, inquit, *ab Angelo jecore incenso exigi*

Dæmo-

Dæmonem non potuisse censet, mirum quam ridiculis obscœnisq; ipse modis eum verbo exemploq; suo profligandum doceat. Laudat enim adversus Diabolum joca, ludosq; varios, avocationem á Legis divinæ cogitatione vini haustum largiorem, cibum redundantiorem, quia in tentationibus, inquit, centies deterius est jejunare, quam edere ac bibere, Commendat etjam adversus Dæmonis tentationes Doctoratus gradu ornatum esse, Ventris (dicto venia sit) crepitus edere, itemq; Dæmoni dicere, ut, quam quis dejicit alvum & oleta odoretur & edat &c. Ne vero quispiam suspicetur, Serarium mentiri, pro redimendâ fide citat Colloquia Sympotiaca, quæ ad Lutheri vexam ipsi sunt satis. Ipsum deniq; *Ignem infernalem* prætendunt Dion. Carthus. & Guilielm. Parisiensis, quod sc. res corporeæ *possint esse instrumenta divinæ potentiæ, sicut de Igne gehennæ credimus circa Sp. condemnatos, &c.*

XV.

Ulterius ex *Ecclesiæ & peritorum praxi* propositum confirmant, quæ remediis corporeis pene multis adversus Dæmonas utendum esse suadeat: Primum sunt *Suffitus*; de quibus Abulensis in 1. Reg. 16. q. 43. testatur, *pervulgatam opinionem* esse, quod *Dæmonia iis profligentur*; P. Comestor Mag. Hist. Schol. *fumum cujusdam arboris adustæ eandem vim habere* perhibet, quem fumus ille Tobiæ habere dicitur, adeoq; *nos super hoc non debere mirari.* Et, uti Serarius inquit, *est hodie harum suffitionum in Exorcismis quidam usus;* Cujus fidem faciet ille *Thesaurus Exorcismorum*, Coloniæ excusus Anno 1608. & Anno 1626. qui vel solo titulo Dæmonem audacissimum fugaret, in quo *Ignem suffumigationum* reperies exorcisari, ut sit *divinæ ultionis instrumentum ad omnem superbiam invisibilium hostium coercēdam, & in se horribilis effumigationis speciebus susceptis tenebrosum ita fumum emittat, ut inde virtute divinâ à corpore obsesso compulsi, non esse in creaturis potestatem agnoscant, quæ omnipotentiæ creatoris æquari possit,* p. 22. edit Colon. Anno 1626. Ipsa vero *suffumigatio horribilis*, uti vocatur, fit ex *Ruta, Astor Attico, Sulphure & Assa fœtida*, an. unc. 2. & exorcisatur, ut *involvat Sp. tenebrarum ita, quod in caligine infernalis horroris ipsis esse videatur, quamdiu humanum corpus occupaverint,*

& quod Dei est, invaserint, ita ut statim à loco fugere cogantur &c. Aliud Suffumigium, quod *immediate maligni Spiritibus adversatur*, sc. R. *Seminum Hyperiçonis, rutæ & incensi an. drach. VI.* consecratur ut *talem de cælo venientem virtutem recipiat, ut sit malignis spiritibus expulsio sempiterna, atque incantationum &c. perpetua comminutio*, &c. Thesaur. c. 17. Sic in Dispers. Dæmon. appl. 15. extat *profumigatio horribilis ad expellendum Diabolum, & maleficium solvendum, Galbani, Sulphuris, assæ fatidæ, Aristolochiæ, Hyperiçonis, rutæ, an. drac.* quæ jubetur esse *perpetua pœna omnibus malignis Spiritibus & fortissimus ac infinitus Ignis eorum, & magis quam est Spiritibus infernalibus Sulphur & ignis infernalis & omnis pœna*; &c. Plura ejus generis, quæ adscribi non merentur, passim reperire est in isto Thesauro. Thus ita exorcisant: *Digneris respicere benedicere & sanctificare hanc creaturam incensi, ut omnes languores, omnes infirmitates, cunctæque insidiæ inimici odorem ejus sentientes effugiant, & separentur à plasmate tuo, ut nunquam lædatur à morsu antiqui serpentis*, &c. De Italicis „mulieribus refert Wierus, illas *impendente tempestate graveolentia „quædam diri odoris incendere, & ita Dæmones tempestatum autores fugare.* Hisce vero omnibus ut fides aliqua concilietur, afferri solet hoc Tobiæ exemplum, *quod fumo particulæ incensæ cordis piscis immanis à Tobia jussu Angeli apprehensi, omne genus Dæmoniorum extirpetur*, ut est in præfat. Thes. c. 17. Serarius *mixtam* suam *efficientiam* tribuit istis suffitionibus, & putat *cum sacræ ad Deum preces conjunguntur huic (Tobiæ) suffitioni non immerito similes videri:* Tum ad experientiam provocat, *quæ divinum quidpiam rebus corporeis bono receptoque usu connexum* esse dicat, ut *aliqua iis contra Dæmones efficientia* negari non possit: Addit exemplum Judæorum, *fumos quondam Dæmonas per nares extrahentium*, & Testimoniũ Thargum Chald. in Cant. 4. 6. ubi dicatur *omnes Dæmones & Spiritus nocentes fugisse ab odore incensi aromatum.*

XVI.

Secundum remedium, quo adversus Dæmones utuntur, sunt *Herbæ,*

Herbæ, Plantæ, Radices. De Pæonia refert Guilielm. Paris. apud Rainol. in præl. 1. Apocr. p. 660. quod *habeat multas & magnas virtutes hominibus necessarias adeoque possibile sit, ut ex odio isto fugiat â præsentiâ ipsius malignus Spiritus & propter hoc ab ipso Dæmoniaco, præsertim propter ipsum fugandum appensa fiunt collo ejus Dæmoniaci:* De Hyperico ait l. 2. de Q. Ess. Lullus, *quod alias dicitur fuga Dæmonum, seu perforata, fumigatio seminis, quod fuget omnem Dæmonem appropinquantem corpori vel domui, idque tantâ quidam vi præditum censent, ut id apud se semper gestent, variis in ædium partibus collocent, fugam Dæmonum idcirco appellitent,* utiSerarius ex illo notavit. Idē ex Amato Lusitano refert, *Thapsiam apud Conimbricenses Dæmonibus infestam adeo haberi, ut pro verbiali q. elogio ipsam ita loquentem faciant: Ego sum Thapsia, quam Diabolus fugit inde, ubi Ego sum.* Bodinus refert l. 1. de Dæmon. c. 3. Scillam Herbam à quibusdam in luminibus suarum januarum pro arcendis Spiritibus suspendi. Wierus l. 5. de Præstig. Dæm. c. 21. ait, persuasum proavis non sanâ Parochorum doctrinâ, *Artemisiam in feriis D. Johanne Baptistæ sacris ante domos suspensam, item alios frutices & plantas atque etiam Candelas facesque designatis quibusdam diebus celebrioribus aquâ lustrali rigatas, vel nescio quomodo expiatas, & quando usus postulat incensas, contra tempestates, fulmina tonitrua, & adversus Diaboli potestatem, opera, & quæcunque maleficia velut prærogativâ quadam valere.* In Malleo Maleficarum refertur p. 2. q. 2. c. 7. p. 310. quod *in partibus Sueviæ primâ die Maij ante ortum Solis mulieres villanæ exeant, & ex Sylvis vel arboribus deferant ramos de Salicibus aut alios frondes, & ad modum circuli plectentes in introitu stabuli suspendant, asserentes, quod per integrum annum jumenta cuncta illæsa à maleficiis remanent & præservantur.* Thesaurus Exorcismorum adversus Dæmones cumprimis commendat (1.) Radd. Tussilaginis majoris, *in pulverem contritas duarum Drachmarum pondere, si sumatur pulvis in vino atque deinde sudare cogatur patiens persona,* quæ vexatur à Dæm. Incubis & Succubis, ut est in Thesaur. postex. 62. p. 150. (2.) Abyssum *genus plantæ, quod facto super ipsum signo Crucis appendatur in quatuor angulos domus, idem quoque fiat de Ramno nigro sive Marruca, Valvis fenestrisq.*

nestriq; imponantur rami ejus, si domus à Dæmone fuerit perturbata, ut est p. 158. (3.) Aurum Thus, Myrham, *quæ in Epiphania Domini benedici solent contra omnia nocumenta Diabolica & maleficia*, ut est in Disp. Dæmon. applic. 2. (4.) Scyllam plantam, *super se deferendam ad securitatem ab insultis maleficiis & Diabolicis obtinendam*, applic. 3. (5.) Semen Hypericonis *super se deferendum ad maleficium infirmandum & Diabolum coarctandum*, applic. 11. (6.) Rutam *in chartâ benedicta super se portandam & olfaciendam, ad omnem invasionem Diabolicam & maleficam repellendam.* appl. 13. *Ruta enim applicata energumenis sustineri non potest ab ipsis Sp. immundis obsidentibus, ut quotidie experimur*, ait Hyeron. Mengus in Flag. Dæm. p. 246. (7.) Quindecim grana nigra *Pœoniæ fœminæ, si redigantur in pulverem & ex vino multo sumantur adversus Dæmones* Incubos & Succubos. Thes. post Ex. p. 150.

XVII.

Tertio: *Lapides* quoque *& Gemmæ* hic adhibentur: Bartholom. Angl. de propriet. rerum l. 16. *Chalcedonium lapidem* adversus Sp. malignos commendat, quod neque Scribonius in Physicis abnuit, ubi *Chalcedonium* ait *spectrorum visiones prohibere*. Bodinus l. 3. Dæmon. c. 6. ait, *fuisse in hac sententia quosdam, tantas esse Adamanti vires, ut vana somnia & malignos Sp. amoliatur, quod obscurus quidam Poeta dixit: Et noctis Lemures, & somnia Vana repellit. Sed non definiunt*, inquit, *quodnam sit illud Adamantis genus.* Wierus l. 5. de Præst. Dæmonum c. 21. hæc addit: *Corallium rubrum collo infantum appensum aut armillis insertum in brachio q. gestatum vel etiam in domo retentum prærogativam habere ajunt contra fascinum, Lyncurius lapis præstigias ab oculis auferre creditur.* Item, *quod oleum ex Gagate sacratum Dæmoniacis conferre superstitiosè docet Mesue.* Guilielm. Paris. *Iaspidem aut quandam speciem Iaspidum* ait *esse, si illis credendum, qui de virtutibus Iaspidum scripserunt, quod fuget phantasmata & propter hoc prohibeat à gestatore suo omnes hujusmodi præstigias Dæmonum.* Apud Dionysium quoque deprædicatur *Iaspis*, quod sit ἔχθρη ἐμπά-

ἐμπνεόσοις καὶ ἄλλοις εἰδώλοις, h. e. *inimica empusis & idolis sive Dæmoniacis spectris aliis.* Sicut & Pontificiorum Exorcistis ejusmodi Lapides in usu sunt: *Sardius Lapis portatus ab incantationibus & maleficiis tuetur, Laspis viridis coloris maleficiis & Incantationibus resistit. Antistites lapis præservat à maleficiis. Gagates lapis in Gagante flumine in Sicilia repertus ac portatus destruit maleficia, phantasmata, ac dæmonum vexationes nocturnas. Chrysolitus terret & fugat Dæmones, & præcipuè Melancholiam depellit,* ut est in Complement. Artis Exorcist. p. 657. 658.

XVIII.

Quarto; *Campanis sive Clocis* baptisatis aut consecratis aliqua vis tribuitur. Consecrantur enim, ut, cum impelluntur & insonant, *facessant omnes insidiæ Diaboli,* ut est apud Sleidan. lib. 21. Hist. sive, ut *ante sonitum earum effugiant ignita jacula inimici,* ut est in Pontificali ab Alberto Castellano edito Anno 1520. Synodus Colon. Anno 1536. habita ait, Patres in Campanarum benedictione etiam *eo respexisse, ut Dæmones tinnitu campanarum Christianos ad preces concitantium terreantur, &c.* Martinus de Arles tract. de Superstit. n. 8. seqq. refert, *multos esse ejus sententiæ, ut quando Campanæ ipso die Iohannis vel pridie D. Agathæ pulsantur, non solum profligare Lemures, sed & lamias, ne hinc inde vehi queant, aut etiam nocere credant,* uti ex illo refert Wierus l. 5. de Præst. Dæm. c. 3. Et ea de causa *universaliter vel communiter in Ecclesia Campanæ contra auram pulsantur, ut tanquam tubas Deo consecratas eas Dæmones fugiant, & recedant à suis Maleficiis,* juxta Mall. Malef q. 2. p. 2. c. 7. Durandus in Ration. l. 1. c. 4. hoc quoq; fine adhiberi vult Campanas, *ut procul pellantur hostiles exercitus, & omnes insidiæ inimici,* & causam *quare Ecclesia videns concitari tempestatem, campanas pulset,* ait esse, *ut Dæmones Tubas æterni Regis, id est, Campanas audientes territi fugiant, & à tempestatis concitatione quiescant.* Et ne arbitreris, à modernis Jesuitis ista minus probari, Bailius Jesuita in Catech. q. 17. disertè dicit, *Ecclesiam, ut in magno Rituali describitur, Deo preces in campanarum benedictione,*

ctione offerre, ut sonitu earum tempestates dissipet, & Dæmones per aera volantes terreat.

XIX.

Quinto: *Aquam, Oleum, Salem Cereos, Agnum Dei, ut vocant, Medicamina, Cibos, Potiones, Panem azymum, Vinum, Virgas, Imagines, Reliquias, S. Iohannis Evangelium, Brevia* sive *chartas, Characteres*, & id genus alia contra Satanam usurpant. AQUAM consecratam instituit Alexander I. *ut sale admixta, interpositis sacris orationibus, & in templis, & in cubiculis ad fugandos Dæmones retineretur*, ut Platina prodidit. Similiter Durandus l. 4. Ration. c. 4. *Sacerdos*, inquit, *in dominicis diebus celebraturus &c. aquam ex institutione Alex. I. Papæ benedicit, altare, Ecclesiam, & populum aqua benedicta conspergit, ut omnis spirituum immundorum spurcitia, tam de habitaculo quam de cordibus fidelium propellatur.* Costerus in l de Sodal. B. Mariæ Virg. docet, *vi aqua lustralis profligari Dæmones ex locis & creaturis &c. Valere hanc aquæ asperſionem adversus omne, quod Sacramentorum effectum impedire possit, & ob hanc causam in altarium & templorum consecratione adhiberi, &c. ut ingressuri ejus asperſione Dæmonem, inanesq; cogitationes & curas excludant, &c.* Bellarm. l. 3. de C. S. c. 7. hanc aquam dicit *valere contra Dæmones.* Et Exorcismus hujus aquæ ideo fit, *ut fiat aqua exorcisata ad effugandam omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare & explantare valeat, cum Angelis suis Apostaticis &c. Ut ubicumq; perlata vel asperſa fuerit, effugetur & separetur inimicq; &c. ut se mundam exhibeat, nec aliquam phantasiam in se retineat, sed efficiatur exorcisata ad effugandum inimicum, &c. & Diabolus elongetur, & separetur ille immundus spiritus ab habitationibus famulorum, famularumq; Dei &c.* Vide Thesaur. Exorcism p. 17. 191, 204. 217. 388. &c. Sicut & BALNEA consecrantur, *ut sint Christi fidelium purgatio, & immundorum Sp. abdicatio, atq; maleficiorum omnium ab homine sive à Diabolo tantum factorum exterminatio, &c.* In Thes. Ex. pag. 19. 211. &c. Miracula ad hujus confirmationem non pauca adferuntur, ut quod scribitur in vita S. Bernhardi, *Dæmonem cum puero cuidam Dæmoniaco per vim aqua benedicta peros infusa esset, continuo evolasse.*

se. Item, quod Surius refert in vitis Sanct. aqua lustrali *Dæmones ab hominibus expulsos, de loco in locum fugatos* &c. Item, quod Bellarminus l. cit. dicit, *Iosephum quendam aquâ benedictâ solvisse incantationes*, idemq; fecisse *Marcellum Apameensem*, apud Theodoret. l. 5 c. 21. Item quod Menologium Græcorum narrat, *Hilarionem jussisse, aquâ impleri testaceum Vasculum, in quo bibebat, & poni in manu cujusdam Italici, qui in aquâ puré aspexit stabulum, equos, & aurigas suos ligatos præstigiis adversariorum;* Qua postea aquâ cum ligatos equos aspersisset, addita crucis figura ab eo tempore victoria ad Italicum transiit. Confer plura alia, quæ habet Bellar. l. cit. & Thyreus p. 3. Disp. de Dæmon. cap 45. OLEUM ab Exorcistis consecratur, ut *transeat in unctionem spiritualem, ad omnia maleficia destruenda ad omne opus Diaboli eradicandum, & ad omne opus phantasma cujuscunq; adversarii fugandum, & quicunq; ex eo unctus fuerit, sit ignis destruens omnia maleficia, sit terribile adversus omne opus Diaboli propugnaculum, & sit gloriosus omnium phantasmatum nocentium Victor, &c.* & ideo ungunt hoc oleo, ut *per istam unctionem absolvatur homo ab omnibus maleficiis, incantationibus, ligaturis, signaturis, & facturis arte Diabolica factis &c.* Vide Thesaur. Exorc. p. 20. 188. 191. 212 227. 230. 373. 384. seqq. SAL consecratur, ut *sit omnibus sumentibus illum sanitas animæ & corporis, & effugiat atq; discedat à loco in quo aspersus fuerit, omnis phantasia & nequitia, versutia Diabolicæ fraudis, omnisq; Sp. immundus; Ut quicquid ex eo tactum vel respersum fuerit, careat omni immunditia, omniq; impugnatione spiritualis nequitiæ.* Thesaur. Exerc. p. 17. 173. 202. 372. 395. 669. seqq. Nam, ut habet Alex. I. Epist. Decret. *Si Sale aspersa per Heliseum Prophetam sterilitas aquæ sanata est, quanto magis divinis precibus sacratus sal sterilitatem rerum aufert humanarum, & coinquinatos sanctificat & purgat, bona multiplicat, & insidias Diaboli avertit, & à phantasmatis versutiis homines defendit.*

CEREIS item consecratis mira est --- *& magna potestas*
Nam tempestates creduntur tollere diras,
Accensæ simul & sedare tonitrua Cœli,
Dæmones atq; malos arcere, horrendaq; noctis
spectra.

Et ideo in Consecratione cereorum Deus invocatur, *ut sicut data est* Cera *humano generi ad effugandas tenebras, ita nunc eam quoq; vim percipiat per signum S. Crucis, ut ubicunq; accendatur & ponatur, malignus Sp. contremiscat, & ita territus aufugiat cum omnibus servis suis, ex habitatione illa, nec deinceps vexet eos, qui sibi adhærent.* Adjurant quoq; Candelas his verbis: *Adjuro te Creaturam ceram in nomine Domini nostri & S. Trinitatis, ut sis extirpatio, & depulsio Diaboli, & spectrorum ejus &c.* Neq. Eccius asserere dubitat, *Omnes Christianos luminaribus illis pio affectu uti debere, spe bonâ firmiter confidentes, fore, ut sic ab omnibus insidiis & fraudibus Diabolicis virtute verbi & Orationis hujus liberentur.* AGNUS CEREUS, sive imaguncula, quam vocant Agnum Dei,

Fulgura desursum depellit, & omne malignum,
Peccatum frangit, ut Christi sanguis, & angit;

Quos versus non est, ut neget DELRIO l. 6. Disq. Mag. cap. 3. *ullum è Catholicis scripsisse*, Habet eos Andreas Frusius, notus inter Jesuitas autor, in fine l. Epigr: cumprimis Marcellus Corcyrensis Archiep. in l. de Cerem. Rom. Eccl. eos non privato cuipiam sed Pontifici Romano vendicat: In quo Cerem. petunt istius Agni confectores, ut *Deus has cereas formas innocentissimi Agni imagine figuratas benedicere &c. dignetur, ut per ejus tactum & visum &c. fugiant atq; tremiscant maligni spiritus, &c. Et quemadmodum ille Agnus innocens Dei voluntate immolatus in ara crucis* J. *Christus filius protoplastum nostrum de Diabolicâ potestate eripuit, sic isti Agni immaculati virtutem istam accipiant, &c.* Thyreus Jesuita p. 3. Dæm. pag. 113. diserte fatetur *non errasse* eum, qui de hac cereâ imagine ita cecinerit;

Pellitur hoc signo tentatio Dæmonis atri,
Et pietas animo surgit, abitq; timor;
Hoc aconita fugit &c.

Porro inter CIBOS *hædi caro Dæmonas maximè provocare* dicitur, *unde si triginta continuis diebus, qui creditur vexatus à Dæmone, illis vesci non posit, arbitratur à Dæmone possessus*, ut est in Thesaur. Exorc. præf. c. 18. p. 26. Comestibilia quoque & potabilia contra malos Sp. exorcisantur, *ut sint omnibus sumentibus Sanitas mentis & Corporis*

Corporis & visibilium hostium propulsatio, ac maleficiorum omnium extirpatio, sint tutela salutis, sint Clypeus fortis, sint Murus inexpugnabilis ad omnem virtutem virtuti divinæ rebellem divinitus repellendam. Vide Thes. Exor. p. 26. 213, 214. 215. &c. MEDICAMENTA vero adversus maleficia consecrantur, *per Dominum Deum creatorem virtutis ejus, qui per Sanctum Angelum Tobiæ servo suo, piscem exenterare præcepit, & Cor ejus & fel & jecur recondi, cum essent necessaria ad medicamenta utiliter, ut virtutem naturalem retineant, & supernaturalem recipiant, ad omnem virtutem Diabolicæ fraudis & impetus coercendos,* &c p. 28. 222. seqq. POTIONES *ad omne maleficium in differenter solvendum & Diabolum conterendum* consecrantur, ut *ad effugandum de homine valeant cum omni maleficio Diabolum, & quicunque ex iis biberit, omni careat infestatione Diabolicæ nequitiæ, & ab omni maleficio cujuscunque generis liber existat.* p. 219. 223. 387, seqq. PANIS azymus benedicitur, ut *descendat desuper Sp. S. in istum panem &c. ut sit sumentibus salus mentis & corporis, atque contra morbos & universas Inimicorum insidias maleficia, facturas, & omne opus nefarium,* &c. p. 379. VINUM ad *sanandum maleficiatos & ad expellendas facturas & omnia maleficia de corporibus humanis* consecratur, ut *omnes ex eo gustantes recipiant sanitatem mentis & corporis, & ut sit remedium efficax contra omnem potestatem omnium inimicorum, ac etiam contra omnes facturas, quæ factæ fuerunt, aut factæ erunt, & nullus Sp. malus cujuscunq; generis & conditionis existat, possit latere vel diu permanere in quacunq; creaturâ, quæ gustaverit & devotè sumserit ex hoc vino benedicto* &c. p. 400. VIRGÆ quoque exorcisantur, ut sint *virgæ exorcisatæ & benedictæ ad conterendum & flagellandum Satan sub pedibus nostris, ut sint virgæ fortes in bello, affligentes, debellantes, expellentes, confringentes, cruciantes Dæmones vexantes corpora humana, & præcipitantes eos in barathrum,* &c: p. 722. seq. Refert Gerardus à Nazareth, *flagellis ab homine quodam Diabolum pulsumo qui post multa etiam sacra adhibita media discedere detrectavit,* ut est apud Tyreum cit. l. *Cum flagellis vero* ALAPAS, ut porro ait idem, *conjungimus quibus & B. Benedictus & S. Hubertus Dæmoniacos liberarunt, quemadmodum de hoc Surius, de illo testatur B. Gregorius,*

& de tertio quodam Crantzius l. 5. Vand. Hist. c. ult. DE IMAGINIBUS Thesaurus Exorc. p. 24. ita sentit: *Poterit exorcista secundum occurrentes opportunitates ostendere Sp. malis sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, nec non Dei, B. virginis, aliorumq; Sanctor & Sanctarum Dei Imagines, extorquendo vi dicendum vel faciendum: His spectaculis tormentandus erit inimicus Dei & hominum.* Imago B. virginis consecratur, *ut fidelibus salutaris auxilii opem ferat;* Imago Johannis Baptistæ est *Dæmonum Sancta expulsio, Angelorum advocatio, fidelium protectio,* ut ejus consecratio habet. Lignum Crucis oportet esse *remedium salutare generi humano & tutelam contra sæva jacula inimicorum:* ideo Exorcista jubetur erigere crucem & clarâ voce non semel dicere: *Ecce Crucem Domini, fugite partes adversæ* &c. Thes. Exorc. p. 38. Ita & SIGNUM CRUCIS *ubicunque tandem conspexerint, & quomodocunque formatum sit, odio habent impostores,* (*Dæmones*) *& detestantur, quemadmodum fures rotas & patibula,* juxta Thyreum p. 3. Dæm. c. 42. Vide & c. 43. p. 101. seqq: & Bellarm. l. 2. de Imag. S. c. 29 ubi in hanc rem dicta veterum & Miracula reperies, quæ virtutem signi istius adversus Satanam multis deprædicant: RELIQVIÆ Sanctorum item pro *remedio* habentur: *Nam Dæmones virtutem sentientes ex Sacris vel ex Sanctorum corporibus emanantem pavidi ab eorum conspectu fugiunt,* ut est in Th. Ex. p. 654. *Honores eorum Sanctorum reliquias nec dubites de auxilio eorum & defensione tui adversus Dæmonem, qui timent magnam illorum virtutem,* ait, & suadet Costerus p. 1. Conc. 23. post Pent. Thyreus l. cit. c. 41. citat Chrysost. qui, *ea,* inquit, *est Sanctorum potestas, ut illorum superstitum ne umbras quidem aut vestes ferre possint Dæmones, vita autem functorum & loculos quoque formident:* &c: Item: *Dæmones qui verè Latronum & Principes & Magistri sunt, ubi coronatorum martyrum viderint Corpora posita, longe illico à conspectu illorum fugiunt & absiliunt.* Pluribus hanc rem firmare nititur, c. 43. p. 90. ubi tamen addit, *vim naturalem quâ Dæmonia profligentur, nullam vel reliquiis, vel iis quæ cum reliquiis conjuncta sunt, inesse, adeoque Deum per reliquias tanquamper instrumenta quædam Dæmones pellere, quemadmodum eosdem per Ignem tanquam justitiæ instrumentum*

mentum torquet & punit; Adde & Bellarm. l. 2. de Sanct. Reliq. cap 3. CHARTÆ sive BREVIA *conscribenda ad fugandum Diabolum & maleficium destruendum*, eo item fine exorcisantur, *ut benedicantur & sanctificentur ad omne opus Diaboli destruendum sive illud præsentiæ sit, sive potentiæ, sive maleficij, ut quicunque illam chartam sacris verbis respersam vel sacram rem concludentem super se portaverit, ab omni infestatione Diabolicâ liberetur,* in Thes. Exorc. p. 178. seqq. Cumprimis commendatur *Breve S. Antonij Confessoris de Padua, in sinu pro liberatione à Diabolicis infestationibus & illusionibus portandum,* ut pote quod *mulierem pauperculam* à Dæmone liberarit, quam historiam, ut & Brevis sive Chartæ illius descriptionem vide in Th. Exorc. p. 179. seqq. p. 256. seqq. sic etiam *Johannes Anglicus epileptici, Lunatici, sive Dæmoniaci curationem ex Constantino, Gualterio, Bernhardo Gilberto collegisse se asserit, ut sc. ægrotus cum parentibus post trium dierum Jejunium accedat ad Ecclesiam die veneris in jejunio quatuor temporum, audiatq; missam de die, & similiter die Sabbathi & Dominico sequentibus: Ubi Sacerdos bonus religiosus legat super caput patientis Evangelium, quod legitur in Septembre, & tempore vindemiarum, post festum S Crucis, in diebus quatuor temporum sc. Hoc genus Dæmonij non ejicitur nisi jejunio & Oratione, Deinde scribat illud idem devote, & portet in collo, & curatur,* ut est apud J. Wierum l. 5. de Præst. Dæm. c. 23. EVANGELIUM S. JOHANNIS, *In principio erat verbum, scribatur & ad collum infirmi suspendatur,* ait Sprenger Mall. Malef. p. 2. c. 2. q. 6. p. 303. Et hæc ferme sunt, quæ ex Pontificorum Praxi serie paulo longiori referre libuit: Animus non est singula persequi neque unius disputationis circus hæc omnia capit, adeoque presse saltem totum negocium complectemur una aut altera Observatione.

XX.

Observ. I. *Potest res naturalis sive corporea suâ virtute indirectè & secundario Dæmonis operationes, quas peragit mediantibus dispositionibus corporeis, quandoque impedire:* Hoc quod dico sic explico: Fieri

ri potest, ut Dæmon permittente Deo corpus humanum *variis & inauditis modis lacessat, utiles corporis humores exagitet, vel noxios in principes partes traducat, vel hisce venas aliosque ductus obstruat, vel instrumentorum structuram permutet, quibus ex causis innumeri morbi fiunt,* ut ait doctiss. Fernel. de abditis rerum causis l. 2. c. 16. Cum primis quia Sol & Luna regunt corpora, & pro ratione temporis & aspectus aliter atque aliter illa afficiunt, Dæmones motus cælestium corporum accurate observare non est improbabile, quibus cum causa part. hac aut illa concurrentibus, Dæmoni facile est, activa, passivis applicare: Declarari illud aliquo modo potest exemplo ejus Lunatici, qui fuit δαιμονιζόμενος, Matth. 17. 15. Est alias Lunaticus à Dæmoniaco distinctus, Matth. 4. 24. & non is proprie est, qui à Dæmone vexatur, sed, cujus morbus statis lunæ temporibus mutatur, intenditque aut remittit, prout Luna variat, & corporis dispositio: Quia vero Dei permissu ad morbum Diaboli furor accedere, humores turbare, & corpus lacessere potest, qandoque fit, ut Lunaticus sit Dæmoniacus, sc. cujus corpus statis Lunæ temporibus à Dæmone afficitur, certisque symptomatis obnoxiũ redditur. Hic autem fieri potest, ut per Dei gratiam isti humores turbati, quibus Dæmon abutitur, naturalibus remediis persanentur, atque sic sublata veluti materia & fundamento, in quo operabatur Satan, ejus operatio præpediatur, non q. ulla res naturalis h. m. in Dæmonem directe per se & primario quicquam agat, sed quod dispositiones corporeas tollat, per quas Dæmon operabatur, atque sic in directe Dæmonis actionem suspendat. Non male illud explicatur in Flagello Dæmonũ, ubi ita legitur: *Facit hoc res sensibilis non agendo in ipsum Dæmonem, cum sit spiritus separatus, in quem non potest naturaliter agere quodcunque corpus, sed agendo in ipsum vexatum à Dæmonio: Omnis enim causa limitatæ virtutis producere potest effectum intensiorem in materiam magis dispositam, quam non dispositam, cum secundum Philos. 2. de An. actus activorum sint in patiente benè disposito, Diabolus autem est agens limitatæ virtutis, ergo vexationem intensiorem potest facere in homine disposito ad illam vexationem, quam intendit adducere, quam in homine dispositionis contrariæ:*

Pui a

Puta, Diabolus potest intensius vexare passione melancholicâ hominem dispositum ad illam, quam hominem dispositionis contrariæ:

XXI.

Et ex hac observatione solvitur, quod objectum erat de *Harmonia Musicâ sive cytharâ* David, Dæmonem à Saule abigente: 1. Sam. 16. 24. c. 18. 9. Sunt non pauci qui statuunt Saulem vere fuisse *Dæmoniacum* & energumenon, quæ sententia *communis tam antiquorum patrum quam recentiorum scriptorum est*, Salliano judice, Hebræi de *melancholico Spiritu* quo Saul correptus fuerit interpretantur: Josephus appellat τὴν τῶν δαιμόνων θεραπείαν, item δεινὰ ὑπὸ δαιμόνια, Cajetanus exponit *de duplici passione immissâ à Deo, altera corporis, in motu spiritus melancholici mali, id est nocivi; Altera animi, quoniam ex motu Sp. melancholici formabantur in internis sensibus apparationes exterrentes Saulem*: Tremell. & Junius de *Lymphationibus* intelligunt, quæ à Sp. illo malo profectæ fuerint. Hoc posteriori admisso solutio facilis est; *solet* enim, ut ait Lyr. in 1. Reg. 16. *per aliquam rem sensibilem causari dispositio in corpore humano, per quam minus subjiciatur actioni Dæmonum, & sic afflictio ab eis causata diminuatur & allevietur.* Adeoque potuit ex ipso cantu voluptas Saulis animum à tristi doloris sensu revocare, aut corporis humores & succos nonnihil purgare, & liberare ab affectione melancholica, ut hac ratione Dæmonis operatio sublato velut *fundamento* fuerit impedita: Est enim Musicæ vis insignis ad sedandos melancholicos affectus: *Pythagoras perturbationes animi lyrâ componebat*, sunt enim *cantus blandimenta quibus mens resolvatur*, ut est apud Senec. l. 3. de Ira cap. 9. *Asclepiades Medicus phreneticos mente imminutâ & valetudine animi affectos nulla re magis quam Symphoniâ & vocum concentu ac modulis resipiscere & sanitati restitui censuit, Fertur quoq; Ismenias Thebanus plures Bœotiorum ischiadicos & coxendicum dolore laborantes incentione tibiæ bonæ valetudini restituisse, Tanta hominis naturæ cum harmonia consensio est*, prout refert Alex. ab Alex. l. 2. Gen. Dier. cap. 19. Tarantula sive phalangio percussis hoc salub.i

lubri remedio esse compertum est, *si protinus tibicen aut citharista varios concinat modos, Tunc enim morbo ejusmodi percussus, qui moribundus & sermonis & oculorum sensus amiserat, quoq; nec ingredi nec fari, nec aliquo sensu frui valuerat, mox ubi tibiam aut citharam admotam propius audit, illo miti sono & concentu captus & demulsus velut è gravi somno excitus, oculos attollit parumper, mox se in pedes erigit, ac sese recipiens paulatim pro modulo & pulsu Sonorum servatâ psallendi lege ingreditur*, quod insigni & admirabili exemplo sese compertum testatur Alex. ab Alex. cit. l. quomodo tarantulâ icti, quam primum musica instrumenta sonuerint suo dolore levati sint, cithara vero conticescente novo Symptomate percussi in terram deciderint. Plura ejus generis possent proferri, si opus esset, quæ insignem Musices in sedandis affectibus Melancholicis virtutem testarentur: Si tamen aliquis omnino contendat Saulem vere *energumenon & Dæmoniacum* fuisse, ille tamen ideo nostræ sententiæ nil quicquam derogabit, quod non meis sed Jesuitarum Verbis ostendam: Thyreus p. 3. Disp. de Dæmon. p. *124.* dicit *in dubium vocandum non esse Saulem verè à Dæmonio obsessum fuisse*, sed tamen *non esse verisimile, cytharæ sono aut melodiâ fugatum Dæmonium, Iam alias demonstratum est, eas rerum corporalium & sensibilium vires non esse ut quidquam in Spiritus possint. Aures quidem concentus & melodia demulcet, & voluptatem quandam animo affert, sed nequam spiritus ex hominum corporibus ejicere non valet. Cytharæ igitur Harmoniâ voluptatem quandam Regi afferebat David, quæ, quemadmodum omnis voluptas, quæ aliunde accedit, præsens quod quis patitur malum mitigat, ita dolorem quem ex Dæmonis tyrannide patiebatur Saul haud parum frangebat. Atq; hoc sensu etiam Dæmon pulsus esse intelligi potest. Si quis tamen omnino à Dæmonio Davidis cytharâ velit libertatum Saul, non multum reluctabimur, Veruntamen non id sono, quem pulsata cythara excitabat tribuemus sed Christi in cruce expansi, cujus signum quoddam cythara fuit, virtuti & passioni, &c.* Ait quidē Serarius, & Sallianus, *acceßisse Davidis gratiam & meritum*, atq; ideo ejectum Dæmonem; Verum, *nullo modo*, ait Thyreus, *ob probitatem Davidis ejusq; innocentiam à Dæmonio liberatum putamus Saulem; Neq; enim querebatur à*

Servis

Servis Saul Vir aliquis Sanctus quem Diabolus non ferret, sed qui citharam pulsando, dolorem quem Dæmon afferebat, mitigaret. Et ita etiam Malleus Malef. p. 2. q. 2. c. 6. *Non consonum literæ* id esse dicit, *quod hoc fiebat ex merito David seu per orationes ejus, quia non est verisimile, quod hoc Scriptura taceret, cum esset in laudem ejus notabiliter dictum.* Audiatur ipse etiam Sallianus, qui Tom. 3. Annal. ad An. M 2970. num. 4. ita judicat: *Cum melodia,* inquit, *attentionem animi alliciat ad se, & ab aliâ tristi cogitatione avocet, ægritudinem à Dæmone illatam mitigare potest, Dæmonem autem expellere non potest, sed id divina vel Angelicâ virtute contingebat ex merito Davidis,* (potius quod nos dicimus, *ex divini Spiritus gratiâ quem acceperat David, & qua operante per Davidem quiescebat malignus Spiritus,* cum Theodoret. in l. 1. Reg. q. 39.) *qui laudes divinas in citharâ canebat, pro salute Saulis sicut & per Orationes Sanctorum frequenter Dæmones ex corporibus obsessorum leguntur expulsi: Huic quoq; rei melodia aliquo modo serviebat, non agendo in Dæmonem sed Davidis devotionem excitando, David quoq; suo ipsius citharæ pulsu cantuq; mens vehementius efferebatur in Deum, sicq; divinæ ejus laudes ad expulsionem Dæmonis plus efficacitatis habebant.* Hæc fere ex N. Lyrano Sallianus.

XXII.

Observ. II. *Res corporea & naturalis virtute sua naturali directè nihil agit aut agere potest in Dæmones:* Indirectè quidem & secundario Dæmonis operationem quam mediantibus qualitatibus corporeis perficit, per res naturales impediri posse, jam modo est dictum: verum directè & primariò rebus naturalibus in dæmones quicquam agendi non est Virtus naturalis: Sunt enim Dæmones non Corpora sed spiritus omnis corporeæ molis expertes, quod uti alibi probatum & passim receptũ hic suppono, quia *nullo sine temeritatis notâ jam potest oppositã sententiã defendere,* Vasquezio judice T. II. disp. 178. n. 9. At corporeũ naturaliter nõ potest agere in incorporeum, & contrà, incorporeum non potest pati naturaliter à corporeo, quod tam receptum est principium,

ut Tertullianus cum haut facile videret, quomodo divitis anima ab ignis flammâ pati posset, nisi corporea esset, *animam corpoream* fecerit, l. de An. c. 7. l. de Resurr. Carn. c. 17. & alibi passim, Et Platonici olim, Philoponus, Porphyrius, Jamblichus, Plotin9 &c. cum persuasi essent Dæmones pati à rebus corporeis, ideo & corporeos esse statuerunt, quod à corporeo incorporeum pati non posset: Nos itaq; quia contra è SS. persuasi sumus, Dæmones esse spiritus corporis omnino expertes, recte inde concludim9, à rebus corporeis naturaliter affici & fugari non posse: Rationis hujus vim jam ante agnorunt adversantes: N. Lyranus in Tob cap. 6. *Si Dæmones haberent corpora sibi naturaliter unita, non esset impossibile, quod res Corporales in iis facerent impressionem ratione Corporum, sed quia sunt substantiæ simpliciter intellectuales, ideo nulla corporalis creatura potest facere in iis aliquam impressionem*; Thyreus p. 3 disp. de Dæmon. cap. 43. n. 590. *Vim qua Dæmones pelluntur* asserit *non oportere esse corpoream, Quam enim*, ait, *vim aliam rebus corporeis quam corpoream ineſſe dicemus? Corporea nihil ad profligandos Dæmones nihil ad res quæ naturæ vires superant, facit. Divina Virtus est qua Dæmones ejiciuntur*, Sic cap. 48. p. 123. *Cum prorsus spirituales Creaturæ sint Dæmones, Spiritualium autem illa sit conditio ut longe post se omnes res corporeas relinquant, non male dixerimus fieri non posse, ut in ipsas res sensibiles agant, Vim iis afferant, sedibus suis expellant.* Serarius in l. 1. Reg. cap. 16. p. 70. *Si Dæmones corporei essent, & præsertim corpore quod elementare foret, ut Platonici olim censuerunt, & nostro seculo Cajetan. Eugubinus, Niphus &c. facilius explicari posset, quemadmodum id genus naturalibus rebus expelli possent. Nunc vero cum meros spiritus esse communior sententia doceat, nulla res naturalis est, quæ ipsos invitos prorsus impedire, aut ejicere possit, cum actio naturalis non nisi per Qualitates Elementares accidat, quarum nulla Spiritum, ut Spiritus est, afficit.* Idem in Tob. cap. 8. q. 4. p 83. *Falsum meros fumos herbas, aliaq; CORPORATA contra Dæmones immediatam ullam vim habere:* Et p. 85. *Neq; sola naturali, quæ nimium infirma vel potius NULLA foret, sed cælesti divinaq; manu Dæmones extruduntur.*

XXIII. Hic

XXIII.

Hic tamen objicit Dionysius Carthusianus, quod *Gemmæ & Herbæ vires tantas habeant, ut causent sæpe impressiones in animas etiam rationales, quemadmodum traditur in l. de propriet rerum*, Et quod alii dicunt, *Denm propter superbiam Dæmonum ad eos humiliandos tantam vim tribuisse creaturis & rebus corporalibus ut possint facere impressionem in incorporeas:* Guilielmus Parisiensis dicit fieri posse, *ut ex odio rerum corporearum v g. Pæoniæ fugentur maligni Spiritus, etsi nihil prohibeat speciali & propria vivtute hoc effici posse.* Verum, ut itidem verbis Thyrei hæc talia refutem: *Longe alia animarum quam Dæmonum in corpore conditio est, Illæ corporibus ut formæ conjunctæ sunt, hi ut quidam motores & rectores, quapropter illæ certas in corporibus dispositiones postulant, quas hi quoniam corporum formæ non sunt, non requirunt, quare & hi in corporibus esse possunt, quomodocunq; illa se habeant, illæ nisi aptata sibi sint informare non valent.* Quod itaq; animæ etsi spirituales sint, pati tamen in corpore possint, ratio est, quia per modum formæ informantis corpori unitæ & mediantibus certis dispositionibus corporeis illi q. adfixæ sunt, unde fit, ut sicut anima agit in corpore & per illud, ita etiam patiatur in corpore & per illud, absque quo si esset, à re corporeâ affici sane non posset. Sic v. g. Quando corpus igne crematur, patitur anima quidem, sed per doloriferam qualitatem immissam sensui tactus, & ab ea cognitam, ex cujus cognitione derivatur in appetitum sentientem & in ipsam voluntatem tristicia sive Dolor. Frustra vero Carthusianus asserit, *propter superbiam Dæmonum ad illos humiliandos hanc vim rebus naturalibus à Deo tributam*, quia de illo ex verbo revelato nihil constat, quod ejusmodi *pœna* Dæmonibus sit irrogata; neq; valet, quod Wilhelmus ait, *odio quarundam rerum naturalium Dæmonas fugari*, Odio equidem rerum homini utilium Dæmones flagrare non nego, sed non idcirco, quod odium illud habent, fugari sese patiuntur. Et odio prosequitur omnes Satan, nec tamen ideo fugit, sed maximè insectatur omnes, & si quandoq; fugit, non id odio facit, sed metu & vi, quia fides victoria est, quæ vincit mundum, 1. Ioh. 5. 4.

XXIV.

Obs. III. *Remedia adversus Satanam oportet habere divinam vocationem*, h. e. à Deo ipso instituta atque ordinata esse ad hoc ut fugent Dæmonia: Non enim est virtus naturalis in terrâ quæ comparari possit cum virtute Dæmonis, ut rectè probat Victoria q. 6 de Magiâ, &, ut inde colligit Valentia, *Dæmon nullius alterius rei vi potest cogi ad aliquid præterquam virtute Dei, aut Spiritus superioris*, Tom. 3. disp. 6. q. 13. p. 2. adeoque quicquid contra Dæmones *remedii* loco usurparetur è rebus naturalibus illud omne oporteret verbo Dei esse institutum, & validũ contra illos ut *instrumentum divinæ potentiæ* quemadmodum de igne inferni loquebatur Carthusianus, quia non est validum per se & suâ virtute naturali, uti dictum: At vero nuspiam in verbo divino extat ejusmodi vocatio, non est ibi rerum illarum corporearum, quas adhibent Pontificii Exorcistæ, institutio, & ordinatio, non extat promissio, quod Deus per ejusmodi mediâ velit esse efficax contra Satanam, non est exemplum probatum, quod pii ejusmodi remediis ut à Deo præscriptis legantur usi, &c: Non ad fumos, herbas, radices, gemmas, non ad campanas & aquas consecratas, non ad oleum, salem, cereos, imagines, reliquiás & id genus alia remittimur; Non his præsidiis & munimentis ad versus Satanam instruimur: Alia nobis ad profligendas nequitias Spirituales armamenta, uti & antea vidimus suppeditantur.

XXV.

Verum hic communiter dicunt cum Bellarm. *Scriptum est omnem creaturam Sanctificari posse per verbum & Orationem; Et rursus Scriptum est, Petite & accipietis, Ecclesia igitur Christum & Paulum sequens verbo Dei & oratione sanctificat aquam & petit ut valeat contra Dæmones & morbos & Deus miraculis testatur, se audire ejusmodi preces. Præterea etiamsi scriptum non esset, quid tum? Ubinam scriptum*

erat

erat, ut aquæ sanarentur sale, & lepra curaretur aqua Jordanis, & tamen utrumque fecit Heliseus: l. 3. de Eccl. Tr. c. 7. Et in hunc sensum sæpe Serarius ait, remedia corporalia sine precibus forte nihil, at cum precibus multum contra Dæmones valere: Vide etiam Thyreum p. 3. disp. de Dæmon. c. 45. Hic dico: Preces nostras fieri debere juxta Dei voluntatem in verbo revelatam, 1. Joh. 5. 14. ex verâ fide, absque qua si fiant, Deo displicent & peccata sunt, Rom. 14, 23. Ebr. 11. 6. Fides item vera pro objecto habet revelationem in *verbo* factam à quo oritur, & cui innititur, Rom. 10. 14. Quicquid itaque verbo non est revelatum, & non habet vim ab expresso Dei verbo, illud neque fide credi, neque precibus fidelibus à Deo peti potest aut debet; Quia Deus illud non promisit, neque constat nobis super illo ejus voluntas, quod ad nostram petitionem nos velit exaudire, aut hoc illud ve, quod optamus, miraculum facere; At vero res ejusmodi corporeas adhiberi posse tuto contra Satanam, non est in verbo revelatum, *non* enim *habent vim ab expresso Dei pacto, quomodo Sacramentum*, ut expressis verbis ait Bellarm. cit. *l.* Atque sic, quando res illæ per preces consecrantur, & ut sic loquar exorcisantur, ea illis vis tribuitur quam ex Dei pacto & verbo non habent, & quam Deus sese ad preces nostras illis rebus per miraculum donaturũ nusquam promisit; Adeoque preces illæ non fiunt juxta Dei voluntatem, non juxta verbum, non ex fide, quæ verbo fundatur; Frustraneæ ergo sunt, irritæ sunt, peccata sunt & Deo placere non possunt: *Sanctificari creaturam verbo Dei & oratione* ipse dixit Bellarminus, neque potuit aliter, quia hæc Pauli expressa sententia est 1. Tim. 4. 5. Solis ergo precibus sine verbo Dei non potest sanctificari, ad quemvis usum indefinite sed ad certum usum definitè, verbo sc. divino præscriptum & à Deo ordinatum; secus ad usus verbo Dei non præscripros non potest res ulla per solas preces sanctificari, quia & *preces & verbum* requirũtur, quorum unum alteri est arctissimè connexum. Quid si Magus eodem prætextu Magica sua medicamina & deliria excuset, dicatque sese precibus & sacris verbis (uti fieri solet) omnia sua

sua sanctificare? Si enim Aqua lustrica, utut à Dei expresso pacto vim non habeat, per preces ejusmodi vim sortiri potest, si Sal, si oleum, si vinum, si herbæ, & omnia denique alia illam vim per preces sortiuntur, cur non & sortiri eam possit Baaras Josephi, aut Pœoniæ & urtica Alberti, aut spina, & fabæ nigræ Ovidij: aut fel canis nigri, aut gemmæ upupæ suffitæ, aut denique Gallus gallinaceus de quo Proclus ait l. de Sacrif. & Mag. quod *Dæmones Solares Leonina fronte & aspectu* fuget? Sicut autem hæc talia non valent, utut per preces & verba sacra consecrentur, quia non habent vim ab expresso Dei pacto; Ita & Pontificii pariter existiment, non lustralem aquam, non herbas, non campanas, utut vel millies exorcisatas quicquam valere, quia nec ista omnia vim habent ab expresso Dei pacto, ut Bellarm. fatetur.

XXVI.

Deinde objecit nobis supra Serarius *Sudaria & semicinctia* Pauli, quibus super languidos delatis Sp. maligni exiere, Act. 19. 12. utut ea Paulus in sua panoplia non habeat Eph. 6. 11. seqq. Et exinde Reliquiis Sanctorum robur aliquod acquirunt, Cornel. à Lapid. in Act. 19. c. & Baron. Tom. 1. ad. Ann. 55. aliique: Hic Resp. Exemplum illud non quadrare ad propositum ex duobus punctis: (1.) Quia non legitur in textu, Sudaria ista *virtute* quadam effectivâ Dæmones fugasse, dicitur saltim, quod istis delatis super languidos Sp. maligni discesserint; è quo id tantum colligere fas est, quod Sudaria miraculosæ illius sanationis & virtutis symbola & signa fuerint, pro Dei beneplacito juxta illius temporis rationem extra ordinem adhibita, ut ministerio Paulino major autoritas conciliaretur. Ideoq; (2.) factũ illud prorsus est personale *miraculosũ*, & extraordinariũ, ex quo fidei regulam sculpere, aut Paulo dicam scribere non licet, quod istorum sudariorum non fecerint mentionem: Apostolo enim mens fuit Eph. 6. media præscribere, non quæ Deus quandoque pro suo beneplacito liberè adhibere possit, sed quæ à nobis ordinariè adhiberi

hiberi velit. Colligant potius inde Jesuitæ, Reliquias Sanctorum non absque superstitione *collo suspendi, & portari ex fiduciâ Dei & Sanctorum, quorum sunt reliquiæ*, quod Thomas ait, 2.2. q. 96. art. 4: Non enim vel in Panoplia Pauli vel uspiam alibi in SS. ad hunc finem sunt ordinatæ: Neque *caret ignominia quadam, quod fœditas nostri corporis aliorum conspectibus patet*, ut recte censet Bellarm. ubi agit de uti l. ex sepulturâ redundantibus, l. 2. de Purg. c. ult. Proinde *multo consultius* nobis videtur cum Cassandro, *ut ab omni reliquiarum ostentatione abstineatur, & populus ad veras reliquias colendas, id est ad exemplaria Sanctitatis quæ in Scripturis vel ab ipsis Apostolis vel de ipsis extant imitanda provocetur*, Consultat. Artic. 22. Hæc enim Imitatio Sanctorum in fide & pietate reliquiæ illæ sunt, quibus tutò Satanas fugari potest. Ad ea quæ in B. Lutherum de bacchatur Serarius, respondere non est necesse: Nam, præterquam, quod Symposiacῶν liber à Luthero nuuquam vel visus vel lectus, vel probatus sit, id jam ante sufficienter est præstitum ab aliis. *Messalianis* similem facit Withakerum, *qui unicum Dæmones ejiciendi modum putarint, ipsam sc. quam aliis pene omnibus Christianorum ceremoniis vilipensis immodicè prædicarint orationem*: Verum Calumniator est Serarius, ipse potius inter Messalianos recensendus: *Messaliani tantam vim tribuebant orationi ut Baptismo derogarent dicentes, nullam utilitatem baptisatis ex Baptismo accedere, sed solam orationem studiosam Dæmonem inhabitantem effugare*, ait Alphonsus de Castro l. 3. de Hæres: tit. Baptismus: *Ad preces vero coibant permixti mulieribus, quod à Sanctis Christianorum institutis penitus abhorrebant. Quin & nefandum insuper illud dogma excogitarunt, ut dicerent, Sacramenta Ecclesiæ nec prodesse nec obesse, sed oratione solummodo peccata laxari Dæmonesq; fugari*, ut est apud Theod. Petreum Carthus. Colon. professum in Catal. Hæret. tit. Massaliani. Preces ergo illas Messaliani laudabant, quæ erant absq; *fide, pietate, Sacramentis*, Quas, dic Serari, ubi nostrum aliquis inculcavit? Attende potius, quod Epiphan. hæres. 80. de *Messalianis* refert, eos *Ecclesias & adoratoria sibi ipsis feciisse & ad vesperam & Mane multis lucernis & luminibus incensis congregatos &c: extendisse manum, ac peti-*

isse velut victu carentes nihil possidentes, & sacco conspicuo indutos *incessisse:* Item, quod August. de Hæres. c. 57. refert, Euchitas *ab orando sic appellatos tantum orare, ut eis, qui hoc de illis audiunt incredibile videatur:* Et de Baptismo sentire, *quod novaculam imitetur, quæ præcesserant peccata auferens,* At Papistæ omnes in matutinis quas vocant & vesperis cum Lucernis & luminibus congregati confitentur --- --- *Religionem*

Quæ filo insertis numerat sua murmura baccis.

Omnes item Monachi profitentur sese nihil possidere: Mēdicantes volunt videri q. victu carentes, Capucini, Recollecti & similes sacco conspicuo vestiti incedunt, manum ut petant extendunt &c: Jesuitæ item Baptismum novaculæ similem faciunt, quia docent illum peccata *omnia ac præsertim quod origine contractū est delere, alio tamen* opus esse Sacramento, *quod tollat peccata omnia post Baptismum voluntate vel actione suscepta.* ut est in Catech. Concil. Trident. p. 2. c. 5. ad q. 10. Viderit ergo Serarius ne culpa redarguat ipsum, quam Withakero & consequenter nobis qui hic cum Withakero sentimus, impingere satagit. Sed revertimur ex illo diverticulo.

XXVII.

Denique Carthusianus & Parisiensis objecere nobis *Ignem Infernalem,* quo cruciantur Dæmones, utut sit corporeus: Verum Resp. 1. antecedens est incertum & an Ignis ille sit corporeus, *non videtur ad huc definitum expresse ab Ecclesia,* prout ait G. Vasquez Tom. 2. Op. d. 243. c. 1. Neque (2.) negatur à nobis, posse à Deo res corporeas elevari pro sua libertate ut sint instrumenta divinæ potentiæ ad cruciandum Dæmonas, sed hoc disceptatur, an res corporea naturaliter ea virtute polleat, aut si hoc non sit, an juxta Dei verbum & institutionem remedia ejusmodi corporea & naturalia pro fugandis Dæmonibus recte à nobis adhiberi possint; Id enim in præsentiarum nobis satis est. Neque (3.) Ignis ille infernalis utut sit corporeus medium nobis est à Deo ordinatum

uatum adversus Dæmones, sed est medium Deo & justitiæ divinæ quo puniat. Mirum quod non etiam allegant Ignem Elementarem, præsertim, quod norint, si verum est quod refert Sozomen. H. Eccl. l. 8. c. 28. quod *Apelli in Ægypti monasteriis circa Achorin versanti* acciderit, quem *cum in opere fabrili teneretur occupatus, hanc namque artem profitebatur, spectrum dæmonis noctu, habitu mulieris formosæ quàm continens esset tenere cæpit, Qui ferro, quod jam poliebat, ex igne extracto, Dæmonis faciem exusit, Dæmon autem cum fremitu & ejulatione aufugit.*

XXVII.

Observ. IV. & ult. *Modus iste Dæmonas fugandi per res naturales in Papatu receptus partim Ethnicus, partim Judaicus, partim Hæreticus, partim Magicus superstitiosus & Idololatricus est;* ordine singula ostendam: Est primo *Ethnicus* ex Ethnicorum superstitione ortus, & in Christianam civitatem derivatus: Nam ut in aliis multis Baronius conformitatem Papismi cum Paganismo agnoscit; *vigilias*, inquit, *anniversarias habes apud Sueton. in vespas. cap 7. lustralem aquam, aspersionem Sepulchrorum apud Invenal. Sat. 6 & alios, lumina in iisdem parare apud Sueton. in Octavio c. 98, lucernam accendere, cereos in populo distribuere apud Senec. l. 14. Epist. 15. & Macrob. in Saturnal.* Ita etiam hîc sese res habet. Platonici *existimabant quibusdam generibus rerum Dæmones necessario aut* cogi aut *allici ut fuse docet Proclus l. de Sacrif. & Magia, qui inde contendit Magiam omnem esse naturalem; quia Dæmones rebus quibusdam sibi cognatis cogantur in sacrificiis apparere, cujus rei plurima adfert argumenta; Eandem rem persequitur Prophyrius l de Occas. sub finem, & Psellus de Dæmon. cap. ult. hoc ipsum ait se didicisse à quodam M. Ephesio, qui Dæmonibus familiariter utebatur, nullum nempe esse genus rerum, quo certi aliqui Dæmones allici non possint*, prout recenset L Coquæus Aurelius Eremita Augustinianus in Comment. ad l. 21. August. de C.D. c. 6. addita tamen hac ἐπιχείρει, quod *statuendum nihilominus sit, nullis rebus naturalibus vel cogi Dæmones vel necessario allici posse*, eo quod *nulla*

corporalia tantam vim habeant in Spirituales substantias. Sic & Sulphure *in purificationibus Sacerdotes uti solitos velut & asphalto aut oblatione aquæ marinæ scribit Proclus, quoniam purificat Sulphur ob odoris acumen* &c: ut est apud Wierum l. 5. de Præstig. Dæm. c. 21. Alii Ethnici *Vestitu, lineis, coronis, herbarum floribus & verbis quibusdam ineptis ac barbaris q. vinculis* Diabolum vincire se jactabant, ut Porphyrii verbis Eusebius ipsis objicit, præparat. Evangel. l. 5, cap. 6. Brachmanes Indorum *certis scriptis Dæmones ex adolescente quondam absque ejus damno egredi jubebant*, apud Philostratum in vita Apoll l. 3. c. 12. Pythagoras *Scyllam* herbam *januæ suspensam malorum medicamentorum introitum pellere* tradidit, apud Plinium l. 20. c. 9. Idem de illa affirmat Dioscorides de re Medica l. 2. sicut & Wierus l. 1. de præst. Dæm. c. 21. illam numerat inter illas herbas uti mox videbo, quarum *vi antiquitas crediderit Dæmonia arceri.* Forte est *Squilla* illa, cujus meminit Bodinus, quod putetur esse radix illa à Salomone ad Dæmones arcendos monstrata, & à quibusdam *in luminibus suarum januarum arcendis Spiritibus suspendatur.* Verbena sive Verbenaca herba à Dioscoride quoque utilis esse dicitur, quæ alligetur & suspendatur *in lustrationibus & expiationibus*, Sicut & Plinius l. 25. cap. 9. refert *verbenacâ ædes purgari ac lustrari* consueviſſe, Item Cornel. Agrippa (forte ex eo fundamento) l. 3. de occ. Phil. c. 57. *animum ex piari* dicit *institutis quibusdam*, ut sint *aspersiones aquæ, inunctiones, suffitus, thus. verbenaca.* J. Wierus l. 5. de præst. Dæm. c. 21. magnum pene harum rerum catalogum recensetː *Expiare* inquit, *& Pentaphyllon putabatur, proinde in hanc rem usurpant eam Sacerdotes antiqui, quemadmodum & olivæ ramos &c: Simili modo expiationi conferre arbitrantur thus, myrrham, verbenam, Valerianam, Phu Arabibus dictam, palmam Christi portatam, Antirchinon, vel radicem Bryoniæ siccam, ac radicis Aristologiæ siccæ suffitum, item Benedictam, & gariophylatam, scillam quoque in limine domus suspensam: Tantum gloriæ tradiderunt quidam Herbæ Vetonicæ, ut domus in qua sata sit existimetur tuta à piaculis omnibus. Helitha herba in Moravia nasci fertur rara quæ Sp. malignos pellat, sunt & alia antiquis contra fascinationes emendata, velut palmarum lignum in pomo osseum dente li-*

te limatum, radix Satirij Orchis cognominati fœminæ sc. quæ distinguitur internodiis & ramosiore frutice. Rutam fascini amuletum esse tradit Aristot. Alyssum in domo suspensum salutare amuletum existere contra hominum quadrupedumque fascinationes. Item Rhamni tertii ramum valuis fenestrisq; impositum Veneficia omnia depellere tradit Dioscorides. Contra hæc quoq; valere Cynocephaliam tradit Appion Grammaticus, Baccharin herbam bene olentem Virgilii testimonio freti contra fascinum singulari pollere virtute putant: In Bucol.

--- --- Bacchare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro,

Hæc Wierus, quæ maximam partem aut Ethnica aut ex Ethnicismo orta fuisse nullus dubito, Apulejus l. de Virtut. Herb. c. 71. *de herbæ verbasci virgulto* ait, *quod qui secum portaverit, nullo metu terrebitur, neq; bestiæ neq; occursus mali molestabunt hunc.* Apud Ovid Fast. 6. aliquis alteri magno pro munere

Spinam quâ tristes pellere posset
A foribus noxas, hæc erat alba, dedit.

Fabas item nigras contra improborum Spirituum robur Valere credidit ille apud eund. Ovid. qui Fast. 5. eas aversus jecit, &

Hæc ego mitto,
His, dixit, redimo meq; meosq; fabis.

Fuit hic Ethnicorum ritus, ut *Spiritus abigerent certo legumine, quod indicare non placet, in os indito, & retrorsum jacto, nudis pedibus, certaq; precum formula novies repetita*, ut est apud Bodin. l. 3. Dæmon. c. 5. Solebant novæ nuptæ *cum viris primum congressuræ postes lupino adipe perungere, ne quid mali medicamenti inferretur*, apud Plinium l. 28. cap. 19. Olim & Ephesij ac alij per Ephesia γράμματα *obsessos à Dæmonibus* liberarunt, apud Plutarch. in Sympos. Iac. Possent item ex profanis autoribꝰ plurima afferri de æris tinnitu, (cujus loco apud Pontificios campanæ) quo manes domo aliisq; ex locis exigi posse profani quidam credidere: Nam *si quis vita excessisset, æra pulsabantur*, ut Theocriti Scholiastes in Poetæ Pharmaceutriâ indicat, quod is sonus crederetur esse καθαρὸς καὶ ἀπελαστικὸς τῶν μιασμάτων, *averteret spectra & Dæmonum ludibria*; Sic apud Tibullum aliquis maleficus

Cantus & à curru Lunam deducere tentat,
Et faceret, si non æra repulsa sonent.

Apud Ovid. in sacris Magicis Lemuralium ad Lemures ædibus expiatis abigendos & mortuorum umbras, æris tinnitus adhibiti leguntur, l. 5. Fast. ubi

Rursus aquam tangit, Temesæaq; concrepat æra,
Et rogat, ut tectis exeat umbra suis.

Habebant & Ethnici Aquam lustricam ad templorum portas servatam, qua ingredientes lustrabantur, de quâ apud Virgil. lib. 6. Æneid.

Idem ter Socios pura circum tulit unda,
Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ,
Lustravitq; Viros,

Nam ut est apud Euripid. Θάλασσα κλύπι πάντα ἀνθρώπων κακὰ, *Cuncta mortalium mala prorsus abluit mare:* Notabilis hujus rei historia est de milite quodam, post Imperatore, qui Julianum Fortunæ templum intrantem sequens, vidensq; ædituum intrantes aspergentē, suam quoq; chlamidem aliquot guttis rigasse, *pugnis cædit* eundem, *seq; inde non expiatum, sed turpi labe pollutum* ait, apud Theodoret. l. 3. cap. 16. Apud Homerum Odyss. η. & Virgil. l. 6 Æneid. *ferrum* quoq;, *gladios, tela*, reperies adversus Dæmones usurpata, quod cujusdam Armeni exemplo confirmat Psellus l. de Dæmon. & L. Cælius l. 2. c. 8. sicut & Hortensius in l. 6. Aeneid. refert quosdam asserere, *ferri aciem Dæmones reformidare, idq; reipsa compertum esse, seseq; novisse quibus hoc ipsum acciderit nocturnis horis, sed cum magna tamen adversæ valetudinis conflictatione:* Bodinus item narrat factum Tholosæ fuisse, & gladium in cubiculi ambitu contra Dæmones agitari consueviſſe. Habebant & Ethnici *suas Bullas, quas infantibus suis ad avertendas fascinationes ut docet Varro de L. L. c. 6. re turpicula consignatas vel aliter superstitionibus auctas collo suspenderent, ad quas abolendas, ut de multis accidit, placuit superstitione in religionem mutatâ, exejusmodi sacris ceris bullas confici, quas Agni Christum præferentis imagine insignitas genti in Christo gestarent*, ut Baronius Cardinalis Tom. I. ad ann. 58. Sect. 76. latis

tis ingenue fatetur, & ipse hujus Agni cerei originem Ethnicis deberi agnoscit, quod pariter in reliquis ejûs generis Papisticis ceremoniis & remediis ostendere nemini è dictis est difficile.

XXIX.

Est Secundo *Iudaicus*, à Judæis quidem usurpatus, sed à piis serio improbatus: Josephus l. 8. Antiquit. Jud. c. 2. ait *Salomonem incantationes quondam instituisse, quibus adstricti Dæmones, ne denuo redirent effugarentur, quæ cura*, inquit ille, *hactenus apud nos multum prævalere dignoscitur, vidi enim quendam Eleazarum de gente nostrâ præsente Vespasiano & ejus filiis & tribunis totoq; simul exercitu curantem eos qui à Dæmonibus vexabantur, dæmoniaci naribus admoto annulo habente sub signaculo radicem à Salomone monstratam, deinde per nares odorantis Dæmonium abstraxit, & repente cecidit homo, Postea id adjuravit, ne amplius rediret, Salomonis interim mentionem faciens, & incantationes ab eo inventas recitans.* Alibi l. 7. de Bell. Jud. cap. 23. *radice quadam Baaras* (in latino corrupte Babras) *dicit expelli Dæmones si admoveatur his qui vexantur: Est autem*, inquit, *radix flammæ similis, colore circa vesperam veluti jubare fulgurans accedentibus, eamq; evellere cupientibus facilis non est sed refugit, quin etiam siquis eam tetigerit mors certa est, nisi forte illam ipsam radicem ferat de manu pendentem, Capitur autem alio quoq; modo sine periculo, qui talis est: Totam* N. *eam circumfodiunt, ita ut minimum in terra sit, deinde ab ea Canem ligant illoq; sequi eum à quo religatus est, cupiente, radix quidem facile evellitur canis vero continuo moritur, tanquam ejus vice à quo herba tollenda erat, traditus*; Ec hæc herba putatur à quibusdam per Salomonem monstrata: Ubi, ut notavit Cornel. à Lapide in Act. cap. 19. v. 15. *S. Thom. q. 6. de potentia art. 10. ad 3. & ex eo Franc. Victoria relect. de Magia num. 28. censent exorcismos Salomonis per certam radicem cum adjuratione ab eo compositos esse, postquam factus est Idololatra.* Et Bodinus *pernitiosam* vocat *Josephi Historici Hebræi sententiam, cum Iudæum e sua gente scribit à se fuisse visum, quo annulum indente ad nasum hominis obsessi fugiebat Diabolus illico, sic enim homines ad reveren-*

verentiam rerum creatarum, lapidis, annuli inflectuntur, l. 5. de Dæmon. cap. 6. Sic. Act. 19. 13, mentiofit *Iudæorum Exorciſtarum circumeuntium*, qui ut notat in illum locum Gaſpar Sanctius, *carminibus quibusdam & ſuperſtitionibus aut Dæmones immittebant in humana corpora aut etiam evocabant*, de quibus Perſius:

Tunc grandes Galli, & cum ſiſtro luſca ſacerdos,
Incuſſere Deos inflantes corpora,

Sic & Juſtinus Dial. cum Tryphone Judæo p. 293. hoc Judæis objicit, & q. gentilitium in iis reprehendit, quod thymiamata & vincula in exorciſmis adhibeant, ἤδη μέντοι καὶ ἐξ ὑμῶν ἐπορκισταὶ τῇ τέχνῃ ὥσπερ καὶ τὰ ἔθνη χρώμενοι ἐξορκίζουσι, καὶ θυμιάμασι καὶ κατ᾽ δεσμοις χρῶνται: h. e. *Exorciſtæ certe quidem, ſeu adjuratores veſtri jam arte quadam veluti gentes in exorciſmis ſive adjurationibus utuntur, & thymiamata & vincula adhibent.* Ubi vanum & frivolum eſt, quod Serarius in Tob. cap. 8. p. 85. excipit, *Iuſtinum Iudæis non ſimpliciter odorum incenſionem vitio dare, ſed eam quæ abſq; Dei veri invocatione fiebat, quaſi ſola iſtarum rerum natura depelli poſſent Dæmonia Cum enim dixiſſet ſolo Prophetarum vel aliorum veteris Teſtamenti Sanctorum hominum nomine iſta non pelli, adjunxit*: At, ſiquis forte veſtrum Dei Abraham Dei Iſaac & Dei Jacob nomine illa adjuret, fortaſſis obtemperabunt. Siquis, *ait, quaſi nullus id vel rarus certe tum faceret, ideoq; apponit* forte, *& ſubdit*, jam vero Exorciſtæ veſtri &c. *quaſi clare diceret, At Dei nomine veſtri Exorciſtæ Dæmones non adjurant, ſed potius artem uti Gentiles quandam adhibent, odoresq; incendunt.* Hæc quidem Serarius, ut Juſtini ſententiam corrumpat, quæ utrumq; carpit, *tum* quod Judæi abſq; invocatione *Veri* Dei, qui eſt Deus Abraham &c. Dæmones adjurent, *tum* quod Gentiles imitati, ὥσπερ καὶ τὰ ἔθνη thymiamata adhibeant, ut ipſe textus clariſſime evincit: Neq; κατ᾽ saltim & aliquo certo reſpectu, ſed ſimpliciter illos ſuffitus ut ethnicam ſuperſtitionem damnat, eosq; opponit Chriſtianæ conſuetudini, quâ (nullâ facta ſuffituum mentione) *per nomen iſtius ipſius Filij Dei & primogeniti omnis creaturæ, & ex virgine geniti, perpeſſionibusq; obnoxij hominis*

hominis facti, & sub Pontio Pilato à populo vestro crucifixi & mortui, qui & à mortuis resurrexit, & in cœlum ascendit, Dæmonium omne adjuratum vincitur, & in ditionem redigitur, ut habent verba Iustini ad Tryphon. cit. l. Porro originem *phylacteriorum* ad Judæos quoq; refert Chrysostom. in Matth. 23. ubi, *Pharisæi*, inquit, *pictaciola illa Decalogi phylacteria vocabant, quod quicunq; habuisset ea q. ob custodiam & munimentum sui haberet &c. Hoc apud nos superstitiosæ mulierculæ in parvulis Evangeliis & Crucis ligno & istiusmodi rebus, quæ habent quidem Zelum Dei, sed non juxta scientiam usq; hodie factitant, culicem liquantes & camelum glutientes:* Habent enim Judæi in membranulis ex pelle animalis mundi desumtis scriptos minutissimis characterib. quatuor scripturæ tractatus, *quos suis Thephillin inclusos circumferunt, singulisq; diebus capiti & manui alligant, non aliter abutentes illis, quam quidam abutuntur initio Evangelij secundum Iohannem, qui se satis tutos existimant, si sacra verba in schedâ circumferant, quamvis interim sceleratam vitam vivant*, ut P. Fagius recte scribit: Ita & Chaldeus Paraphrastes apud Serarium in Cantic. 8. 3. Israeliticam Synagogam ita loquentem facit: *Ego electa sum præ omnibus populis, quia ego alligo Thephillin lævæ meæ manui, & capiti, chartulaq; affixa est lateri dextro portæ meæ, cujus tertia pars respicit thalamum meum, ut facultas seu licentia non sit noxiis Dæmonibus ad perdendum me*: Habent & hunc morem Germani Judæi, *ut faciant circulum per circuitum in parietibus cubiculi, in quo jacet puerpera, cum creta aut carbone, scribantq; in singulis parietibus, Adam, Hævah, Chutz, Lilith, atq; in ostio cubiculi interiori scribant nomina trium Angelorum Senoi, Sansenoi, & Samangeloth, quemadmodum tradidit illis ipsa Lilith, eâ horâ, qua voluerunt eam suffocare in mari*, ut ex R. Elia in Thisbi idem Serarius notavit. Ex his vero constat, quid Judæis in adjurandis & fugandis Dæmonibus debeant Exorcistæ Papales. Nicolaus Remigius ipse Papista l. 3. Dæmonolatr. c. 3. contendit, Pontificios *annuletis & periaptis* more *gentilium & Judæorum* confidere, quod domesticum testimonium veritas haut dubiè extorsit.

XXX.

Est Tertio *Hæreticus*, ab hæreticis non solum usurpatus, sed

& ut hæreticus a modestis ingeniis rejectus. Olim Valentiniani *oleum* adhibere solebant, *quo morientes suos ad finem defunctionis inungebant, mittentes capitibus eorum illud oleum cum invocationibus*, ut est apud Iren. l. 1. c. 18. Eos vero secuti Heracleonitæ *morientes suos novo modo q redemerunt, videlicet per oleum balsamum & invocationes, quas Hebraicis verbis dicebant super capita eorum*, apud August. de Hæres. c. 16. & quidem eo fine, *ut incomprehensibiles fierent, & invisibiles supernis principatibus, ac sic ab eorum potestate redimerentur*, apud Epiphan. Hæres. 36. Et ne multa congeram, Joh. Gerson Cancellarius Parisiensis, vir juxta Sixtum Senensem l. 4. Bib. S. *Scholasticæ Theologiæ peritissimus & multis nominibus ornatissimus*, cum de magicis nugis quædam sibi objeciisset, & dixisset, ejusmodi *nonnulla tolerari aut fieri ab Ecclesia in Exorcismis aqua benedicta & Imaginibus*; ingenue professus est, *irrepsisse quædam inter simplices Christianos, quorum sanctior esset omissio, neque esse mirum si Theologia & fides habeant suos corruptores, hæreticos, & temerarios assertores, ut & aliæ artes.* Tituli sunt profecto Jesuitis non contemnendi.

XXXI.

Est denique Quarto *Magicus, superstitiosus, & Idololatricus*: Superstitiosus & nugivendulus sim, si omnia recensem quæ hic Magi & superstitiosi suaviter nugantur: Pauca saltem adjiciam, ut quod *pennæ upupæ suffitæ* apud Wier. dicuntur *phantasmata fugare*: Et quod Cornel. Agripp. de occulta Phil. l. 3. c. 57. testatur, *fel canis nigri suffitum valere ad expiandum Dæmonas malos & maleficia ubicunq; fuerint.* Item, *quod ejusdem Canis sanguis linitus per omnes parietes præstare dicitur tum ad expiandum Dæmones malos quam maleficia ubicunque fuerint: Item quod luporum capita Januis in eundem finem suspendantur*, apud Wier. l. 5. de Præst. Dæm. c. 21. De humano sanguine legitur apud Ludov. Banairolum in Enn. Mul. c. 2. quod *si menstruo cruore domus alicujus postes, tangantur Dæmoniacis Magorum artibus & insidiis aditus omnis præcludatur*; Michael Isseltius refert

refert in narrat. Histor. Anni 1586. *fuisse in Livoniâ locum, ubi nimbis tonitrubus ac tempestatibus immane dæmones baccharentur, nisi in lacum qui ab Odepe decem circiter miliaribus distat, innocentum quorundam sanguinem infunderent rustici.* Albertus M. l. de viribus Gemm. Herb & Animal. Urticam & Millefolium commendat *quæ si teneantur manu, securos nos futuros* pollicetur *ab omni metu & phantasmate*, & ne putes esse Urticam nostram, dicit *à Chaldæis vocari Roybra à Græcis Olierib, à Latinis vel Gallis urticam*, qualis herba an in rerum naturâ unquam fuerit ipsa mihi videntur nomina prodere. Idem de Chalcedonio Lapide ait, *si vis effugere illusiones omnesq; phantasias & omnes causas vincere, accipe lapidem qui Chalcedonius dicitur, hic si perforetur & cum virtute lapidis qui Sinerip dicitur collo suspendatur, valet contrâ omnes phantasticas illusiones, & facit vincere omnes causas & contra adversarios utriusq; corporis conservat.* Paracelsistæ *domum à Lemuribus turbatam vindicant liberantq; suspensis in quatuor domus angulis membranis virgineis, quas vocant, quibus inscriptum est: Omnis Spiritus laudet Dominum: vel: Mosen habent & Prophetas, vel: Exurgat Deus & dissipentur inimici ejus*, ut est apud Wierum l. sæpe cit. Hæc vero & ejus generis infinita alia, quæ referre supersedeo, sunt dubio procul Magica & superstitiosa: Zoroaster primus Magiæ inventor *verba barbara in sacris non contemnenda* esse dixit, ut est apud Filesacum de Id. Mag. p. 53. Trithemius in Incantatione quam Goetiam vocat adhiberi ait *nomina ignota, signa & characteres*: Euseb l. 5. præparat. c. 6. *Barbara verba* ait *adhiberi à Magis*: Nicetas Thesaur. l. 4. c. 1. testis est, *à Simone Mago multa vocabula barbara excogitata* fuisse: Euseb. l. 4. præparat: cap. 1. scribit *à Sacerdotibus Magiæ non ignaris inaudita quædam nomina invocari, ut ipsi divini videantur.* Quid vero faciunt Sacerdotes Pontificij? Illi etsi non barbara sed sacra verba adhibeant, eo tamen magis peccant, quod ad illos usus adhibent, quos Sp S. neque voluit neque intendit unquam; Amuletis & scriptis Sacris ad collum suspensis vim contra incantationes tribuunt, creaturas extra Dei verbum *verbis illegitimis* exorcisant, iisque vim nescio qualem & quantam tribuunt, absque Dei mandato, absque dono miraculo-

rum, *quod hodie in Europeis regionibus vix ulli habent*, ut fatetur M. Delrio. Perpendat æquus rerum arbiter, num procul hæc res absit à Magica superstitione: Ipse Johannes Hessels de Lovanio 14. argumentis Papistas removentes & destruentes signa maleficiis spe cessationis morbi, & Victoria *radentes pilos aut capillos ad expulsionem Dæmonum* Magiæ coarguit, quippe *qui eo ipso misceant se pacto cum Diabolo societatem cum eo ineant, Diabolum colant, exerceant Sacramenta Diabolica &c.* Et tamen modus ille removendi maleficia, probante & juvante Ecclesia Papali & docentibus Papistis, tam est apud illos receptq & usitatus, ut Scotus cum suis meritum illi asscribere non dubitaverit, prout refert Delrio l. 6. Disquisit. Magic. c. 2. Summa Angelica, tit. Superstitio cum Aureolo in 4. dist. 24. q 2. definit, *si quis esset actu dispositus ad faciendum maleficium, potest aliquis uti eo ad solvendum* sc. *maleficium per maleficium, quia malo alterius licet uti in bonum nostrum*, Ledesma ut refert de eo Malderus tract. 10. de Mag. c. 8. dub. 13. *cum multis viris doctis se tenere dicit hanc sententiam ut certam, Quod liceat petere remedium ab illo malefico quem quis moraliter tamen certo vel probabiliter putet non nisi novo maleficio maleficium sublaturum.* Sprengerus narrat *de dispensatione quadam obtenta super hoc per quendam Episcopum maleficiatum*, In Mall. Malef. p. 2. q. 2. Utut vero hęc talia ab aliis quibusdam Pontificiis improbentur, urget tamen illos omnes definitio Magiæ quã Toletus habet libr. 4. Instruct. Sacerd. c. 14. *Magia*, inquit, *est potestas inordinata* h.e. ut ipse explicat, absque dono miraculorum, & quod addendum, absque Dei mandato, *faciendi quod supra naturam* est: Qualis sane potestas inordinata Pontificiorum Exorcizatio jure dicenda, ut quæ absque dono miraculorum & absque Dei mandato fit, & dirigitur ad faciendum ea quæ sunt supra naturam: Neque minus militat contra illos, quod Superstitio vanæ observationis juxta Valentianum Tom. III. disp. 6. q. 13. p. 2. potest cognosci tum ex *modo operandi*, si quis v. g. câusam applicet in loco valde distanti ita ut judicari possit causam non posse in illa distantiâ producere effectum, aut si quis verba illicita aut vanas circumstantias inter operandum adhibeat, tum ex *conditione causæ adhibitæ si-*

tæ simul *& circumstantiæ* in illâ adhibendæ, si causa adhibita judicetur improportionata ad effectum, & præterea non adhibeatur ex legitimâ autoritate ejus, qui causam naturâ suâ insufficientem possit propter convenientes rationes adhibere ad effectum tanquam signum, tum ex *conditione effectus*, si effectus sit talis, qui oriri dicatur ab aliâ præter naturam intelligentem, & tamen sit talis qui non possit provenire nisi à naturâ intelligente & circũstantia adhiberetur vana, tum ex *communi experientiâ*, si hæc doceat frustra operam insumi in procurandis per quædam media præstantibus effectis, Et ex horum quolibet seorsim potex juxta Valent. cognosci vana superstitio. Sicut igitur, quæ Magi adhibere solent superstitiosa recte dicuntur, quia virtus illis tribuitur, quam neq; suâ naturâ habent, neque ex legitimâ autoritate ejus qui causam posset elevare, atque sic improportionata sunt ad effectum: Ita ex eadem ratione pleraque Pontificiorum remedia superstitiosa esse recte dicuntur, quia neque per naturam suam neque per Dei autoritatem ad effectum illum arcendi Dæmones sunt proportionata: *Est superstitiosum*, ut vere dixit August. Hunneus Profess. Lovanienses, *& à religione Christianâ alienum, uti rebus ad eos effectus assequendos, procreandos, vel prænunciandos, quorum illæ res neque causæ sunt, neque legitima secundum divinam vel naturalem institutionem signa.* Ideo Chrysostomus, ut ante notatũ, *Superstitiosas* vocat *mulierculas* quæ *in parvulis Evangeliis & crucis ligno & istiusmodi rebus quæ habent quidem Zelum Dei sed non secundum scientiam, idem hodie factitant*, quod olim Pharisei phylacteria gestantes. B. Cyrillus Alexandrinus apud Anastas. Nicenũ libr quæst. in SS. q 23. invehitur in illos, qui vocibus Scripturæ, quales sunt *Dominus, Sabaoth*, & similes ægrotos incantabant eosque curare videbantur, & *ejusmodi operatione Dæmones* ait *honorari*: Sic & Concilium Turonense Capit. Car. M. S. 27. *Phylacteria, amuleta, inscriptiones* &c: vocat *magicæ artis insignia.* Concilium Laod. Can. 36. *eos qui utuntur phylacteriis ut quæ sint animarum vincula ejici ex Ecclesia* jubet. Et August. l. 2. de Doctrina Christ. c. 20. & 27. graviter scripsit: *Superstitiosum est quicquid institutum est ab hominibus ad facienda & colenda idolâ, pertinens vel ad*

colendam sicut Deum creaturam, partemve ullam creaturæ, vel ad consultationes, vel pacta quædam significationum cum Dæmonibus placita atq; fœderata, &c: Ad hoc genus pertinent omnes etiam ligaturæ atque remedia, quæ Medicorum quoq; disciplina condemnat, sive in præcantationibus sive in quibusdam notis, quas Characteres vocant, sive in quibusdam rebus suspendendis aut ligandis in quibus omnis ars Dæmonum est, ex quadam pestiferâ societate hominum & Angelorum malorum exorta. Unde hæc cuncta vitanda sunt Christiano & omni penitus execratione repudianda atq; damnanda. Idem Serm. de Temp. 215. *Etsi adhuc videritis aliquos aut ad fontes aut ad arbores vota reddere, Sortilegos etiam & divinos vel præcantatores inquirere, phylacteria etiam Diabolica, & characteres, aut Herbas, vel succos sibi aut suis appendere durissimè tanta eorum peccata increpantes dicite: Quia quicunq; fecerit hoc malum perdit Baptismi Sacramentum.* Cogitent Pontificii, quid dicturus esset Augustinus, si hodie istos Exorcismorum, suffumigationum, herbarum, characterum Thesauros videret, quibus Diabolum pelli, cogi, & adjurari in Papali Schola creditum atq; receptum est. Dicit Serarius *Herbas superstitiose Gentilibus aliisque interdum usitatas*, in Tob. c. 8. p. 85. Ego cur de Pontificiis Exorcistis id negem, causam non reperio: Asserit Bodinus *Salem ferre aut politum dactyli nucleum ut sine precibus impediantur aut abigantur maligni spiritus illud esse Idololatriæ*, l. 3. Dæmon. c. 5. At faciunt illud Pontificij Exorcistæ, qui salem circumferunt, & exorcisant quidem suis preculis, sed frustra, quia preces illæ non nituntur expresso Dei pacto, ut ante ex Bellarm. dicebamus, adeoque sunt absque fide, sunt superstitiosæ, & peccata grandia. Isidorus, *Simulacrum consecratum* ait *esse Idolum*, Orig. l. 8 c. 11. Tertullianus diserte *Imaginum consecrationem* dicit *esse Idololatriam.* l. de Idol. c. 4. At vero apud Papistas Agnus Dei v. g. per *mystica sanctificatur*, Imago Johannis Baptistæ consecratur *ut sit Dæmonum Sancta expulsio*; Et tamen hæc Idololatria non sit? Dicam, quod res est: Aut nulla ratio contra occultam Magiam &, superstitionem concludit, aut eadem ratione illas Ecclesiæ Papalis superstitiones & exorzisationes convellit: Nulla item exceptio aut excusatio de Invocatione Dei super creaturas aut consecratione rerum

rum creatarum adferri poterit à Papistis, quin Malleolus aliiq; similes à Delrio impugnati l. 6. disquisit. Mag. c. 2. sect. 3. eadem pari ratione pro sese uti possint; Quod etiam gnaviter præstitit Trithemius uti protestatio Steganographiæ præmissa docebit: Et nescio quid Thomam fecerit fluctuantem, qui 2.2.q.96. a. 4. *verba* (ad collum suspensa) inquit, *non illicita omnino sunt, quanquam laudabilius esset ab illis abstinere*: Optarem ut attenderent homines illi, quid Gratianus ex Papæ Stephani statuto dist. 63. Can. Quia sancta dicat: *Per hoc magna autoritas est habenda in Ecclesia, ut si nonnulli ex Prædecessoribus nostris fecerunt aliqua quæ illo tempore potuerunt esse sine culpa, & postea vertuntur in errorem & superstitionem sine tarditate aliqua & cum magna autoritate à posteris destruantur.* Et quod Tertull. de Orat. c. 12. habet: *Hujusmodi* (quæ *sine ullius aut Dominici aut Apostolici præcepti autoritate fiunt*) *non religioni sed* SUPERSTITIONI *deputantur, affectata & coacta, & curiosi potius quam rationalis officii, certe vel eo coercenda, quod gentilibus adæquent.* Et quod August. monet Epist. 159. cap. 19. *Omnia talia, quæ neque Sanctarum Scripturarum autoritatibus continentur, nec in Conciliis Episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudine Universæ Ecclesiæ roborata sunt, sed diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter variatur, ita ut vix aut omnino nunquam inveniri possint causæ, quas in iis instituendis homines secuti sunt, ubi facultas tribuitur sine ulla dubitatione resecanda existimo.*

XXXII.

Sed, inquis, *Miracula* pl. quæ passim scriptores Pontificij inculcant, firmare videntur quod volunt, ut v. g. Aqua lustrali, sale, Imaginibus &c. constat Dæmones sæpe territos esse. Ast dico, cum August. de miraculis illis, *quod non tanta ea commendet autoritas, ut sine difficultate vel dubitatione credantur, quamvis Christianis fidelibus à fidelibus indicentur*, l. 22. de C. D. cap. 8. Lyranus ait in l. Tob. c. 6. *Quod aliquando Dæmones ab obsessis corporibus recedunt ad deportationem Carminum & hujusmodi, non fieri virtute talium sed Dæmones hoc fingere voluntarie ut homines teneant in errore.* Ita etiam Joh. Salisberiensis l. 2. Policrat. c. 27. *Hæc est*, inquit, *fraudulentia mali-*

malignorum spirituum, ut quod ultro faciunt, & dictant hominibus faciendum, operosè dissimulent, ut hoc facere videantur invitti simulant se coactos & q. Exorcismorum virtute extractos fingunt, & quo minus caveantur, Exorcismos q. in nomine Domini aut in fide Trinitatis aut incarnationis & passionis virtute conceptos componunt, eosdemq; hominibus tradunt, exercentibus eos obtemperant, donec eos secum crimine sacrilegij & pœna damnationis involvant &c. Bodin. l. 3. Dæmon. cap. 6. *Sorbona definivit,* inquit, *Hæretici sunt, qui putant, Dæmones maleficiis cogi posse, qui se cogi fingunt, cum itaq; à Magis cernimus Sp. malignos extrudi, neq; extrudunt ipsi, neq; exire cogunt, sed colludunt inter se, ut apud Leonem Africanum legimus à Magis quos illi vocant Mubazimim, post ductos aliquot circulos & characteras in fronte Dæmoniaci, interrogatumque Dæmonem dari mandatum ei, ut exeat, & statim exire illum, quod item scribit Sprangerus de Germanici sortilegis, quo facto Satanas qui nihil nisi corpus tenebat antè violentiâ, in tranquillam animæ possessionem mittitur. Item, si quando superstitiosi ritus idololatriaq; adhibentur, malignus Sp. abscedit & cogi se fingit, ut imperitos protrudat in constantem & obstirmatam Idololatriam,* Leon. Coqueus in l. 21. Aug. de C. D. cap. 6. *Quod simulent* (Dæmones) *se aliquando adesse* (aut exire) *id faciunt ut hominibus imponant &c.* In hanc rem cirat verba Henrici de Hassia; *Ita simulat se captum ut te capiat, se victum ut te vinciat, se tuo imperio subditum ut te sibi subdat, à te inclusum, ut contra te finaliter includat, fingit se tua arte vel imagini vel lapidi alligatum ut funibus reltgatum te ad infernum perducat.* Sed sint ista satis de proposito.

XXXIII.

Itaq;, ut tandem finiam, ex hactenus dictis judicare fas est de Angelo Tobiæ, qnod verè non fuerit Angelus quispiam bonus, sed fictitius sive personatus, forte à pio viro in proscenium per modum Comædiæ introductus. Arguunt illud verba & consilia huic Angelo tributa, quæ haut facile vero cupiam Raphaeli assignare licet: Non jam illud urgeo, quod dicit sese *preces offerre,* Tob. 12. 12. de illo enim in præced. me vidi. Adeoque hic sisto & do.

SOLI DEO GLORIAM.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958736/phys_0380
DFG

ביהוה

De Idololatria.

Disputatio XI.

Quæ est

DE ANGELOLATRIA

Decima.

Resp. Goswinus Müller / Susatensis.

Punctum XVI.

De Septem Spiritibus Apoc. 1. v. 4.

An sint creati? Et, An Johannes à Sp. creatis h. l. gratiam & pacem petierit, eosque religiose invocarit?

I.

SEptimò; Jesuitæ locum urgent, qui est Apoc. 1. 4. ubi Johannes Theologus gratiam & pacem septem Ecclesiis Asiaticis precatur à septem Spiritibus: *Gratia*, inquit, *sit vobis & Pax ab eo qui Est, & qui Erat, & qui Venturus est, & à septem Spiritibus, qui sunt in conspectu throni ejus, Et à Jesu Christo, &c.* Quo loco, ut ait Becanus Tom. V. Opusc. I. tit. de Invocat. Sanct. q. 7. p. 529. *Johannes precatur fidelibus in Asia pacem & gratiam à DEO Patre, à septem Angelis, & à Christo Jesu Redemtore nostro: Sicut* autem *illi invocant Deum & Christum, qui à Deo & Christo petunt aliquod bonum Spirituale sive pro se sive pro aliis, sic etiam invocant Angelos, qui ab Angelis petunt aliquod bonum spirituale: At Johannes pro fidelibus in Asia petit aliquod ejusmodi bonum, nempe pacem & gratiam non solum à Deo & Christo, sed etiam ab Angelis. Ergo invocat Deum Christum & Angelos.* Pariter Cutsemius in desper. causa Calvin. p. 132. *Si Sancti Angeli*, inquit, *veniunt cum Deo in communionem distributionis cœlestium gratiarum, cur non etiam orationis & precum? A quo enim aliquis*

boni aliquid accipiat, ab illo istud rectè & pie petere potest. Cornelius à Lapide in Comment. super Cap. I. Apocal. *Pari modo*, inquit, *cum Johannes ait, Gratia vobis à septem Spiritibus, hoc ipso rogat hosce septem Angelos, ut gratiam illis à Deo impetrent. Ergo eos invocat; Sancit ergo hic invocationem Sanctorum contra hæreticos: Quocirca non tantum significatur hic, hosce septem Spiritus assistere Deo, ut vult Beza, sed etiam nobis præesse, & succurrere, ac ut magis ope suâ succurrant, eam à nobis esse implorandam.* Paulo post ita concludit: *Quocirca plane congruit, ut Pastores Ecclesiarum & fideles quiq; horum imo S. Johannis, qui à septem hisce Spiritibus, gratiam & pacem septem Ecclesiis Asiæ efflagitat, exemplum imitantes, hosce septem Archangelos, velut principes aulæ cœlestis, Ecclesiarum omnium præsides, Dei administros, hominum Mediatores & Præpositos peculiari cultu crebro venerentur colant & invocent.* Et idem argumentum pro hac ἐθελοθρησκείᾳ Angelorum usurpant Ribera & Blasius de Viegas in Comment. super cap. I. Apocal. Pererius in Comment. Genes. cap. 32. & in Apocal. c. I. & alij pleriq; de hac Scholâ: Paulo itaq; uberius in vestiganda nobis rei Veritas, & quinam sint hi septem Spiritus, & quid in his præsidij habeant Patres Jesuitæ, dispiciendum.

I I.

Variæ vero sunt circa locum hunc difficilem Interp. sententiæ, quas ut à nobis observatæ sunt in quatuor Ordines redigemus: *Primus* illorum est, qui quod credere non possent, B. Johannem à septem Spiritibus gratiam & pacem postulasse, quæ à solo Deo petenda & expectanda esset, totum hunc librum Propheticum è Canone N. T. exesse voluerunt, prout Pareus refert in cap. I. Apocal. Verum hi nodum non solvunt, sed temere & petulanter scindunt. Marcionitæ Theodosiani Alogiani Apocalypsin Johan. penitus repudiarunt, eoq; etiã nomine *hæreseos* notantur apud Tertull. l. 4. ad v. Marc. Epiphan. Hæres. 51. &. 34. Philastr. c. 55. August. hæres. 30. Et licet Eusebij temporibus dispar adhuc fuerit *apud multos opinio de Apocalypsi, probantibus illam aliis, aliis vero reprobantibus*, uti refert lib. 3. c. 21. 22. 36. l. 7. c. 34. & Græci Hieronymo teste *contra communem consensum Latinorum de Apocalypsi*

ipsi dubitarint; Plurimi item, ut Amphilochius & Junilius testantur *Apocalypsin adulterinam dixerint, & admodum de ea apud Orientales dubitatum sit, sero etiam eam Italia receperit*, Et si verum alias est, quod Erasmus notat in Commentario, *sero eam receperit Italia, Græcia ne nunc quidem satis approbet*; Attamen de Canonica hujus libri autoritate dubitare nobis nefas esto; Præsertim, quod autor libri, quem B. Johannem Evangelistam esse putamus, fuerit Θεόπνευστος; & eventus vaticiniorum optimus interpres infallibilitatem hujus Propheriæ, quod à Deo dictata sit, satis ostendat, quia is solus *futura prædicere* potis, Esa. 41. 22. Nec minus, ut Chytreus in Apocal. notavit, *Vetustissimi quiq; Doctores qui temporibus Apostolorum vicini fuere, communi consensu hunc librum Johanni Apostolo ascripsere*, imo vero, ut jam est dictum, hæreseos notati, qui autoritatem ejus libri suspectam fecêre: Eusebium non moramur, in cujus plerisq; scriptis eruditi judicium desiderant. Græci, qui Hyeron. teste eam non recepere, pauci fuere & obscuri, contra quos communis constans & recepta Ecclesiæ traditio merito prævalere debet. Sed non sunt ista ut disceptentur hujus loci. Oportet ut libri istius autoritatem hic præsupponamus, quæ alibi prolixius asseritur contra adversantes.

III.

Secundus Ordo illorum est, qui hos septem Spiritus interpretantur septem Angelos sive Episcopos septem Ecclesiarum Asiaticarum, Ephesinæ, Smyrnensis, Pergamensis, Thyatyrensis, Sardensis, Philadelphiensis, Laodicensis, ad quas Johan. scribere jussus est, Apoc. 2 & 3. Hanc sententiam refert Dn. D. Hoë in cap. 1. Apocal. Verum suamet absurditate statim semetipsam conficit, adeoq;, quod sciam non reperit hodie suffragatores; Nam Angeli illi Ecclesiarum sunt, non *à quibus*, sed *quibus* à Deo & à septem Spiritibus gratiam & pacem exoptat Johannes; Et impium est vel fando cogitandove accipere, Θεολογικώτατον Johannem, ut Theophylactus appellat, sive ut Damascenus, *purissimum* illud *Theologiæ Organon* in augusto hujus Prophetiæ frontispicio contra omnem scripturam à creaturis mortalibus gratiam & pa-

cem petere, & ab iis in locum Spiritus Sancti suffectis, & medio inter eum qui est ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος, & Christum loco positis, sibi aliisve bona spiritualia polliceri, Impius sit profecto, qui cogitet, nedum ut effari aut asserere ausit. Præterea septem illi Spiritus manifestè distinguuntur à *septem Stellis*, Apoc. 3. 1. qui sunt *septem Angeli septem Ecclesiarum*, Apoc. 1. 20. Mittimus itaq; has non dicam blasphemias, sed nænias, indignas, in quibus diutius commoremur.

IV.

Tertia Classis illorum est, qui exponunt de *Spiritibus creatis*, sive *beatis Angelis*, etsi diversimode: Nam *Primò*, Gregorius, Beda, Aretas, Lyra, Hugo, Dionysius aliique pl. per *Septem* illos Spiritus intelligunt *Universitatem Angelorum qui ministri sunt nostræ salutis*, Ratione hujo esse dicunt, quod *multa hujusmodi in divinis autoritatibus reperiuntur, in quibus Septenarius numerus pro cujusq; rei Universitate poni solet*, ut est apud Aug. l. 11. de civ. Dei cap. 31. qui etiam videri potest l. 3. de Doctr. Christ. c. 35. qnæst. 42. in Deuteron. Expositt. Epist. ad Galat. circa princip. Enarrat. in Ps. 118. Sicut & Gregor. l. 1. Moral. c. 7. Gregor. Nazianz. Serm. 44. Nicetas in Gregorium: Exempla ejus è Scripturis infra citabimus. *Secundo*, Dionysio Carthusianus in Comment. super Apoc. specialiter & determinate illos *septem Angelicos Spiritus denotari* putat, *qui septem Ecclesiis Asiæ præfuerunt, Probat autem hanc suam opinionem ex eo duntaxat, quod quidam Angelorum uni privatæ personæ, quidam vero communitati sunt præsides, & omnes sunt in conspectu throni Dei, ipsi Deo omnipotenti assistunt tanquam obsequi parati, nomine vero throni intelligit autor iste tertium cœlum intellectuale, in quo residet Trinitas adoranda, ad quem secundum quandam expositionem raptus fuit Paulus: Quamobrem concludit Carthusianus, Thronum istum nihil aliud esse, quam ipsam residentis autoritatem & majestatem, qui in seipso esse & quiescere perhibetur*, prout his verbis Dionysij sententiam refert Antiochus Brondo Sardus Calaritanus Comment. in cap. 1. Apocal. q. 1. p. 200. *Tertio*, non pauci è modernis præsertim Dd. Pontificiis intelligi contendunt *Septem* aliquos *primarios Angelos*, quos Clemens Alexand. l. 6. Stromat

mat. appellitet τοὺς τὴν μεγίστην δύναμιν ἔχοντας πρωτογόνους Ἀγγέλων ἄρχοντας, h. e. *Primogenitos Angelorum Principes quorum maxima sit potentia.* Andreas Cæsarienſis in Comment. ad Cap. 1. Apoc. ita deſcribit, quod ſint *Septem Angeli quibus Eccleſiarum cura & gubernatio demandata eſt, qui tanquam diſparis poteſtatis cum ſupremo illo numine omnium Regina triade non connumerantur, ſed tanquam primarii illius ſervi & adminiſtri una cum ipſo interdum nominantur.* Cornelius à Lapide in Comment. Apoc. cap. 1. indigitat *Primarios Angelos qui aſſiſtunt Deo quaſi ſtipatores ac Primores regni ipſius, parati ad omne imperium Dei, vel per ſe vel per alios inferiores Angelos exequendum præſertim in curâ & adminiſtratione hominum* Pererius in Comment. Geneſ. 32. & in Apocal. c. 1. Diſput. 7. definit, quod ſint *Septem Principales Angeli, qui inter omnes Angelos ſunt primarij divinæ Providentiæ circa gubernationem Eccleſiæ atq; adeo etiam Mundi adminiſtri,* Becanus loc. cit. ait eſſe *Augelos Septem principes, quibus cura & gubernatio hujus Mundi demandata eſt, & quibus reliqui in hoc officio ſubjecti ſunt, quiq; peculiari modo dicuntur in Scripturis DEO aſſiſtere & miniſtrare.* Ita & Antonius Fernandius Jeſuita Eborenſis viſione ſecunda cap. 28. deſcribit, quod *ſint Septem Univerſales rerum mundanarum adminiſtratores, quibus quaſi cæteri ſubordinati ſint ut ab eis illuminentur, quo ad ea quæ in inferioribus curanda ſunt:* Item viſione 31. Sect. 1. quod ſint *Septem illi Spiritus, qui in conſpectu throni Dei ſunt, ut generali orbis adminiſtrationi incumbant :* Gabriel Vaſquez Tom. 11. in p. 1. Thom. diſp. 180. cap. 1. dicit eſſe *Septem Angelos, qui veluti principes univerſæ terræ præfecti ſunt, & dicuntur aſtare in conſpectu Dei, non quia alii non aſtent, ſed quia, cum ipſis ſit cura univerſi orbis demandata, nihilominus ſemper aſſiſtunt, & faciem ejus intuentur;* Sic Diſp. 244. c. 1. n. 4. definit eos, quod ſint *ſeptem Spiritus præcipui ex iis qui Deo aſſiſtunt à quibus (Johannes) pacem deprecatur fidelibus, ad quos ſcribit, quam à Septem Spiritibus non deprecari potius quam ab aliis debuiſſet, cum eam à Deo & Chriſto deprecatus fuiſſet, niſi ſeptem illi Spiritus præcipui eſſent.* Nicolaus Serarius Comment. in Tob. c. 12. q. 7. & 8. ὠφελίζει h. m. quod ſint *ſeptem Angeli qui præ aliis ſingularem quandam præſtantiam obtineant, quorum opus*

præcipuum sit ad septem virtutes Cardinales homines adducere, cohortari & juvare, ideoq; & contrariis omnibus adversari ac obsistere, idq; hoc modo, ut singuli quidem ad omnia quæ Deo grata norunt invitent opemq; ferant, singulorum tamen una veluti princeps cura & opera in earum virtutum unâ excitandâ, custodiendâ & amplificandâ consumatur: Eadem ferme ex Serario repetit Sallianus Tom. IV. Annal. ad Annum M. 3335. n. 66. Ita Dd. isti de Septem Angelis primariis; ἐμβατεύοντες forte, & sapientes in iis quæ nõ viderunt: Ut tamen probent sententiã, afferunt *primo* dicta scripturæ quæ mentionem faciunt determinate *septem Spirituũ*, Apoc. 1. 4. c. 3. 1. *septem Spirituum missorum in omnem terram*, Apocal. 5. 6. *septem Angelorum*, Apoc. 8. 2. cap. 15. 6. *septem Oculorum*, Zachar. 3. 9. cap. 4. 10. Apoc. 5. 6. *septem Cornuum*. Apoc. 5. 6. *septem Principum qui astant ante Dominum*, Tob. 12. 15. *Ubi illo septenarij numeri* (pro universitate positi) *in geniose excogitata ratio vix potest rei propositæ accommodari, quia alias necesse sit, quæ de septem Angelis, septem Tubis, septem Plagis, septem Candelabris in Apocalypsi leguntur in alienos & peregrinos sensus traduci*, ut Bened. Justinianus ait, in Comment. Epist. ad Hebreos Cap. 1. *Hæc* item *regula servanda est*, inquit Becanus, *quando unus idemq; numerus non uno tantum aut altero loco sed sæpius ac constanter eisdem rebus tribuitur, signum est definitè ac determinate sumi, At vero septenarius sæpissimè tribuitur Angelis, Ergo definite & determinate sumitur, Et sane nisi res se ita haberet, vocari quoq; posset in controversiam, an definite essent septem dona Spiritus Sancti, An in Tabernaculo V. T. fuissent septem Lucernæ, an Job habuisset septem filios: Aut si hæc certa sunt illud quoq; sit certum numero septenario definitos esse Angelos qui peculiari modo dicuntur in scripturis Deo assistere & ministrare. Deinde* urgent *autoritates* Clementis, Irenei, Cypriani, Aretæ, & aliorum è recentioribus quos citat Cornelius à Lapide, qui asserunt dari septem Angelos notabiles qui assistant throno Dei. Item *Apparitiones*, quod Christus *stipatus hisce septem Angelis clarissimis subinde corporaliter apparuit Sanctis, uti S. Sebastiano dum eum animavit ad instans martyrium &c.* Item *Dæmonum ordines* qui ex *adverso septem Dæmonas habent, quos septem capitalibus vitiis præfectos esse doceat Ambrosius*, ut est apud Cornel. à

Lapide,

Lapide, ita ut *dux Luxuriæ sit Asmodeus*, *Dux superbiæ Leviathan*, *avaritiæ Mammon*, *iræ Berith*, *Gulæ Beelphegor*, *invidiæ Beelzebub*, *acediæ Astaroth*, prout ab aliquibus ordines istos dispesci tradit Becanus l.d. Addunt etiam *Persarum consuetudinem*, ubi *Reges habebant septem Principes* Esth 1.14. *qui in hoc imitati sunt Deum*, *Deiq; providentiam*, eo quod Arist. & Apuleio testibus, *majestas & gubernatio Regum Persarum sit imago divinæ majestatis & providentiæ &c.* quæ itidem verba sunt Jesuitæ Cornelij. Inculcant insuper *Ecclesiæ praxin*, quæ septem istorum Archangelorum celebrem memoriam instituit in *Sicilia*, *Neapoli*, *Venetiis*, *aliisq; Italiæ urbibus*, de quibus satis prolixe idem hic Lapideus Cornelius. Qui plura volet de *Nominibus*, *Officiis & Ordine* istorum septem Angelorum, videat dictos Autores, cumprimis Serarium, Cornelium, Becanum, qui hic operosissime ἀεροβατοῦσι. Nobis volupe non est, ut eorum vestigia premamus. Sufficit hæc obiter recitasse, de quibus infra subjiciemus, quid sentiamus.

V.

Quia autem hæ sententiæ in eo concorditer sentiunt, esse *Spiritus creatos*, quos hîc Johannes appellat *septem Spiritus*, *qui sunt in conspectu throni Dei*, uno pariter ictu omnes conficiemus, modo obtinuerimus creatos nequaquam esse posse: Antequam vero id fiat, oportet, ut primum monitor astet Jesuitis, & Dn. Patribus aurem vellicet Johannes Alba ipse Pontificius, & Hispanus Carthusiensis, qui in Centuria Animadvers. ex utroq; Testam. c.99. per septem Spiritus dicit intelligi quidem Angelorum myriades, sed quæ dicuntur omnia in tribus istis clausulis per conjunctionem ET conjunctis ad solum Christum referri debere, cujus describatur 1. æternitas, 2. majestas & imperium, 3. mediatio: h.m. *Johannes septem Ecclesiis quæ sunt in Asia*, *Gratia sit vobis & Pax ab eo qui est*, *qui Erat*, *& qui Venturus est*, *id est ab æterno Dei filio*, *qui semper fuit & est*, *& qui venturus est in judicium*, *ad judicandum vivos & mortuos*, *Et à septem Spiritibus*, id est, *ab eo in cujus throni conspectu sunt septem Spirit.* quam trajectionem Hebræam ipse scripturæ exemplis docet esse frequentissimam, in quibus sæpe quod de una personâ dicitur de aliâ intelligitur, ut Esa. 55. *Gentem*

tem quam nesciebas vocabis, pro eo quod est, adduces ad cultum nominis tui gentes, quæ nesciebãt te, ut exponitur, *Et gentes quæ non cognoverunt*. Et 1. Cor. 10. *In quos fines seculorum devenerunt*, pro eo quod est *qui in fines seculorum inciderunt*. Eodem modo inversionem partium periodi putat fieri in verbis Apostoli; *Et à septem Spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt*, pro eo quod est; *Et ab eo in cujus throni conspectu sunt septem Spiritus:* Et est illa Hypallage in scripturis frequens. Vide Judic. 1. 8. 2. Reg. 9. 30. Psal. 80. 6. Prov. 7, 22. Amos. 5. 16. &c. Quod vero versu seqq 5. demum dicitur, *ET à Jesu Christo &c.* Illud ita exponendum erit, ut τὸ ET sit positum pro *ID est*, & prioris ἐξηγητικὸν, atque indicet, quis sit h. l. qui dicitur ὁ ὢν, & in cujus throni conspectu sunt septem Spiritus, nempe Jesus Christus fidus ille testis &c. Et hæc interpretatio, quia Pontificij Doctoris est, merito reliquis opponitur, utpote quorum conatus in hoc argumento penitus convellit: si enim omnino certum esset, septem istos Spiritus non posse esse nisi *creatos*, hanc Hypallagen sive vicissitudinem necessariam arbitraremur, ut ita votum Johannis constaret esse consonum *analogiæ* fidei, & universis scripturis, quæ Angelos invocari, aut pacem ab iis expectari serio prohibent. Verum durior mihi videtur quam ut in simplici isto voto locum habere possit, uti textum non uno oculo contuenti patebit.

VI.

Assertio itaq; nostra est, Per *septem istos Spiritus Angelos creatos*, sive indefinite & universaliter sive definite sumtos *intelligi non posse:* Ejus ratio est I. *Ab invocationis* religiosæ *natura*, quam hisce Spiritibus defert Johannes: Quicquid autem religiose invocatur non potest esse creatura, prout fuse diximus disput. IV. ubi vide sis. Faustus Socinus quidem libr. 1 Epist. Epistola 3. ad Johannem Volckelium pag. 482. dicit *non constare septem illos Spiritus preces nostras audire si modo aliquid sint diversum ab ipso Christo &c. & inde fieri, ut precatio Christi respectu invocatio merito dici possit, respectu vero septem*

tem illorum Spiritum, non item, sed tantummodo liceat inde colligere, septem illos Spiritus in gratiâ & pace quæ nobis divinitus datur conferenda aliquod præstare. Quod si solidum esset, non minus & inde Pontificium argumentum evaneſceret, quia hac ratione non esset invocatio à Johanne ad septem Spiritus directa, sed optio saltem & expectatio de Angelico subsidio. Non tamen illud probo: Quia sicut in verbis immediate præcedentibus; *Gratia sit vobis & pax ab Eo, qui est,* & immediate sequentibus; *ET à Jesu Christo,* gratiam & pacem non expectat solum, sed & religiosa cordis devotione vovet & petit à Deo & Christo, Ita & necesse est his verbis medio loco positis, *Et à septem Spiritibus*, per idem illud, *Gratia sit vobis & pax*, cum præced. *ab eo qui est*, & sequent. *à JEsu Christo* æqualiter connexis votum religiose invocantis contineri, ut non expectet solum aut optet sed religiosâ cordis supplicatione postulet voveatq; gratiam à septem Spiritibus, prout è dicendis manifestius erit.

VII.

II. *Ab invocationis materiâ*, quæ hic *Gratia*, & *Pax* est, h.e. omnium beneficiorum, quæ ad hominis beatitatem requiruntur, refertissimus thesaurus: At vero gratiam & pacem largiri est incommunicabilis actio solius Dei, à quo *omne bonum donum*, Iac. I. 17. *à quo per quem & in quo omnia*, Rom. 11. 36. neq; creatura ulla, quæ & ipsa gratiæ & pacis indiga est, hæc talia & tam ampla in scripturis impertiri dicitur, ad eoq; nefas à creatura precari, postulare, expectare, quæ largiri non potest: Inde factum, & in omnibus Prophetarum & Apostolorum votis, precibus, δοξολογίαις & εὐλογίαις receptum, ut *Gratia & Pax* non ab ulla creatura ullo modo, sed à solo creatore sit exoptata, *Legito si placet*, inquit Antiochus Brondus Monachus Pontificius in Comment. ad c. I. Apocal. Romæ ex cuso, p. 200. *omnes salutationes Epistolarum Pauli ad Romanos, Corinthios, Galatas, Ephesios, Philippenses, Colossenses, Thessalonicenses, Timotheum, Titum, Philemonem, Hebreos, omnes etiam salutationes Epistolarum Petri, Jacobi, Johannis & Judæ, & certe in nullâ earum Angelos interpositos inter DEum patrem vel filium, vel*

Sp. Sanctum, & Jesum Christum reperies. Ergo nec minus tale erit asserendum in hac Salutatione Apocalypsis Johannis Apostoli, Prophetarum Prophetæ; Cum ipse in hoc opere & Prophetarum & Apostolorum maximè in omnibus & per omnia sequatur stylum. Commode hîc sociis suis in aurem susurrat Lndovicus ab Alcasar Iesuita Hispanus Vestig. Apocal. p. 153 *Bonam Theologiam non ferre, ut gratia & pax Evangelica ab Angelis postuletur;* Iesuitæ ergo illi non erunt boni Theologi, neq; bonam Theologiam inculcabunt, qui tam sollicite inculcant, gratiam & pacem Evangelicam h. l. ab Angelis postulari: Et hoc movit Ludovicum istum, ut à communi reliquorum Iesuitarum asserto secessum fecerit, novoq; invento h. l. (sicut & pleraq; Apocalyptica alia) exposuerit, de quo infra.

IIX.

Nec obstat, quod excipiunt, diverso modo peti *gratiam pacemq; à Deo & ab Angelis, à Deo tanquam ab autore omnium bonorum* Iac. 1. 17. *à Christo tanquam ab eo qui per suam mortem meruit nobis omne bonum Spirituale* Eph. 1. 3. *ab Angelis tanquam ab iis qui in ejusmodi negocio curam habent,* Hebr. 1. 14. quæ Becani verba sunt, sive ut ait Dionysius Carthusianus, & ex eo Ribera, *Gratiam & pacem esse à DEO effectivè & principaliter, ab Angelis impetrativè & instrumentaliter, quod orent pro nobis, & nostra obsequia offerrant Deo:* vel, ut Pererius, Gratiam & pacem *ab Angelo peti posse non tanquam ab autore & largitore ejus, sed tanquam gratissimo apud Deum de precatore, & procuratore, & administro.* Quam exceptionem suppeditasse videtur Aretas in Comment. ad cap. 1. Apoc. ubi dicit, *septem Spiritus tanquam disparis potestatis cum supremo illo numine omniumq; reginâ triade non connumerari, sed tanquam primarios illius servos tantum nominari sicut in illo 1. Timoth. 5. 21. Obtestor coram Deo & Domino Jesu Christo & electis Angelis.* Hæc, inquam, non obstant: Nam (1.) ἄκλαφον est & ἀνεγκλαφον, quod supponunt, Angelos posse *invocari* religiose, ut *deprecatores* & administros; Ejusmodi invocatio religiosa scripturis ignota est, citra Dei mandatum & promissum est, adeoque non fit ex verâ fide, & in ipsum Deum injuria est, qui solus juxta SS.

ta SS. invocationis religiosæ objectum est prout hæc omnia fusius dicta sunt Disp. IV. Ad *testimonium* Dei simul & Angelorum hominumq; provocare non est uspiam in Scripturis vetitum, sed licet potius exemplo Pauli, 1. Tim. 5. 21. & Christi, qui nomina fidelium *profitebitur coram Deo suo & Angelis ejus*, Apocal. 3. 5. sed Angelos ut gratissimos apud Deum deprecatores religiose invocare est religiosissimè prohibitum, Coloss. 2. 16. Apocal. 19. 10. cap. 22. 9. &c. (2.) Non solum Angeli sed etiam Sancti cælites sunt ex Pontificiâ hypothesi gratissimi apud Deum deprecatores procuratores & administri, qui impetrativè & instrumentaliter gratiam pacemq; largiuntur, & tamen nuspiam in universo Codice Biblico reperiuntur Sancti in his terris militantes ab iis ullo modo gratiam pacemq; postulasse, multo vero minus in votis suis Deo adjunxisse; Quæ vero hæc ratio est quod ad Angelos deprecatores non vero ad Sanctos ejusmodi votum direxit Johannes aut alius quispiam Virorum θεοπνεύστων? Idq; vidit etiam Antiochus Brondus Monachus Siculus loco cit. quando ait; *Quemadmodum gratia est instrumentaliter & intercessorie ab Angelis, sic etiam est instrumentaliter & intercessoriè a reliquis Sanctis patriæ cœlestis, At in tali salutatione Johannes nullatenus connumeravit homines Sanctos licet sint intercessores ad gratiam, Ergo nec erit asserendum, illis connumerasse Angelos, &c. quoniam non tam necessarium est ad fidem homines intelligere Angelos intercessores esse ad gratiam quem intelligere Iesum Christum totamq; Triuitatem Creatorem & datorem esse gratiæ, quod proculdubio noster ArchiPropheta principaliter intendebat, in hac suâ solemni salutatione Ecclesiarum Asiæ patefacere.* (3.) Hoc loco septem Spiritus *æqualiter* cum eo qui est, & Iesu Christo connectuntur, adeoq; non ut *intercessores* aut deprecatores ad gratiam accipiendam; sed ut ipse *autor* gratiæ invocantur, quod insuper sequens ratio docebit.

IX.

III. *Ab invocationis forma* & modo, qui est religiosus, sive ut Pontificij appellare solent, *Latria*, qua Iohannes quantum est in

sese, vult septem Spiritibus conciliare opinionem divinitatis & in iis agnoscit Dei magnitudinem & excellentiam, eosque ut creaturarum conditorem & gratiæ pacisque largitorem veneratur. Id vel inde constat, quia precatur gratiam & pacem *ab eo qui est, qui erat & qui venturus est, & à septem Spiritibus & à Iesu Christo.* Ubi attendendum *primo*: Unicâ Copulativâ septem Spiritus æqualiter cum eo qui est, & Iesu Christo connecti; sicut igitur, quod itidem verbis Brondi expono, *gratia* petitur *per illa prima verba nempe ab eo qui est & qui erat, & qui venturus est, à Deo ut creatore, & per ultima verba, nempe Et à Iesu Christo qui est testis fidelis, gratia precatur à Deo ut redemtore, qui per mortem & passionem suam veram nobis attulit gratiam & pacem & sic utrobiq; est sermo de autore gratiæ, Ergo in his verbis mediantibus in eadem oratione, nempe, ET à septem Spiritibus, sermo etiam debet esse de vero autore gratiæ propter conjunctionem illam copulativam* ET, *& non de Angelis intercessoribus ad gratiam, alioquin paucis verbis & Stylum & sensum ejusdem orationis mutaret noster Archipropheta, quod nequit ullo modo concedi.* Alibi ex Athanasio diximus, quod *nunquam quispiam precaretur accipere à Deo & ab Angelis aut ab ullis creatis rebus, neq; quisquam hanc verborum formam acceperit, Det tibi Deus & Angelus sed contra à Patre & Filio propter unitatem uniformemq; rationem dandi,* serm. 4. contra Arr. p. 259. *si Servus est*, ait Isidorus lib. 1. Epist. 109. de Sp. S. *cum Domino minimè numeretur, si creatus est cum creatore minime conjungatur:* Idē de septem Spiritibus asserimus. Et viderint Iesuitæ maturè, quid Photinianis responsuri sint, qui minus solidum Deitatis Christi argumentum esse volunt, quod Christus cum vero Deo patre in Baptismo aut alibi jungatur & invocetur, eo quod cum creatore quandoq; res creatę in votis aut rebus sive actionibus aliis connectantur: Hic frigidam suffundunt hæreticis Iesuitæ, imo quantum est in ipsis, oblique hoc fundamentum convellunt, semel admisso eo, quod in religiosa invocatione una cum vero Deo creatura possit implorari. Attendendum & hoc *secundo*, septem Spiritus *medio* inter Eum qui Est, & Christum loco in hac salutatione votivâ interponi, atq; sic in eodem dignitatis & majestatis

statis gradu collocari: Ratio sane conveniens reddi non potest, quare ordine dignitatis absq; necessitate interverso septem Spiritus si sint creati, medio inter eum qui est & Christum loco interponantur, aut quare initio & fine sermo sit de autore gratiæ in medio non item, aut quare Johannes omisso gratiarū fonte Sp. S. & neglecto Domino servos Angelos sufficiat & interponat, cum tamen alias ubi de Deo & Angelis est sermo, Angeli non præponi, aut medio inter Deitatis personas loco poni, sed postponi soleant, 1. Timoth 5. 21. Apoc. 3. 5. (de dicto Christi Marc. 13. 32. est diversa ratio, quia ibi est oratio assurgens) &, quod Antiochus Brondus advertit, *honor primò debeatur capiti, quam membris, Christus autem caput sit non tantum hominum sed etiam Angelorum, adeoq; honor primo debeatur Christo Iesu quam Angelis, ut non sit concedendum, in tam solemni salutatione nostrum Archiprophetam primo meminisse Angelorum sanctorum, quam Iesu Christi eorum capitis:* Et quæso, quis alius medio inter eum qui est & Dei filium loco poni potest aut poni in SS. consuevit, nisi quis & ipse est verus Deus ejusdem dignitatis majestatis & gloriæ? Fastigium est eminentius & augustius, quam ut ad id creaturæ possunt sublimari.

X.

Regerunt quidem Pererius, Cornelius à Lapide, Ribera, & alij ex adversariis, ideo Angelos medio loco positos, *quia Iohannes plura de Christo dicere parabat, qui est testis, & quæ sequuntur, ideo ne repeteret Christum, maluit Angelorum mentionem facere ut postea sine ulla interruptione de eo loqueretur. Ita Hieronymus in cap. 1. Matth. dixit prius dictum esse ab Evangelista, filij David, quam filij Abraham, quoniam continuo locutus erat de Abraham, & iterum eum repetere cogeretur, si dixisset, filij Abraham filij David, Ordo, inquit Hieronymus, præposterus sed necessario commutatus,* quæ cumprimis notat Ribera ad h. l. Verū valet forte ordo iste arbitrari, & ut Maldonatus alicubi notat, *Hebræis solemne, ut id postponant, à quo volunt inchoare sequentia,* in rebus ejusdem ordinis, valoris, dignitatis, ubi sive preponas sive postponas rebus aut rerum valori nihil decedit: Sic personarum

rum Trinitatis ordo ad evitandam omnem *inæqualitatis* suspicionem quandoq; invertitur, 2.Cor.13.13.Gal.1.1.Hic vero juxta adversariorum hypothesin non sunt res ejusdem ordinis & valoris; Spiritus isti septem solum dicuntur esse gratiæ instrumenta, Christus vero autor; Quæ ergo ratio ut ordine isto dignitatis turbato Spiritus ministratorij medio inter eum qui est, & Christum loco ponantur, atq; sic primo Angelis post Christo honos deferatur? præsertim in tam solemni voto, ubi si uspiam alibi gratia prius â gratiarum fonte quam à gratiarum ministris esset vovenda & impetranda? Quod vero David, ut obiter id moneam, in Christi genealogia Matth. 1. 1. Abrahæ præponitur, non hæc præcipue causa est, quam ex Hieronymo affert Ribera, sed hæc, quod Christus prius & proximius est filius Davidis quam Abrahæ & non nisi *per Davidem* est filius Abrahæ, a deoq; primum Davidis quam Abrahæ filius dici meruit.

X I.

In Specie, quod attinet illam *opinionem de Septem Spiritibus sive Angelis primariis* quibus demandata sit cura universi, & qui inter omnes alios sint primarij divinæ providentiæ circa gubernationem Ecclesiæ & totius Mundi administri, quam hic fovent pleriq; Pontificiorum, videtur illa mihi solido Scripturæ Canonicæ fundamento carere, Quia non legitur, Deum *determinate* septem Angelis totius universi aut Ecclesiæ curam *magis* commendasse quam aliis, & illos *magis* ministrare quam alios, cum in determinate potius de omnibus dicat SS. quod *astent*, Dan. 7. 10. & *ministrent*, Hebr.1.14. Hic ultra scriptum sapere, & in iis εμβατευειν, *quæ non sunt visa*, Col. 2.18. est desipere, unde Iesuita Iustinianus etsi ipse probet, tamen dicit *non æque omnibus probari*, quod de septem ejusmodi Angelis asseritur, Comment.in cap.1. Epist.ad Hebr. Videtur ortum traxisse hoc, quicquid est, ex Rabbinorum & Hæreticorum traditionibus: Jonathan Paraphrastes Chaldeus mentionem facit *septem Angelorum, qui astent coram Deo*, ad quos dixerit Dominus, *descendentes confundamus linguam eorum*, Genes.11.7. Tradunt item Rabbini, *septem Angelos præpositos esse septem*

septem Planetis sicut è priscis Hebreis tradit Reuchlinus lib 3. Cabalæ; & uti *libri eorum & diurnæ observationes testantur, diem Solis Rephaeli, diem Lunæ Gabrieli, diem Martis Semaeli, diem Mercurij Michaeli, diem Iovis Tzidkieli, diem Veneris Hanaeli, diem Sabbati Kepharjeli tribuunt, eosq; dominos statuunt totius administrationis in diem illum necessariæ*, prout referunt notæ Tremellianæ ad Cap. XII. Tobiæ. Cornel. Agrippa l. 3. de Occ. Phil. cap. 24. ait hanc esse *antiquam Rabbinorum opinionem*, quod septem Angeli septem Planetis præsideant, & *hi*, inquit, *sunt Spiritus illi septem qui semper astant ante faciem Dei, quibus credita est dispositio regni cœlestis & terreni, quod sub orbe Lunæ est, Hi enim, ut dicunt Secretiores Theologi omnia regunt vicissitudine quadam horarum dierum & annorum, quemadmodum de Planetis, quibus præsunt tradunt Astrologi &c.* Nomina vero *Angelorum præsidentium planetis atq; signis* dicit *ab antiquis Hebreorum patribus* sese hæc accepisse, quod præfit *Saturno Raphael, Iovi Sadkiel, Marti Samael, Iovi Raphael, Veneri Hanael, Mercurio Micael, Lunæ Gabriel.* Iohannes Trithemius peculiari libro, quem de septem intelligentiis conscripsit, *veterum* inquit, *sententia est plurimorum mundum hunc inferiorem ordinatione primi intellectus qui Deus est per secundas intelligentias gubernari, quorum opinioni Conciliator assentiens Medicorum dicit septem planetis Spiritus septem à principio cœli & terræ præfectos, quorum unusquisq; mundum annis gubernat trecentis quinquaginta quatuor, mensibus ex ordine quaternis. Hujus positioni complures viri Doctissimi hactenus præbuere consensum.* Hæc Trithemius, qui nomina simul harum intelligentiarum dicit esse, *Orifiel, Anael, Zachariel, Raphael, Samael, Gabriel, Michael.* Saturnilus, sive ut alij appellant, Saturnius hæreticus, patria Antiochenus, Simonis Magi & Menandri discipulus in Syria docuit circa annum 120. quod Mundus *à septem Angelis* sit creatus, & homo sit Angelorum istorum factura; Cum Saturnilo Basilides Alexandrinus eodem tempore mundum distributum esse censuit in septem partes, & gubernari à septem Angelis, ubi sua cuique sorte veluti missa pars conveniat. Archontici, qui nomen inde sumsere, septem cælos septemque virtutes sive principes cælorum confinxere, quorum summus

summus vocetur Sabaoth, vide de Saturnio Iren. l. 1. c. 12. de reliquis etiam Epiphan. Hær. 24. & 34. Hanc ergo sententiam ex lacunis Rabbinicis & Hæreticis utpl. haustam, & scripturæ solidis fundamentis carentem pro certa agnoscere non possumus: Loca quæ è scripturis nobis objecta sunt, aut non agunt de septem Spiritibus creatis, sed de Sp. S. aut provida Dei cura, ut Apoc. 1. 4. c. 3. 1. c. 5. 4 6. Zach. 3 6. cap. 4. 10. aut non agunt de *ejusmodi* septem Spiritibus, ut Apocal. 8. 2. aut sunt Apocrypha, ut Tob. 12. 15. Reliqua quæ objiciuntur flocci facimus.

XII.

Restat *Quartus Ordo* illorum, qui arbitrantur intelligi Spiritum increatum, qui est Deus: Ubi tamen iterum aliqua diversitas opinionum est: *Primo*, Ludovicus ab Alcasar Jesuita Hispanus in prolixo Comment. super Apoc. novo invento exponit *de Septem virtutibus sive attributis providentiæ divinæ*, in quibus integra consistat providentiæ perfectio, *sapientia, fortitudine, beneficentia justicia, patientia, comminatione & severitate: quæ Septem ad exactum & perfectum regimen requirantur & sufficiant; Nam ad illud requiruntur etiam minæ & severitas, hæc enim dum unum terret, cohercet à malo vel unum vel alium: Hisce ergo septem dotibus homines regit & stabilit Deus; Porro hæ dotes sunt in Deo, sunt q. reipsa ipse Deus, unde ab iis pacem & gratiam precatur Johannes: Hæ ergo virtutes sunt immensæ, nec ullum habent finem aut limitem, ideoq. vocantur Spiritus, cùm Angelos Johannes in Apocal. passim Angelos vocet non Spiritus.* Verum non destituitur hæc assertio suis in commodis: Nam (1.) Non de *attributis* sed *personis* divinis hic sermo est: Is qui est, erat & venturus est, h. l. persona est, Is qui Jesus Christus dicitur itidem persona est. Et tamen septem Spiritus qui medio loco sunt interpositi, persona non sint? (2.) Non solet fieri in Scripturis, ut attributa sive *virtutes* Dei, ut nominat Alcasar, directè & distinctè invocentur, sed potius personæ: Legitur quidem passim *nomen Dei* invocari, sed illud usitatissimè significat ipsum Deum, Ps. 48. 11. 2. Paral. 14. 11. &c. neq; nomen Dei in Scripturis uspiam distinctim

distincte ab alia persona in divinis invocatur; quod hic septem Spiritibus accidit; Dicuntur item pii in Scripturis quandoque sperare *in misericordia Dei*, Ps. 57. 2. Ps. 36. 8. Ps. 13. 6. Ps. 52. 10. At nuspiam leguntur pii distincte misericordiam aut reliqua attributa divina invocare, qui misericordia v.g. non est distincta persona, quam invocatio pro objecto habet. Cum ergo hoc loco septem illi Sp. distincte ab aliis personis Deitatis à Johanne invocentur, colligimus inde personam significare, non virtutes sive attributa providentiæ. Insuper (3.) & hoc bona Theologia non videtur ferre, ut gratia & pax Evangelica à *severitate & comminatione* petatur, quas Alcasar inter septem virtutes recenset. Hanc ergo opinationem relinquimus.

XIII.

Non tamen adeo incommoda videtur alterio cujusdam Cõmentatoris Exegesis qui prælect. suis in Apocal. de providentia Dei exponit, h. m. quod his verbis, Et à Septẽ Spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt, *nihil aliud contineatur quam amplificatio & hypotÿposis divinæ majestatis Christi, & nihil aliud significetur, quam, Pax sit vobis ab eo, qui in throno Dei sedet, coram quo sunt septem Spiritus, quos ille in manu sua habet, &c: Illi Spiritus c. 3. septem, stellis, c. 5. septem cornibus & septem oculis assimilantur, Quare verisimile est*, inquit, *hæc petita esse ex Zacharia c. 3. 4 5. ubi similes typi occurrunt, & diserte de Christo germine Davidis & petra super quam est Ecclesia fundata, dicuntur septem oculi, quibus septem oculis, ut & septem stellis & septem cornibus & septem Sp. missis in omnem terram divina providentia omnia regens, roburq; divinum sese diffundens per totum mundum & per numerum septenarium perfectio donorum Dei recte intelliguntur.* Hæc expositio non videretur in concinna nisi hypallage, quam adhibet videretur esse duriuscula, & à textus simplicitate atq; evidentia alienior, uti dixi th. 5, in simili.

XIV.

Secundò: Quidam alii Dd. Septem Spiritus interpretantur de *Omnipotentia Dei*, quam ἐξήγησιν valde commendat D. Wolfgangus Frantzius b. m. in vindiciis Disput. Theolog.

contra Schmaltzium disp. de Trinit. Sect. 9. th. 171. ubi *non verisimile sed salvâ pace aliorum interpretum satis videri* dicit, *quod Apoc. 1. 4. Septem Spiritus sunt ipsa omnipotentia Dei: Neq; inusitatum esse* ait *ut per Spiritus vocem potentia indicetur, ut Job. 33. 4 Spiritus Dei fecit me, Es 11. 15. In fortitudine Spiritus h. e. in fortissimo Spiritu; Mich. 2. 7. Nunquid abbreviatus est Spiritus Jehovæ, & 3. 8. Ego repertus sum robore Spiritus Jehovæ, Zach. 4. 6. Non virtute ulla, nec potentiâ hoc fiet, sed Spiritu meo dixit Jehovah exercituum*, tò *Septem sæpe pro maximo usurpari patet Prov. 26. Septem abominationes sunt in corde ejus.* Affine huic opinioni est quod Socinus in l. Epist. Epistola 3. ad Johannem Volckelium p. 483. statuit, *à verisimilitudine nihil abesse, istos Septem Spiritus nihil aliud esse, quâ multiplicem Christi virtutem ac potestatem, quâ ab ipso Deo donatus fuit. Ita ut quod postea Johannes differte ab ipso Christo gratiam & pacem precatur, aliud sit nihil quam expositio ac plenior repetitio ejus, quod proximè ante dictum fuerat.* Verum, iisdem hæc sententia incommodis urgetur quibus & illa Alcasaris, neque ulla videtur ratio probabilis, quæ eam sulciat, adeoq; ad dicta th. 12. nihil addimus.

XV.

Tertio, Omnium optime ii faciunt, qui *de Spiritu Sancto* tertia Trinitatis persona exponunt, quæ sententia est Justini, Victorini, Primasij, Ambrosii, Bedæ, Haymonis, Ruperti, Ansberti, & *communis fere Interpretum*, ut Pererius fatetur disp. 7. in Apocalypsin, adeo ut ipse *istam interpretationem à tot & tantis viris probatam & traditam non prorsus improbare ausit;* Cujus etiam sententiæ patrocinium, contra alios Pontificios Antiochus Brondus, Monachus Siculus suscepit, & adversantem sententiam prolixe refutavit in Comment. super Apoc. Romæ edito p. 194. seqq. Probatur autem ex remotione aliarum opinionum & consideratione eorum quæ hic dicuntur. Nam quod creati Spiritq; intelligi nõ possint, evictum est; Quod Virtutes providentiæ aut omnipotentia Dei esse non possint, itidẽ est dictũ; Quod Pater & Filius intelligi õ possint, indicat periphrasis tituli, *Septem Spiritus qui in conspectu throni ejus sunt*; tum etiã distinctio eorum à filio, qui

habet

habet Septem istos Spiritus, Apoc. 3. 1. Quod dona Sp. S. propriè esse non possint, inde patet, quia non à donis Sp. S. sed ipsa potius dona gratiam & pacem nobis à Septem Spiritibus Johannes precatur. Ipse ergo Spiritus S. hic intelligitur, qui ab officio & donis μετωνυμικῶς ita denominatur; Adeoque vana & frivola est absurditas, quam Pererius nostræ sententiæ impingit, quod *dicere, gratiam & pacem provenire à Septem Spiritibus, id est, à Septem donis Spiritus Sancti, & duram nimis habeat locutionem, atq; insuetam in sacris literis nec satis rectam & probabilem habeat sententiam, Quomodo enim gratia provenire potest à Septem donis Sp. Sancti, cum ipsa gratia sit eorum donorum q. fundamentum* &c: Hoc eos fetiat, qui ita sentiunt, nos id non tangit, qui non dona Sp. S. hic intelligi arbitramur, sed ipsam Sp. S. personam, à donis tamen metonymice denominatam.

XVI.

Quare autem, inquis, determinate Johannes appellat *septem Spiritus*? Hic non videtur Spiritus S. ita denominari posse à donis μετωνυμικῶς, quia non determinate septem, sed plura & infinita sunt Sancti Spiritus dona; Nec *septenarij numeri* pro universitate & multitudine rerum indefinite positi *ingeniose excogitata ratio, hic rei propositæ* videtur *accommodari posse, quia alias necesse esset, quæ de septem Angelis, septem tubis, septem plagis, septem candelabris in Apocalypsi leguntur, in alienos & peregrinos sensus traduci*, ut ante nobis objecit B. Justinianus. Hic pro solutione præmitto, quod *Septenarius numerus operibus divinis convenientissimus* semper visus fuerit, quæ divina providentia hoc utpl. numero perfecit & terminavit, prout ex sacris observatu facile est. *Septimo die quievit Deus ab universo opere quod patrarat, & benedixit diei septimo & sanctificavit illum, quia in ipso cessaverat ab omni opere suo*, Genes. 2. 2. 3. Et ita diem hunc exemit ab omni labore & opere civili, ita ut cæteri dies essent laborum & operum, hic vacationis & quietis; Inde septima quæq; dies, septima hebdomas, septimus mensis, septimus annus, & septies repetitus, qui Iubileus erat, sacratissimi Israelitis habebantur: Deut. 16. 9. Levit. 23. 15. 23. cap. 25. 2. seqq.

Septem dies erant azymorum, Exod, 12.15.19. cap.13.6.7.cap.23 15. cap.34 18. Deut.16 3. & die *septimo* erat convocatio sancta, Levit. 23.15. & solemnitas Domini, Exod.13. 6. *Septimo* quoq; anno recitabatur publice liber legis, Deut.31. 10. *Septem* diebus impletæ manus sacerdotum, Exod.29.35. & expiatum altare, Exod. 29.37. & finita consecratio, Lev.8 33. *septem Vicibus* facta aspersio, Lev. 4. 6. 17. cap.14.16.51. cap.16 19. *Septenarius* item observatus in sacrificiis, Levit.23.18. Numer.29.2.4.8.10 22. 2. Chron, 15. 11. cap. 29. 41. Job.42.8. in mundatione levitica virorum & fæminarum, Levit. 12.2. cap.15.13,24.28. Numer.19.11.14.16.cap.31.19. Ezech. 42. 26. in cognitione leprosorum, Levit. 13. 4. 5. 26. 30. 50. 54. cap. 14. 8.38. *Septenario* item pœnæ, afflictiones, servitutes, divinâ sapientiâ sæpe terminatæ sunt: post *septem dies* immissum diluvium, Genes.7. 4.10. *septem* & *septem* dies expectavit Noah, Genes.8. 10. 12. *septem* boves & Spicæ macilentæ portendebant septem annos sterilitatis, Genes. 41. 2. seqq. *septem* diebus percussit Dominus fluvium, Exod. 7. 25. *septem* diebus Miriam fuit excluſa à castris, Numer.12.14.15. *septimo* die Jericho collapsa, Jos. 6. 4. 6.8.13. *septem* anni erant servitutis, aut septies septem, Exod.21.2.6.Deut.15. 6.12. *septem* tempora afflictionis Nebucadnezar, Dan 4.13. *septuaginta* hebdomades expectationis, Dan. 9. 23. 25. *septuaginta* anni desolationis Tyri, Es.23. 15. *septuaginta* anni Captivitatis Babylonicæ, Jer.25.11. cap.29.10.Zachar.1.12.Sunt & in Apocalypsi meri ferme septenarij; *Septem Sp.* Apocal.1.4 cap.3.5.cap.4 5.cap.5.6. *septem aurea candelabra*, Apocal.1.12. *septem stellæ* v.19. *septem Ecclesiæ* v.20. *septem Lampades*, Apoc.4.5. *septem cornua & septem oculi*, Apoc. 5.6. *septem sigilla*, Apoc.5.1. *septem Angeli & septem tubæ*, Apoc 8.2.6. *septem tonitrua*, Apoc.10.3 4. *septem capita*, Apoc.12.1 cap.13 1.cap.17 7.9. *septem diademata*, Apoc.12.3 cap.13 1. *septem plagæ*, Apoc. 15.1. *septem phialæ aureæ*, Apoc.15.7. *septem montes*, Apoc 17.9. *septem Reges* v. eod. *septem millia hominum*, Apoc.11.15. Hoc enim numero tanquam convenientissimo & usitatissimo Visiones & fata Ecclesiæ terminare voluit Deus; sicut v. g. Sex dies fuere operis & laboris in creatione, septimus vero fuit quietis & sabbati, sex

anni

anni fuere laborum, septimus quique sabbathicus & terminus laborum &c. Ita fata Apocalyptica intra septenarium divina voluntate sunt comprehensa, ita ut senarius malum *plerumq;* & labores portendat, septimus vero quietem denunciet & lætam catastrophen; Aperto *septimo* Sigillo prohibitum est quatuor Angelis ne noceant &c: Apoc 7. 1. seq. cap. 8. 2. Buccinante *septimo* Angelo Agnus apparet in monte Zion Ecclesiæ protector & reformator, Apoc. 14. 1, cap. 11. 15. effusa *septima* phiala sequitur malorũ consummatio & læta catastrophe Apoc. 16. 17. Et creditur vulgo septenarium totius mundi finem & terminum, beatæ vero æternitatis initium fore; *Septimus ab Adamo Henoch prophetavit* de adventu ultimo judicis, Judæ Ep. v. 14. quod de reali non verbali vaticinio exponit Chunmannus Flinspachius, quod sc. sicut mors in sex priores Patriarchas Adamum, Seth, Enos, Kenan, Mahaleel & Jared prævaluerit, in *septimum* vero Enochum vim suam exerere non potuerit, quod vivus sit sublatus in Paradisum; Ita per sex annorum millia quibus mundus duraturus sit, mors quoque in omnes homines sit imperium efficax habitura, *septimo* vero millenario, æternitatis auspicio, penitus abolenda: Huc item referuntur alia pl. utpote, quod sex annis agri exculti sunt, *septimo* autem quieverè, Exod. 23. 10. Levit. 25 3. quod sex erant anni servitutis, *septimus* libertatis, Exod. 21. 2. Deut. 15. 12. quod *septimo* quoq; die sabbathum erat, Exod. 20. 20. quod annus *septies septimus* erat Jubilæus, Levit. 25. 8 qnod *septimo* die urbs Iericho concidit, Ios. 6. 20. Item quod 4. Esdr. 7. 31. notanter dicitur, *Erit post dies septem & excitabitur quod nondum vigilat seculum;* Quæ tanquam æternitatis typũ gerentia afferri solent: Rabanus ita in hanc rem, *septenario numero*, inquit, *perfectio æternitatis innuitur, cum dies septimus in requiem domini sanctificatus vocatur, cum jam vespera inesse non dicitur, quia æternæ beatitudinis requies nullo termino coarctatur; Hinc est etiam quod lege data dies septimus feriatus esse præcipitur, ut æterna per illum requies designetur, quia per septenarium numerum præsentis vitæ universitas designatur: &c.* Quia autem Deus in suis operibus

hoc septenario delectari visus est, (cujus rationem non aliam assigno, quam quod *ita Deo placuit*, cum Abulensi in cap. 6. Ios. c. 4.) inde fit, ut non raro in scripturis perfectionem, universitatem aut sufficientiam rei cui additus est, significet, *Hebrei* enim *solent multiplicare per septem*, ut ait R. Mose, h.e. septenarium pro universalitate aut multitudine rei ponere; Sic Genes. 4. 25. *septem pliciter vindicabitur Cain & Lemech septuagesies septies*; h. e. multum & graviter vindicabitur Cain, Lemech vero gravissime, & cumulatissime, Illa enim geminatio numeri septenarij est exaggeratio gravitatis pœnæ & vindictæ h. l. Sicut alibi exaggeratio est facilitatis & promptitudinis ad remittendum proximo, in Christi responso, ubi eadem phrasis est, Matth. 18. 22. *Non dico tibi usque septies sed usq; septuagesies septies. Sic* Genes. 33. 3. Iacob coram fratre *sese incurvavit in terram septies*, h. e. multis vicibus, ita ut incurvationes suas continuarit, donec accederet ad eum frater, Quamvis potuerit etiam, uti quidam arbitrantur, hic mos in oriente obtinere, ut accessuri ad principem, hoc numero *septies* eum salutarent, Levit. 26. 18. 21. 24. *Corripiam vos septies* h.e. multipliciter, perfecta & gravi vindicta, *propter peccata vestra*, v. 28. *corripiam vos septem* h.e. infinitis & gravissimis *plagis*. Deut. 28. 7. 25. *Per septem* hoc est, varias *vias fugient*, Ruth. 4. 15. *Melior tibi est quam septem*, h. e. innumeri *filij*; 1. Sam. 2. 5. *Sterilis peperit septem*, h. e. ut vulgata vertit, *plurimos*, contra Ierem. 15. 9. *Fœcunda matrona, quæ peperit septem solitaria fuit*, h.e. *populus multus redactus est ad exiguum numerum* ut ibi exponit Vatablus, Iob. 5. 19. *In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum*, h.e. sæpe, semper, quoties tribulationibus angeris, & in illas incidis, te eripiet Deus. Psal. 12. 7. *Eloquia Domini, eloquia munda, argentum excoctum in fornace ferrea defæcatum septempliciter*, h.e. exacte, perfecte, sæpius, quantum satis est, ut à scoriis purgetur. Psal. 79. 12. *Redde vicinis nostris septuplum in sinum eorum*, h. e. cumulatissimam vindictam, Ps. 119. 164. *septies in die Laudem dixi tibi*, h. e. sæpius, inculcat enim assiduitatem & sæpe iteratam geminationem *Δοξολογίας* Deo debitæ. Bel-

tæ: Bellarminus fatetur numero septenario hic innui frequentissimam laudem, & tamen inde vult deducere horas Canonicas, & ait, *Ecclesiam ex h.l. instituisse usum horarum Canonicarum*, sicut & Genebrardus *potuit respicere*, inquit, *ad horas orationis septem in Ecclesiâ instituendas.* Nil mirum hæc scribi studio partium. Sic Prov. 6. 31. *Deprehensus fur reddet septuplum*, ut Vulgat. legit, potest reddi, *septies*, ut significetur furem sæpius deprehensum debere reddere septies h.e. sæpius, quantum satis est, etiamsi *omnem substantiam domus debeat tradere*, uti additur eod. versu. Prov. 9. 1. Sapientia dicitur *ædificasse domum, & excidisse columnas septem*, h. e. tot, quot sufficere possunt, Prov. 24. 16. *Septies in die cadit justus*, h. e. sæpius incidit in calamitates, quia *multa sunt mala justi*, Ps. 34. 20. Sic Prov. 26. 25. *Septem* h.e. plurimæ *abominationes sunt in corde ejus.* Eccl. 11. 4. *Da partem septem & octo*, subintellige *pauperibus*, id est, quamplurimis, cuique pauperum suam portionem, Hebrei explicant, *Da incessanter & indesinenter*, ut notat ad h.l. Drusius. Esa. 4. 1. *Apprehendent septem* h. e. plurimæ *mulieres virum unum*, Propheta enim *particulam septem ponit pro numero incerto*, ut in h.l. ait Hector Pintus. Es. 30 26. *lux solis erit septempliciter*, h. e. multipliciter intensior & clarior, Mich. 5. 5. *Constituemus super eum septem Pastores & Octo Toparchas*, h. e. satis multos & sufficientes, quot ad regendam Ecclesiam opus erit. *Septenarius multos, octonarius Universitatem significat*, prout Vatablus notat. Sic Amos. 1. 3. 6. 9. 10. 13. c. 2. 1. 4. 6. *tres & quatuor prævaricationes*, sunt septem h.e. innumeræ populi defectiones, quibus non amplius connivere potest Deus, solet *bis terve* Job. 33. 29. h. e. aliquoties pro sua longanimitate connivere, verum ubi peccatorum neque finis est neque numerus, & tribus prævaricationibus quatuor h.e. multis plures adduntur, ut tandem fiant septem h.e. adcompletum iniquitatum numerum perveniatur, tarditatē supplicii gravitate justus ille judex compensare solet. Matth. 12. 45. *Assumit septem* h.e. plures *alios Spiritus nequiores sese.* Luc. 17. 4. *Si septies* h.e. sæpius in die *peccaverit in te*, & *septies* h. e. sæpius

conver-

conversus fuerit ad te dimitte illi &c : Hæc & alia scripturæ dicta docent, septenarium sæpe multitudinis universitatis aut perfectionis symbolum esse; Quâ loquendi ratione etiam Apocalypsin uti censent eruditorum non pauci, ut *septem aurea candelabra*, Apoc. 1. 13. *septem Ecclesiæ*, Apoc. 2. &3: universas Christi Ecclesias designêt in quarum medio Christus ambulat, aut sane sint omniũ Ecclesiarum symbolon & typus: *Septem* quoque Angeli & *Stellæ in manu* Christi, Apoc. 1. 19 c. 3. 1 universos Christi ministros, *Septem lampades ardentes*, Apoc. 4. 5. varia Sp. S. dona, *septem cornua agni* Apoc. 5. 6. perfectam & infinitam Christi potentiam, *septem oculi*, Apoc. 5. 6. Zach. 3. 9. c. 4. 10. c. 5. 6 exactam ejus & oculatam providentiam & omniscientiam designent. Quia vero Deus ipse hunc numerum in suis operibus velut consecravit, inde ortum est, uti arbitror, quod *numerus septenarius in omni ætate apud omnes gentes venerabilis & sacer habitus fuit*, quia sc. *septenarius dies & numerus maxime naturalis & operibus divinis convenientissimus fuit*, ut Eugubinus notavit in Cosmop. *septenarius sacer numerus est, non vacat*, juxta Bernh. serm. 15. in Cant. *Mundus & sacer septenarius numerus est, nulli enim miscetur nec ab alio generatur, idemq; virgo dicitur quia nihil ex se generat, meritoq; tanquam materni exors immunisq; partus muliebris copulæ, etsi hebdomas fœmineo nuncupetur nomine virilis habet sanctificationis gratiam*, juxta Ambros. de Arca & Noe cap. 12. Est numerus perfectionis, quia *ex ternario numero primo impari toto constat, & ex quaternario primo pari toto*, juxta Augustinum, quæst. 42. in Deuter. & l. 11. de Civ. Dei cap. 31. Plura è patribus Basilio Homil. 11. in Hexaem. Eusebio l. 13. Præparat. Evangel. c. 7. Beda in Hexaem. August. l. 1. de Gen. contra Manich. Clement. Alex. l. 6. Strom. aliisque de hujus numeri mysteriis petat qui volet lector. Philop. l. 7. de mundi creatione c. 14. *Jure merito*, ait, *post sex dies operationum ad mundi generationis quietem deputatus fuit septimus, quia solus septenarius numerus neq; ex aliis per multiplicationem natus est, neque alium genuit, atq; ita cum sit secundum hoc solitarius solus etiam inter numeros*

numeros quietis symbolum esse debet. Et omnes homines consentiunt septem solos esse dies qui in seipsos revoluti totum tempus constituunt. Philo ἐν κοσμοποιΐᾳ μυστικώτατον omnium numerorum esse ostendit, in Alleg. l. 1. *Septenario*, inquit, *natura gaudet, septem sunt stellæ erraticæ, ursa septem stellis completur, singulis septimanis Lunæ mutationes fiunt, & quascunq; in aëre mutationes operantur, Humana omnia quæ divinius principium cælitus sibi contrahunt, juxta septenarium salubriter moventur, infantum septimus mensis salutaris partus, septimo anno homo rationem perfectam habet, secundo ad potentiam progignendi sibi similem pervenit, tertio finis est augendi, animæ brutæ pars septifariam dividitur in quinque sensus vocis instrumentum & genitalem vim, Corporis motus septenarius est, sex pro ratione membrorum, septimus in orbem, septem sunt interiora viscera, stomachus, cor, lien, jecur, pulmo, renes gemini: Septem membra corporis, caput, cervix, pectus, manus, venter, inguen, pedes, septem foramina habet principalis pars hominis, oculos duos, duas aures, nares q; & os, septem sunt excrementa, lacryma, mucus, saliva genitura, & quæ per duas cloacas corporis fluunt, & sudor totius corporis* &c: Hæc Philo. Commemorabile item est, quod Medici & Philosophi observarunt vitam nostram septenariis dispensari, & haut leviter mutari, ὁ δὲ ἀιὼν τοῦ ἀνθρώπου ὅδε ἑπταμέτρεος, *Hominis ætas septenario dierum numero constat*, ut ait Hippocr. l. περὶ ἀρχῶν, Vide in hanc rem non pauca apud Andream Laurentij Histor. Anatom: l. 8. q. 31. & Codronhum pecul. libr. de Annis Climactericis. Masius Comment. in Jos. cap. 6. p. 107. seqq. hujus numeri mysterium ita investigat; Dicit mundi integritatem sex partibus discretam esse, *Angelis, elementis, metallis, stirpibus, brutis, homine*, qui sit mundi miraculum & alter mundus, Tandem ubi fuse de his sex partibus disseruit, ita claudit; *Dum igitur illa unitas simplicissima Deus in æternitatis suæ immensitate latens, tandem aliquando pro sua summa probitate & gratia sex illas dualitates ut sic dicã rerum procreasset, quæ partibus omnibus absolutissimam illam mundi machinam constituerẽt necessum erat, ut ea quæ sic effecta fuerant, quo subsisterent, ac non eodem momento temporis in nihil redirent, ad suam ipsorum*

rum originem referrentur, ut à quo continuo essent sustentanda. Itaq; dum hanc dualitatem h.e. rerum procreatarum senarium numeramus, ut ab ipso prima & simplicissima unitate Deo tanquam origine & fonte proficiscimur, sic rursus septimo loco ad eam ipsam revertimur, atq; in ea desinimus. Nam ut ab ejus sinu, qua prima est, res omnes ortum habent, ita in ejusdem sinu qua septima est, ut conserventur & veluti conquiescant est necesse. Hoc igitur ipsum est septimæ unitatis mysterium ut ego certe censeo, Sabbathum videlicet & quies, quâ Deus à condendis quidem rebus abstinuit, & velut in suam illam æternitatis ut sic dicam abyssum rediit q. ad quietem, sed ita ut res jam tum à se conditas nexu necessario sibi devinctas atq; ab ipsius efficacitate continuo dependentes secum ad quietem illam suam quodam modo abduceret, neq; à se dimitteret, quippe quæ divinæ ejus virtutis sinu foveri continuo sustentariq; deberent. Hæc & alia ibidem Masius. Gentiles etiam in numero hoc virtutem eximiam agnoverunt; ut testatur D. Hieronymus in cap. 5. Amos. & videre est apud A. Gellium l. 3. c. 10. Macrobiũ l. 1. in somnium Scipion. c. 6. Cœl. Rhodiginum l. 22. lect. Antiq. c. 12. Cicero vocat *omnium rerum nodum* in somn. Scip. Linus vetustissimus Poetarum cecinit eum esse *rerum omnium originem*, Indorum Magi & Sapientissimi Ægyptiorum Sacerdotes Septenarium *Majoris & minoris mundi numerum* vocarunt, Pythagorici *humanæ vitæ vinculum & nexum*, omniumq; *optimum naturalissimum & sufficientissimum* dixerunt, ut Chalcidius apud Ludov. Vivem in l. 11. Aug. de C. D. c. 31. testatur, & ἑπτὰ quasi σεπτὰ, sacra, & septenarium *septon* h. e. sanctum & sacrum numerum appellarunt, qui plenus esset mysteriorum. Videantur autores dicti: Nobis cum Augustino nunc placet, ut habeamus *rationem moderationis atq; gravitatis, ne forte cum de numero multum loquimur, mensuram & pondus negligere judicemur*, ut ait l. 11. de Civ. Dei c. 31.

XVII.

Non ergo mirum adeo videri debet (ut in rem præsentem redeamus,) quod numero septenario quem Apocalypsis solemnem habet, etiam hoc l. usus sit Johannes, & precatus

tus gratiam à *Septem Spiritibus;* Ideo factum arbitror, ut vel (1.) septiformem h.e. multiplicem Spiritus S. gratiam indicaret numero universitatis, multitudinis & perfectionis indice, qui *unus* quidem *natura est, sed gratiarum diversitate multiplex,* ut est in glos. sa ordin. *Unum est flamen Sp.S. sed multi spiritualium donorum meatus* ut ait Ambrosius l. 1. de S.S. c. 20. Quo sensu forte Justinus dixit in Paranæsi ad Grecos, οἱ ἱεροὶ θεοφόροι τὸ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ πνεῦμα εἰς ἕτερα πνεύματα μερίζεσθαι φασιν. Unde & in SS. dicitur *Sp. sapientiæ intellectus* &c: Es. 11. 2. *Sp. Zelotypiæ,* Num 5. 14. *Sp. judicij* Es. 28. 6. *Sp. mansuetudinis,* 1. Cor. 4. 21. *Sp. fidei,* 2. Cor. 4. 13. *Sp. sapientiæ & revelationis,* Eph. 1. 17. *Sp adoptionis,* Rom. 8. 15. *Sp. roboris, dilectionis, modestiæ,* 2. Tim. 1. 7. non quod tot sint Sp. sed tot & tam variæ Sp. operationes. *Vel* (2.) quod virtutis operumq; communicatione in *Septem* Ecclesias Asiaticas ita perfecte & copiose sese exerat, ac si totidem essent Spiritus in quavis Ecclesia perfecte operantes, ut quæq; Ecclesia ex his septem in solidum spiritus Sancti dona sibi vendicare possit. *Vel* (3.) quod septem insignibus & peculiaribus donis aut operationibus una quæque Ecclesia ex his septem indigeat, aut gaudeat, quæ ratio Sardo videtur placuisse, cujus verba ita habent: *Plane non aliter ab Archi Propheta hoc factum esse existima, nisi ut intelligas ad unamquamque Ecclesiam Asiæ unum esse expositum ex his septem, Spiritum, tanquam rivulum & flumen gratiæ ad illam irrigandam, & etiam omnes simul septem Ecclesias Asiæ in unum sumtas. Quapropter unicuiq; Ecclesiæ in c. 2. & 3. ait, Qui habet aurem audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis, Spiritus igitur sapientiæ propositus & accommodatus est Ecclesiæ Ephesi, Spiritus intellectus Ecclesiæ Smyrnæ, Spiritus consilii Ecclesiæ Pergamensi, Spiritus fortitudinis Ecclesiæ Tyatirensi, Spiritus scientiæ Ecclesiæ Sardis, Spiritus pietatis Ecclesiæ Philadelphiæ, Spiritus timoris Ecclesiæ Laodicensi; Ecce igitur septem Spiritus distributos & accommodatos septem Ecclesiis Asiæ singulos ad singulas, ut intelligatur unamquamq; Ecclesiam ex his septem Asiæ paratum à Deo habere flumen gratiæ, secundum statum & conditionem suam, ad illam irrigandam, & ut etiam aperte intelligatur, septem gratiarum rivulos sive charismatum dona ab uno dimanare fonte, nimirum*

à Sp. S. qui naturâ unus, & gratiarum charismatumq; distributione multiplex est. Taceo (4.) illud quod Scholastici cum Lombardo l. 3. sentent. dist. 34. multa disputent de *septem donis* Sancti Spiritus *definite* sumtis, quæ dicunt esse *sapientiam, intellectum, consilium, fortitudinem, scientiam, pietatem, ac timorem Domini*, ex Es. 11. 2. Nam & ita septenarium h. l. definitè intelligi & Spiritum S. à *septem* istis donis μετονυμικῶς denominari posse planum esset. Nolumus tamen istis inhærere, solvemus ea quæ in contrarium objici solent, deinde manum de tabula.

XVIII.

Objicitur primo, quod *Septem* illi *Spiritus* dicuntur *esse in conspectu throni Dei*, Quæ *verba*, inquit Becanus, *si usum scripturæ spectes, conveniunt illis tantum, qui Deo assistunt & ministrant, quales sunt Angeli, ut patet, Tob. 12. 15 Apoc. 8. 2. & alibi sæpius: At nusquam legimus, quod Sp. S. aut dona Sp. S. dicantur esse in conspectu throni Dei, imo absurde loqueretur qui diceret, Sp. S. esse in conspectu throni Dei cum ipse sit Deus & sedeat in throno Dei in cujus conspectu sunt Angeli: Æque absurdè loqueretur, qui diceret dona Sp. S. esse in conspectu throni Dei, cum ejus modi dona sint in nobis, qui in hac vitâ degimus & procul absumus à conspectu Throni Dei*, Hæc Becanus l. superius cit. quæ etiam ingeminant Cornelius à Lapide, Ribera, Pererius, qui insuper addit, quod *stare in conspectu throni Dei non possit convenire accidentibus sed substantiæ tantum subsistenti, ob idq; non possit convenire septem donis Sp. Sancti*, disp. 7. in Apoc. p. 23. Socinus quoque in Epist. ad Volckelium p. 482. hac ratione sibi suaderi patitur (quamvis fluctuanti) quod septem illi Spiritus sint creaturæ: *Quis vero*, ait, *negare audebit, septem illos Spiritus quicquid potestatis in gratiâ & pace conferendâ habeant, ab ipso Deo habere & agnoscere, & propterea eadem in re illi subordinatos esse. Patet enim id vel ex ipsis illius precationis verbis, & à Septem Spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt, unde apparet, septem istos Spiritus Deo ministrare, & totos ab ipso pendere.* Præmitto hîc ad solutionem, quid sit h. l. *Thronus Dei*, in cujus conspe-

ctu

&u ſunt ſeptem Spiritus, ut eo facilius perſpicere liceat Jeſuiticæ & Socinianæ objectionis inanitatem: *Eſt Thronus* in Scripturis μεταφορικῶς poteſtatis, majeſtatis, autoritatis & eminentiæ ſymbolon, metaphorâ à Regibus aut Evergetis deſumtâ, qui μεγαλοπρεπείαν & eminentiam ſuam in ſolio thronove reſidentes aliis demonſtrare, in eo poteſtatem judiciariam exercere, & regiminis imperiique negocia diſpenſare ſolent, Salomonis exemplo, in throno magnificentiam regalem exhibentis, 1. Reg. 10. 18. ſeqq. Ita *Sedere in throno*, 2. Paral. 19, 8. Prov. 20. 8. eſt imperij curam ſuſcipere, gubernare, judicare; Angeli {dicuntur θρόνοι, Coloſſ. 1. 19. ut ſignificetur eorum majeſtas & eminentia, q. in *throno* reſidentes h. e. magna autoritate {& eminentiâ collocatos diceret Apoſtolus, per enallagen Hebræis familiarem, ubi Appellativum pro Adjectivo ponitur: *Sic Throni dicuntur poſiti*, Dan. 7. 9. in quibus Apoſtoli & electi *ſedebunt*, Mat. 19. 28. Luc. 22. 30. Apoc. 20. 4. quibus Scriptura, uti Chryſoſt. & Theophyl. exponunt, *honorem & gloriam ineffabilem ſignificanter exprimit*, vel potius *poteſtatem illam ſuper gentes* Apoc. 2. 26. innuit, quam fideles exercebunt *in finali judicio, in quo perfecti judicabunt cum Chriſto, & ſic habebunt poteſtatem ſuper gentes judicandas*, ut ibi Lyranus exponit in gloſſa, *Thronus Meſſiæ*, Pſ. 89. 37. {eſt regnum, imperium, & majeſtas ejusdem, quæ in Eccleſiâ cernitur, Cœlum eſt *thronus Dei*, Eſ. 66. 1. Matth. 5. 35. c. 23. 22. quia in illo majeſtas & magnificentia Dei vel maxime præ aliis elucet. Sic *Thronus Dei* Apoc. 4. 3, judiciariam illam poteſtatem & ſummam providentiam Dei deſignat, quam q. protribunali ſedens in futuris fatis Apocalypticis oſtendet & demonſtrabit. *Thronus Dei Patris*, Apoc. 3. 21. in quo *ſolus* Chriſtus {reſidet, Hebr. 1. 13. eſt infinita ejus majeſtas, gloria, potentia, & imperium; *Thronus Chriſti*, in quo etiam Sancti *reſident*, Apoc. 3. 21. eſt peculiaris gloria dignitas & eminentia Sanctis conceſſa. *Thronus gloriæ Chriſti* in quo apparebit futurus judex, Matth. 19. 28. c. 25. 31. eſt *tribunal* illud judiciarum, Rom. 14. 10. aut potius Chriſti judicis autoritas majeſtas & poteſtas judiciaria, quam in extremo judicio glorioſiſſimè de-

monstrabit: Ex his locis discere poterant Jesuitæ vel si qui sunt alii quid h. l. *Thronus Dei* significet; Variè quidem exponunt Interpp. Quidam Angelos & Sanctos cum Strabo, & Thoma, Quidam Christi humanitatem, quæ instar throni exaltata sit, Quidam commodius judiciariam Christi potestatem intelligunt, Quorum neutrum nobis repugnat, qui per septem Sp. Spiritum S. septiformem intelligimus: Is enim vere præsens est sanctis & Angelis in quibus Christus requiescit tanquam in thronis suis, juxta Thomæ expositionem, is super humanitate Christi requievit; Is Christo judici semper & ab æterno in conspectu fuit &c. Verum optimum & simplicissimum judicamus, si stylo scripturis usitato per thronum Dei etiam h. l. Dei μεγαλοπρέπειαν, majestatem, gloriam & potestatem intelligamus, quam ubiq; locorum certa ratione exhibet & manifestat: Unde mirari oportet Becani stupidam ignorantiam, quam hac locutione prodit, quod *nos in hac vita procul absimus à conspectu throni Dei*: Ubi Ubi Deus suam majestatem potestatem & gloriam manifestat, ubi ejus elucet imperium, ubi sese majestaticè & efficaciter præsentem demonstrat, ibi thronus Dei est; Est in cœlo & toto hoc universo, est in Ecclesia, est in cordibus credentium, in cœlo triumphantium Dei throno etsi diversis modis, in toto hoc universo residet per potentiã, in Ecclesiâ militante & piis fidelib. per gratiã, in cælo beatorum per gloriam & magnificentiam, Absit ergo, ut cum Becano procul absimus à throno Dei in hac vita, qui in Ecclesiâ degimus & *adire* possimus *cum fiducia thronum gratiæ, ut accipiamus misericordiam & gratiam inveniamus in oportunum auxilium*, Hebr. 4. 16. Hoc vero observato, quid thronus Dei significet, facile erit intelligere, quid sit *esse in conspectu throni Dei*, ex quo dicendi genere suam argumentationem contra nos formant Jesuitæ: Dicitur illud de Septem Spiritibus non 1. ratione *ministerii*, quod *stent* in conspectu throni Dei tanquam famuli & administri, qui ad ejus utpote superioris nutum jussa expedire sint parati: Nam & laus & magnificentia sunt *in conspectu Dei*, Ps. 69. 6. sapientia est *cum Deo*, Prov. 8. 30. filius Dei est ante thronum Dei,

Dei, aut coram Deo *sedente in throno* constitutus, Dan. 7.13 & accipit librum è dextrâ *sedentis in throno*, Apoc. 5. 7. Spirit. S. est ἐκ τοῦ θεοῦ, *ex Deo*, 1. Cor 2. 12. est רוח מלפניו Spiritus qui est *à facie* sive *conspectu Dei*, Es. 57. 16. quæ locutio proxime ad hanc phrasin accedit, nec tamen ideo vel Spiritus S. vel Dei filius vel sapientia Dei æterna, vel laus & magnificentia Dei sunt Dei famuli & ad ministri, aut sua ideo Deitate movendi; Unde non probo, quod Brigthmannus in cap. 1. Apocal. respondet, *verba hic fieri de Deo q. summo supremoq; Gubernatore, quo nomine solium illi tribuatur, de filio vero & Sp. S, tanquam administris, quorum propinquiori operâ res omnes fiant.* Est locutio non ferenda in Ecclesia, quæ Christum & Sp. S. dicit Dei *administros* in rerum omnium gubernatione, & sapit Arianismum; Adeoq; ut rem compendifaciam, distinctæ locutiones sunt, *esse in conspectu throni Dei*, & *stare in conspectu throni Dei*, quas Jesuitæ ut multa jura coqui in unum confundunt. Non necessario & semper (quamvis alicubi) τὸ *Esse*, sed τὸ *stare* in conspectu throni Dei ministerium significat, & tribuitur vel Angelis, Dan. 7. 10. Job. 1, 6. Zach. 3. 4. c. 6. 5. Es. 6. 2. 1. Reg. 22. 19. Luc. 1. 19. vel Levitis & aliis Dei ministris, Deut. 10. 8. 1. Reg. 17. 1. &c. Hoc vero loco septem Spiritus in conspectu throni Dei non dicuntur *stare* sed *esse*; Intelligi itaq; II. potest locutio ratione ὁμοουσίας, sive æqualis *essentiæ* & majestatis cum patre & Filio, quod septem illi Sp. sint in conspectu throni Dei, h. e. quod Sp. S. sit *cum Patre & Filio essentia, potentia & regimine conjunctus*, ut exponit h. l. Flacius. Quam expositionem non repudiat locutio, ἐνώπιον τοῦ θρόνου, Quia ἐνώπιον quandoque in Scripturis Græcis intimam conjunctionem, præsentiam, affinitatem, similitudinem aut convenientiam notat, Sic David Ps. 38. 18. *dolor meus* inquit, *in conspectu meo semper*, Hebr. נֶגְדִּי LXX. ἀλγηδών μου ἐνώπιόν μου ὅτι διὰ παντὸς, quâ locutione sane innuit David dolorem sibi intimum conjunctissimum & præsentissimum esse. Sic Psal. 96. 5. *Gloria & decor* לפניו *coram eo*, LXX. ἐνώπιον αὐτοῦ, h. e. Deo assunt, in Deo sunt, divinæ naturæ maxime conveniunt. Huc etiam facit

cit illud Geneſ. 2. 18. *Faciamus ei adjutorium quod ſit* כְּנֶגְדּוֹ ad verbum, *ſicut coram ipſo*, h. e. verè juxta correſpondentiam ejus, ipſi tanquam alter ipſe ac naturali ſpecie ac forma conveniens; Tremell. & Junius, *accommodum ipſi*, Græci Interpp. verterunt κατ' αὐτὸν, *ſecundum ipſum*, h. e. ipſi correſpondens, & vitæ ſocietate, animorum, morum, & ſtudiorum conjunctione maxime conveniens; Poteſt etiam attendi quod dicitur Pſ. 16. 8. *Pono Jehovam coram me ſemper*, LXX. ἐνώπιόν μου Pſ. 10. 4. *Non eſſe Deum ſunt omnes cogitationes ejus*, LXX. οὐκ ἔστιν ὁ θεὸς ἐνώπιον αὐτοῦ Pſal. 54. 4. Pſ. 86. 14. *Non poſuerunt Deum in conſpectum ſuum*, LXX. ἐνώπιον αὐτῶν, Ubi illi Deum *in conſpectu* habere dicuntur, qui in ſeſe in cor & cogitationes admittunt, qui ſibi intimum & præſentiſſimum habent, quorum cordibus animisq; perpetuo obverſatur, ſicut contra de impiis dicitur quod Deum non habeant *in conſpectu* ſui, quia de illo non cogitant, neque illum ad animos admittunt. Non ergo obſtat locutio, quo minus illa phraſis, *Septem Spiritus qui in conſpectu throni ejus ſunt*, de intima & eſſentiali convenientiâ, aut potius ὁμοουσίᾳ, quam Sp. S. habet cũ Patre & filio exponatur eo modo ut indicavit Flacius. *Vel* III: Poteſt intelligi ratione ὑποστάσεως ſive *perſonæ*, quod ſeptẽ Sp. ſint perſona à patre filioque diſtincta: Eo minus mirum videri debuiſſet Jeſuitis quod ſeptem Spiritus vel potius Sp. S. ſit in conſpectu throni Dei, quia & alibi eandem ob cauſam dicitur *Spiritus Domini*, Gen. 1. 2. Matth. 3. 16. *Spiritus patris*, Matth. 10. 20. *Spiritus filii*, Gal. 4. 6. *Spiritus Chriſti*, 1. Pet. 1. 11. *Spiritus qui eſt ex, Deo*, 1. Cor. 2. 12. *Spiritus oris Domini*, Pſ. 33. 6. 2. Theſſ. 2. 8. *Spiritus Domini & Spiraculum omnipotentis*, Job. 33. 4. *Spiritus qui eſt à facie Domini*, Eſ. 57. 16. *Spiritus alius à patre*, Joh. 15. 26. *& ab eo procedens*, Joh. 14 26. quia etſi non ſit alia à patre filioque eſſentia, aut alius Deus ab ipſis, eſt tamen alia à patre filioq; perſona, quidni ergo Spiritus Sanctus eadem ratione dici poſſit *eſſe in conſpectu throni Dei*, ut hæc perſonalis diſtinctio, ejusque à patre & filio proceſſio indicetur? Vel IV. ratione

tione οἰκονομίας sive *officij*, donorum item & charismatum, per quæ in Ecclesiâ cumprimis & credentibus efficax est Sp. S. Multa in scripturis Sp. S. tribuuntur, quæ non tam ratione personæ quam officij & donorum sunt intelligenda, ut quod dicitur *dari*, Actor. 5 32. *de ipso dari*, 1. Joh. 4. 13. vel *ad mensuram*, Ephes. 4. 7. vel *non ad mensuram*, Joh. 3 34. *effundi*, Actor. 2. 33. Tit. 3. 5. *de ipso effundi* Actor. 2. 17. *augeri*, 2. Reg. 2. 9. *accipi*, Joh. 7. 39. *non esse*, v. eod. *extingui*, 1. Thess. 5. 19. &c. Item, quod Spiritus S. dicitur *accipere* & *audire* à filio, Joh. 16. 14. quæ sane de Spiritu S. ratione officij & donorum sunt intelligenda, partim etiam προσωπικῶς, etsi ἀνθρωποπαθῶς dicantur, explicanda, *Audientia* enim *quæ Spiritui tribuitur æterna est, quia & scientia æterna*, ut ait August. Ita etiam h. l. Spiritus S. dicitur esse in conspectu throni Dei ratione χαρισμάτων, quæ semper ante thronum divinæ majestatis præsto sunt, & expectant quasi ut desuper descendant & in credentes effundantur. Ita *Sapientia*, quam à Deo petimus *throno ejus assistit*, Sap. 9. 4. & *septem Lampades*, h. e. *septem Spiritus Dei*, sive multiplicia Spiritus S. dona *ardent ante thronum Dei*, Apoc. 4. 5. *fluvius* item *aquæ vivæ procedit de throno Dei*, Apoc. 22. 1. quia dona Sp. S. etsi quoad gratiosam inhabitationem sint in credentibus, quoad liberam tamen & pariter gratiosam Dei dispensationem sunt in conspectu throni Dei & *descendunt*, Jacob. 1. 17. Unde apparere arbitror, quod fumi sint, quos hic vendunt Jesuitæ.

XIX.

Objicitur secundo, quod *Apoc. 5. 6 iidem septem Spiritus vocantur Septem Agni Cornua, & septem Oculi, id est vigiles æque ac robusti administri Dei, qui sunt septem Spiritus Dei missi in omnem terram, adeoq; sunt Angeli, horum enim est mitti, imo Angelus idem est quod missus, puta nuncius & legatus. Unde Zachar. 4. 10. hi septem Spiritus vocantur septem oculi Domini, qui discurrunt in universam terram;* Tum *cap. 8. 2 expresse vocantur Angeli, Ait enim, Et vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei, Et cap. 15. 6. Exierunt septem Angeli habentes septem plagas, &c.* quæ ferme verba sunt Cornelij à Lapide in Comment. ad cap. 1. Apoc. Et hæc ratio movit quoque Theodorum Bezam, qui in Annot. ad Cap. 1. Apocal. ex eo nostram sententiam refel-

lit: *Nam*, inquit, *quod septem hos Spiritus nonnulli pro Spiritu Sancto acceperunt, cujus septi formis ut loquuntur sit gratia manifeste refelli potest vel ex eo quod scribitur infra cap. 5. 6. &c. Christus ergo ut Deus hic describitur, septem autem isti Spiritus ut ministri ante thronum collocantur, ergo etiam coram Christo ut qui Deo patri assideat: Deniq; ut nemo de hoc possit ambigere, iidem isti septem Spiritus infra cap. 5. 6. Agni cornua & oculi id est ministri dicuntur.* Bezã sequitur Frederic9 Braunbomius in Decade Flor. Flamin lib. 1. c. 5. Verum in hoc argumento Pareus & ipse Calvinianus negat consequentiã: *Non obstat*, inquit, in Commentario, *quod infra aliquoties septem Spirituum quasi Septem Angelorum fiat mentio. Illi enim si phrasin bene observes, ab istis diversi notantur, Isti absolute dicuntur septem Spiritus qui sunt in conspectu throni Dei, quo essentiæ communio cum sedente in throno innuitur, propter divinum attributum, Illi vocantur septem Spiritus Dei, missi in omnem terram, Septem Angeli qui stant coram Deo, nec habent divinum aliquod attributum. Ministros igitur Dei significari apertum est.* Et planum est consequentiam non esse validam, quia & si alibi septem Spiritus Dei, significare possint Angelos creatos ita exigente locorum circumstantia, & mentio alicubi fiat septem Angelorum qui stent coram Deo, ut Apoc. 8. 2. non tamen necessarium esset h. l. septem Spiritus ita intelligendos, præcipue quod divina majestas obstet, quæ Spiritib. istis defertur. Dico tamen loca objecta aliter exponi posse, quam vult Pareus, Beza, & Jesuitæ, Et *primo* locum Apoc. 4. 5. commode de *Spiritu Sancto* intelligi, ut *septem Lampades ardentes ante thronum* significent Spiritum S. à donis μεθωνυμικῶς ita denominatum, quæ ab illo & à throno Dei in Ecclesiam dimanant, & dicuntur *Lampades*, loquendi modo à lampadibus & luminaribus Tabernaculi, Exod. 27. 20. desumto, (quæ singulis diebus à filiis Aaron accendi debebant,) & ad stylum Propheticum Zach. 4. 2. conformato. Est enim Apocalypsis plena ejusmodi typicis allusionibus & phrasibus Propheticis V. Test. quibus visiones propheticas N. T. proponit. Dicuntur autem dona ista *Lampades Ignis*, quia cæcas mentes illuminant, peccata consumunt, pietatis studium accendunt & inflammant &c. Ideo Iohannes Baptismum flaminis vocat Baptismum *Ignis*, Matt. 3. 11.

3.11. & Sp.Sanctus *ignea* specie sese effudit, Act.2.3. *Ardent* autem *ante thronum Dei*, quia à throno in Ecclesiam demanant, *procedunt de throno*, Apoc. 22. 1. & semper præsto sunt, ut in credentes de super descendant: Deinde *septem Cornua Agni*, Apoc. 5.6 *summam* Christi *potestatem* significant, qua omnia regit dispensat, & data sibi potestate Matth. 28, 18. moderatur, Cornua enim in Scripturis συμβολικῶς potentiam notant, quia animantium robur est in cornibus, ut Ps. 75. 11. Dan. 7. 21. c. 8. 4. &c: Christus enim ut sit mitissimus & suavissimus *agnus*, septem tamen cornua gestat, & potentia armisque *multiplicibus* & innumeris non caret, quibus *septem capita* AntiChristi, Apoc. 13. 1. & infinitas hostium Ecclesiæ machinas alias proterere possit. Denique *Septem Oculi, qui sunt Septem Spiritus Dei missi in omnem terram*, Apoc. 5. 6. non septem Angelos creatos denotant, sed virtutem potius Spiritus Sancti multiplicem, quam verbi prædicatione in omnes mundi partes missa & dispersa exerit, aut mirabilem Christi providentiam & omniscientiam, qua in mediis turbis Ecclesiam mirifice defendit, tuetur, & per Spiritum suum ubique locorum moderatur, pariter uti Zacharias septem oculos videtur intelligere, Zach. 3. 9. c. 4. 10. c. 5. 6. *Septenarius* enim perfectionem, *oculus* providentiam significat, ut Jerem. 39. 12, c. 40. 4. c 44. 27. Amos. 9. 4. 8. Ps. 34. 17 Jer. 20. 6. Syr. 10. 11. &c: aut potius generatim Sp.S. dona & χαρίσματα, quibus oculatissimè ubique fidelibus adest, eosque imbuit, sive ut textus ait, quos *mittit in omnem terram*, *A Christo* enim Spiritus *mittitur*, Joh. 15. 26. & *in nomine Christi*, Joh. 14. 26. & nemo nisi per Christum Sp S. particeps fieri potest, Joh. 16. 7. 13 unde Christus dicitur *habere Septem Spiritus Dei*, Apoc. 3. 1. Non solum quia Sp. S. à Christo sicut à patre procedit, sed etiam, quia Christus nobis Sp. Sanctum promeruit, & tanquam gratiæ cœlestis promus condus illum impertit & desuper mittit à Patre, unde Christ9, *De meo accipiet* inquit, *& annũciabit vobis*, Joh. 16. 14. &c.

X X.

Objicit tertio Fridericus Braunbomius loco citato, *Nullibi Scripturarum*, inquit, *Septem præcise charismatum expositio, & si Septem Spiritus Sancti, quanto magis tres dij? Ubiq; in Apocalypsi Spiritus Sanctus*

ctus Jehovah singularis, cap. 1. 10. c. 2. 7. 11. 17. 29. c. 3. 6. 13. 22. cap. 4. 2. cap. 14. 13. cap. 17. 3. cap. 21. 10. cap. 22. 17. ubique in Evangelio Johannis, ubique in Epistolis; Verum Braunbomius ille non advertit, quod diximus (1.) Scholasticos & non paucos alios septem insigniora Spiritus charismata numerare, idque ex Esa. 11. 2. ubi mentio fit *Spiritus (1.) Jehovæ, Spiritus (2.) Sapientiæ, & (3.) intelligentiæ, Spiritus (4.) Consilii & (5.) fortitudinis, Spiritus (6.) Scientiæ & (7.) timoris Jehovæ;* (2.) Septem dici non tam à definito, quam vario & perfecto donorum numero, phrasi in Scripturis alibi ipsaque Apocalypsi frequentatâ. Neque attendit (3.) Spiritum S. dici posse à munerum & charismatum varietate septiformem *& multiplicem,* Sap. 7. 22. cum tamen Deus non possit dici *triplex* aut triformis, adeoque non valere, quod ait, *si sunt Septem Spiritus, quanto magis tres Dii?* Illud enim quod in Deo vocabulum *Deus* denominat est simpliciſſimè unum, ipsa nempe essentia Dei; Illud autem quod vocabulum *Spiritus* indigetat, est multiplex & varium, in dicat enim varia Spiritus S. dona à quibus persona μετωνυμικῶς appellatur, Et hæc ratio est, quare scriptura appellet *septem Spiritus,* non vero *tres Deos;* Insuper accedit (4.) phraseologiam Apocalypticam multa habere ἴδια καὶ ὑπόκεχα, propria excellentia & singularia, visionum scopis & argumentis accommodata, quod quia non observat Braunbom, frustra se fatigat. Et raro nomen Dei vel Patris vel filii in Apocalypsi reperias absolute positum (quod tamen alibi fieri consuevit) sed peculiari loquendi modo circumscriptum; Et licet alicubi Spiritus S. in Apocalypsi dicatur *Spiritus* in singulari, indecens tamen est, inde colligere velle, quod ideo non mereatur dici *septem Spiritus* in plurali, præcipue ob donorum perfectionem, & alias causas quas diximus. Verùm hic abrumpimus, Gloriam deferimus omnem illi *Qui est, & qui erat, & qui venturus est, & Septem Spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt, & JEsu Christo qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, princeps Regum terræ, Illi diligenti nos & lavanti nos à peccatis nostris in Sanguine suo, & facienti nos Reges & Sacerdotes Deo & patri suo; ipsi Gloria sit & robur in secula seculorum,* Amen, Amen.

יהוה

De Idololatria,

Disputatio XII.

Quæ est

DE ANGELOLATRIA

Undecima & Ultima.

Resp. SIGISMUNDUS Abesser / Schleus. Franc.

Punctum XVII.

De Angelo Intercessore Apoc. 8. 3. 4. 5. An sit creatus?

I.

OCtavo; Angeli etiam illius ratio habetur à Pontificiis in negotio Angelolatrias, de quo Apoc. 8. 3. 4. 5. Vulgatus Interpres ita ait; *Et alius Angelus venit, & stetit ante altare habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum quod est ante thronum & ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum, de manu Angeli coram Deo; Et accepit Angelus thuribulum, & implevit illud de igne altaris, & misit in terram, & facta sunt tonitrua, & voces, & fulgura, & terræ motus magnus.* Hunc Angelum pleriq; Jesuitarum arbitrantur esse creatum, ut evincant Scripturis conforme esse dogma illud de oblatione precum facta ad Deum per Angelos. Bellatminus h. l. *apertissimam Scripturam* appellat, unde Calvini assertum de *Christi intercessione* erroris arguatur, è quo consequens sit *non solum Sanctos sed etiam Angelos non posse Deo preces offerre sed solum Christum*, l. 1. de Beat. S. c. 16. §. Tertio. Bellarminum uti solet, fideliter sectatur Martinus Becanus loco sæpe citato p. 116. Cornelius à Lapide in h. l. ita commentatur, *Ex h. l. & similibus* inquit, *colligunt Viri docti, peculiarem esse Angelum qui sacerdoti celebranti assistat, eum juvet & dirigat, ejus preces & hostias Deo offerat sive is Angelus sit custos celebrantis, sive custos altaris & templi, ad*

hanc custodiam & sacrificiorum oblationem peculiariter à Deo deputatus &c. Unde de eo legimus in Canone Missæ, dicentes, supplices te rogamus, omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu divinæ majestatis tuæ &c. Paulo post subnectens, *Quocirca*, inquit *Sacerdos dum celebrat, meminerit sibi astare Angelum eumq; veneretur & invocet, ut se dirigat, illuminet, accendat ad digne sacrificandum*, Et rursum: *Angeli, ait, offerunt Deo preces hominum, quorum q. clientum suorum ipsi custodes, patroni & advocati sunt, non ut Deo illas manifestent, cum nihil ipsum lateat, sed ut ipsi proiis simul Deum deprecentur, itaq; eas efficaces reddant, quo fiat, ut optatum sortiantur effectum & impetrent illud, quod postulant.* Nicolaus Serarius in c. 3. Tobiæ quæst. 4. *offerre inquit Angelos Deo preces nostros confirmatur apertius ex Apoc. 8.* ubi *dicitur Angelus ante altare thuribulum aureum habere ipsiq; de sanctorum orationibus incensa seu thymiamata multa data, ut ea daret supra altare aureum, quod est ante thronum Dei;* Modum etiam oblationis precum ex h. l. conjectans ait *fieri illum cum insigni quadam Angelorum divinæ majestati loquentium humanasq; preces offerentium demissione, & eximio adversus illam cultu, quem μεταφορικῶς* tharibulo & *suffimentis depingere h. l. voluerit S. Iohannes.* Deniq; inde concludit invocandos esse jure meritoque B. Angelos, & statuendum, *ex oblatione qua hominum precatus & operum Sanctorum munera majestati divinæ Angeli offerunt, concludi recte, ipsos à nobis posse invocari, Potest enim rogari quispiam, ut quod jam agit idipsum agat, idq; vel simpliciter vel studiosius & propensius &c. Divina voluntas & ipse quo hominum genus amant Angeli, amor eos, ut precibus nos suis adjuvent impellit, si propria tamen aliqua nos magis amandi & adjuvandi ratio accedat, cur ea eos moveri non censeamus? Ejusmodi est, si eos rogemus & invocemus, vel etiam si divina idipsum voluntas iis imponat &c. Hæc ibi quæst. 4. & seqq Serarius.* Ribera in Comment. ad Apoc. c. 8. tendit eodem, & Angelum hunc negat esse Christum, tum quod *Christus nusquam absolute dicatur Angelus*, tum quod *Iohannes dicendo, Et alius Angelus, eum aliis septem Angelis similem fuisse ostendat, sicut cap. 7. 1. vidi quatuor Angelos, Et paulo post, vidi alium Angelum ascendentem*, censet autem fuisse *Gabrielem*, qui Danieli

c. 9. 20.

cap. 9. 21. & Mariæ, Luc. 1. 26 apparuit, vel *Michaelem* cui tota Ecclesia commissa sit. Et idem hic sentiunt alii non pauci è gregalibus: Anglo-Rhemenses tamen dubitanter affirmant; *Si hic Angelus*, inquiunt, *sit Michael aut alius non Christus ipse, ut quidam interpretantur, tum Angeli offerunt preces Deo;* Valde tamen impudenter asseverant, inde concludi *contra Protestantes, non id derogare Christo, ut Angeli sive Sancti preces nostras Deo offerant.* Mira hæc & imprudens impudentia est; Si dubia adhuc sub judice lis est, num Angelus ille sit Michael vel Christus, quomodo ex re dubia possunt colligere hoc aliquid certi, quod sc. Angeli Deo preces nostras offerant? Hæc enim assertio, illud prius de Michaele sive alio creato Angelo, quod is h. l. intelligatur ut certum præsupponit. Consentit cum Jesuitis Theodorus Beza in Annot. ad Cap. VIII. Apocal. & de Angelorum creatorum ministerio exponit; *Scimus*, inquit, *Angelorum ministerium Sanctis in hac vita degentibus esse destinatum, Hebr. 2. 14. idq; non ut pro diis colantur, sed contra ut pro bona Dei voluntate suo ministerio nos adjuvent ad Deum contendentes, sicut ex variis scripturæ exemplis licet intelligere, Hæc causa est, cur Iohannes hac visione, quæ Leviticorum Sacerdotum consuetudine adumbratur, ut pleræque etiam aliæ antiquorum Prophetarum, didicerit, Sanctorum orationes in hoc mundo, videlicet pura illa precum & beneficentiæ sacrificia Deo quotidie offerentium per Angelorum ministerium Deo offerri.* Bezæ tamen contranituntur, Augustinus Marloratus, Sebastianus Mejerus, Alfonsus Conradus, Henricus Bullingerus, Jacobus Brocardus, Martinus Borrhaus, Stephanus Szegedinus, Tremellius, Piscator, Pareus, Rivetus aliique è Calvini schola, qui de Christo intelligunt. Nobis propositum est, varias interpretum opiniones investigare, & ex omnibus eam, quam consonam veritati arbitramur, seligere, quam etiam obiter in dicavimus supra Disp. III. Puncto VII. ut constet non esse h. l. *apertissimam scripturam*, quod Angeli preces offerant Domino, prout putat Bellarminus.

I I.

Primo; Nicolaus Lyranus in glossa intelligi arbitratur *Damasum Papam*, qui Liberio successit, Anno 384. hic venit & stetit

ante altare, quia *præfuit Ecclesiæ Romanæ*, *habens* thuribulum aureum, *id est Cor Deo devotum, secundum illud, Psal. 140 dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*, Et data sunt ei incensa multa, quæ sunt Orationes sanctorum, *nam per auctoritatem Apostolicam à Deo sibi datam orationes Sanctorum augmentatæ sunt & multiplicatæ sunt per orbem;* Ut daret de orationibus Sanctorum omnium, *ad summum enim Pontificem pertinet referre devotionem populi in Deum, cum sit Caput Universalis Ecclesiæ*, Et accepit Angelus thuribulum, &c. *Nam à Deo accepit donum fervidæ charitatis*, & misit interram, *quia ex fervore charitatis à Deo acceptæ induxit ad fervorem devotionis habitatores terræ ut dictum est*, Et facta sunt tonitrua *sanctæ prædicationis*, & voces *divinæ laudis*, & fulgura *coruscationum in miraculis, Nam illo tempore multi prælati & alii devoti habuerunt gratiam miraculorum in Ecclesia Dei*, Et terræ motus, *Nam per ista mota fuerunt corda terrena ad operationem boni.* Hæc Lyranus suaviter delirans & oberrans in suâ chorda; cum quo etiam facere dicitur Aureolus apud Cornelium à Lapide in Commentario p 166. Non arbitramur facto opus, ut hic in Lyranum aliqua dicamus, utpote delirantem sine ulla specie veri: Nolumus tamen hanc interpretationem invidere Pontificiis, quia illorum in præsenti argumento conatus non sine fructu convellit. Vidit Lyranus, esse oportere *summum Pontificem*, qui hoc loco Angelus sit stans ad altare cum thuribulo, sed quis tandem Ille sit, minus commode exposuit, Quem nos, aliter è SS. edocti neminem esse posse scimus, nisi solum illum & unicum N. Test. summum Pontificem Iesum Christum.

III.

Secundo; Non desunt, qui putent hoc Angelo repræsentari *fideles verbi divini ministros*, qui propter unanimitatem in Veritate propugnandâ & hæresi oppugnandâ uni Angelo assimilentur, quos sectatus Vir quidam eruditus è nostris, *Angelus hic*, inquit, *repræsentat veros & sinceros Verbi ministros qui medios inter tot hæresium vepres candentium instar liliorum flores lethiferos acutissimarum spinarum morsus nè tantillum formidantes in veritate doctrinæ & puritate fidei*

dei alaciter ac animose perstiterunt: Thuribulum vero aureum conceptas precum publicarum formulas, incensa necessitates sanctorum prece comprehensas, altare aureum Christum in cujus nomine preces fidelium fiunt, Ignis altaris charismata Sp. S. corda auditorum super quæ effunditur inflammantis, Effusio super terram sanctificationem & illuminationem cordium, tonitrua & voces & fulgura prædicationem Verbi, veritatisq; adversus hæreticos assertionem, quâ terra seu homines terreni longe vehementius, quam tonitru aut fulgure terrentur, Terræ motus magnus persecutionem hæreticorum denotat, quæ sinceram Verbi prædicationem & Veritatis intrepidam assertionem comitari solet, Probatur hæc explicatio etiam D. Winckelmanno p.m. in Commentario ad C. VIII Apocal. Neq; habet quicquam, analogiæ fidei repugnans. Non tamen persuadere mihi possum hanc esse literalem, à Sp. S. hâc visione intentam; tum quod violentum apparet & contortum, unico Angelo symbolice repræsentari omnes Ecclesiæ ministros universim, tum quod ministris Ecclesiæ commode tribui non possunt, quæ de hoc Angelo dicuntur, uti cum Deo dicenda docebunt.

IV.

Tertio, Thomas Brigtmannus Anglus exponit de Imperatore *Constantino M.* & quæ hîc de Angelo isto dicuntur, singula sigillatim derivat in hunc Augustum: *Non est existimandum*, inquit initio, *spiritualem aliquam esse substantiam,* (hunc Angelum) *quales sunt Angeli proprie dicti, puta Gabrielem aut aliquem hujusmodi ut vult Jesuita, sed hominem secundum consuetudinem hujus libri in quo nihil est tritius quam Angeli nomen in homines conferri, deinde hoc cœlum est Sancta Ecclesia in terris, altare penitius ejusdem sacrarium, ministerium summi sacerdotis quo nunquam funguntur Angeli sic proprie dicti sed cujus veritas solius est Christi, typus ad unos homines pertinet, qui naturam habent idoneam sacrificio, in quo præcipue versatur munus Sacerdotis, cujus naturæ cum expertes sunt Angeli, neque speciem Sacerdotis gerere possunt, nec usquam in scripturis istæ partes eis tribuuntur; Præterea factum est ministerium ante thronum ubi locus non est Angelis sed in circuitu throni & Seniorum & animalium, nimirum extremum ambitum Ecclesiæ cingunt,*

excubantes circumquaque pro salute ejus quicquid versatur intra circuitum, est summus thronus, agnus, animalia, lampades, mare Crystallinum, altare, &c. quorum necessarius est usus in cœtu fidelium; *Non igitur dubito, quin hic Angelus idem est qui priore capite dictus est ascendere ab ortu solis, nempe Constantinus Magnus. Quod enim illic summatim quatuor Angelos à nocendo prohibuit, donec electos obsignaßet, id videtur h. l. sigillatim, qua ratione factum sit, explicari*; Fuse vero & operosè ad Constantinum M. singula aptat, quæ in hac visione Angelo isti tribuuntur, quod Constantinus M. *typum gerat summi Sacerdotis Christi, & imprimis imaginem Sacerdotis præferat, ut in quo maxime luceat effigies regalis dignitatis*: Quod preces Sanctorum *sint pia vota fidelium qui summopere cupiebant aliquod remedium parari adversus impendentia mala*: Quod *suffitus illi dati, quos tribueret precibus Sanctorum, sint potestas faciendi Concilii*, Quod aureum altare *sit ipse Christus in medio hujus Sancti cœtus*, nubes densa suffituum ascendens *sit res tota felicißimè ad exitum perducta*; *Egregia vero illa fidei confeßio quam edidit Sancta synodus* (Nicena) *adversus hæreses, sit instar prunarum altaris, quas cœlitus lapsus ignis in cordibus Sanctorum accendat, super quas adolere suavißimos suffitus potuerint invocando unum verum trinumque Deum*: *Ignis vero altaris abjectus in terram, id est, hæc pia confeßio divulgata, paßim regiis edictis in impium mundum, vel saltem nomitenus Ecclesiam*, quæ *terra* hic dicatur, tonitrua illico & voces h. e. *magnas turbas excitaverit*. Hæc & alia novo commento Brigtmannus. Quod vero Christus intelligi non possit, vel inde putat manifestum fieri, quia *huic Angelo dati sunt suffitus*; Christus autem *non aliunde accipit suffitus sed ipse refertißimus thesaurus omnium gratiarum largitur singulis quantum opus est*. Novam hanc & inconcinnam interpretationem forte non diffitentur, qui emunctioris sunt nasi, & paulo ad rem intentiores. Sine fundamento hæc ita torquet Brigtmannus, ut lusum ingenii ostentet, & studium in torquendis scripturis. Non possum arbitrari, Constantinum M. in illa tempora incidisse, quæ septem ista tubarum visio Apocalyptica repræsentat, cui q. in proscenio προφυσικῶς præmittitur hic noster Angelus. Et si maxime ita esset, non tamen, quæ huic Angelo attri-

attribuuntur Constantino Imperatori, nisi per magnam violentiam aptari possunt! Quæso, quo jure is dici potest Sacerdos *typum* Christi gerens? aut qua ratione ipsi data sunt incensa de orationibus Sanctorum *omnium*? aut quomodo *de manu* Constantini hic fumus orationum Sanctorum omnium ascendit ad Deum? aut quomodo soli Constantino tribuitur, quod non solius Constantini, sed vel maxime *Episcoporum* opera factum est, confessio v.g. fidei in Synodo edita & orbi publicata? aut unde demum constat, hanc θυμίασιν de Angelo stante ad altare cum thuribulo *de illa Constantini reformatione* & ipsius operis suscepta fidei & Ecclesiarum instauratione intelligendam esse? Quæ ejus asserti ratio ulla vel saltim probabilis quæ sive mihi sive aliis id persuadeat? Neque tempus neque typus visionis id ulla ratione persuadent, Contortum ergo est Brigtmanni inventum novum, nulloque fundamine nixum, quod nemo est forte, qui non perspiciat.

V.

Quarto, Ludovicus ab Alcasar in commentario ad Cap VIII. Apocal. intelligit *Charitatem Christianam*, cui per prosopopœjam detur *nomen & persona Angeli*; Illa *enim Christianos primos impulit, ut pro Judæis persecutoribus ardentes preces effunderent, quibus ab eis supplicia Dei, quæ eis impendere cernebant, averterent. Illa quoque ignem & prunas sui amoris in terram projecit; Significat itaque Christum expectasse. ut charitas primorum Christianorum in persecutione Judæorum exardesceret, itaque suam plenitudinem acciperet, antequam iram & vindictam suam in Judæos effunderet.* Ita opinatur Hispanus ille ab Alcasar, abreptus præjudicio opinionis ad quam contorquet omnia ferme Apocalyptica: Recitare hæc talia, est refutare: Non facile habebit hic Jesuita suffragatores.

VI.

Quinto, Rupertus Abbas Tuitiensis *Angelum illum* h.l. intelligit, *qui adfuit Patribus, cujus ministerio lex lata & sacerdotium institutum fuerit*, prout notavit Pareus in Commentario. At vero, ut alibi dixi, Apocalypsis non est Historia præteritorum, sed Prophetia

phetia futurorum, est ἀποκάλυψις, h.e. revelatio rerum abstrusarum futurarum, est *Prophetia*, Cap. 1. 3. c. 22. 7. 10. 19. est eorum *quæ oportet fieri ἐν τάχει*, Apocal. 1. 1. c. 22. 6. quorumque impletio nondum erat inchoata, nedum absoluta sed inchoanda, etsi non uno momento perficienda, *Tempus enim prope erat*, Apoc. 1. 3. ut sc. eorum executio inchoaret. Est eorum *quæ oportet fieri μετὰ ταῦτα*, *posthac*, Apoc. 1. 19. c. 4. 19. Et quorsum illa revelatio rerum præteritarum, jam ante gestarum? Quid opus res ante gestas totoq; jam orbe publicatas obstrusissimis visionum involucris tegere, & operose vestiganda proponere?

VII.

Sexto, Aretas & Dionysius Carthusianus in Comment. exponere videntur de *Angelorum creatorum* ministerio: Ille dicit ex hil. *preces nostras afferri Deo ab Angelis, qui nobis præsident, & ex sese fragrantes fragrantiores ab iis fieri, qui eas tractant & offerunt.* Hic vero, quod Aretas Angelis indefinite tribuit, tantum vindicat *Michaëli*, quippe qui Angelorum in cœlis, & Ecclesiæ in terris sit præses, & *ut præses Ecclesiæ ejus preces offerat Deo.* Et hanc opinionem uti initio dixi, sectantur Patres Jesuitæ plerique non sine præjudicio veritatis, quemadmodum constabit σὺν θεῷ.

IIX.

Denique Septimò, Densa nubes Interpretum, & ut Ribera ingenue confitetur, *plerique ex Patribus* de Christo salvatore intelligunt; Primò id Augustinus affirmat in Annotat. super Apoc. quas etsi Lovanienses censura non putet esse Augustini, sed alterius cujusdam studiosi, sive Tichonius is fuerit, quem magni fecit Augustinus, sive quispiam alius, Sixtus tamen Senensis l. 4. Biblioth. p. 261. arbitratur esse Augustini, etsi ab alio quispiam in Homilias dissectæ fuerint. Augustinum sequuntur Primasius, Beda, Haymo, Ambrosius, Ansbertus, Autor glossæ ordinariæ, Anhelmus Laudanensis autor glossæ Interlinearis; Anshelmus Archiepiscopus Cartuarienses, Richardus à S. victore, Thomas sive is sit Aquinas sive Anglicus, (duo enim extant in Apocalypsin commentarij sub nomine Thomæ, quorum alterum Thomæ Aqui-

mæ Aquinati vendicat, Sixtus Senensis, & in utroq; dicitur quod Christus sit ille Angelus) Hugo Cardinalis, & Anonymus ille, quem Pareus citat in Commentario, & si qui sunt, qui ante Jesuitas scripserunt alii plurimi; Fuit enim, ut Dionysius Carthusianus ipsemet, etsi aliò videatur inclinare, haut tamen diffitetur, *vera* hæc *& catholica sententia, & expositio Catholicorum Doctorum.* Quin ipse etiam Jesuita Viegas in Cap: VIII. Apoc. Sect. 2. hic discedit à gregalibus, & *reliqui*, inquit, *omnes interpretes esse Christum Dominum confitentur; Neq; enim alteri apte accommodari possunt quæ hoc loco ponuntur.* Hæc itaq; expositio tot Patrum firmata placitis, tot probata Dd. Pontificiis, deseritur tamen studio malæ causæ à nostris Jesuitis, qui alias nescio quam thrasonice de Patrum consensu gloriantur, & *omnes Patres* cum Campiano *tam suos esse* dicunt *quam Papam;* Etsi cum ad praxin venitur, optimi isti sexagenarii suâ canitie venerandi de ponte sæpius dejiciantur, & tantum consentiant Jesuitis, quantum Christus Belial, & lux tenebris. Nos hanc B. Patrum expositionem, quia veram arbitramur, aliquot argumentis demonstrabimus, & unâ hac operâ prædictas variorum autorum sententias suâ simul probabilitate dejiciemus, quia plus uno verum esse nequit; Videbimus I. Quis *titulus* Angeli, sive quodnam nomen, II. Quodnam *Officium;* III. Quis *Successus*, IV. Quis in terris *eventus.* Hæc maximam partem suâ evidentiâ monstrabunt, non creatum Spiritum sed Christum Mediatorem esse, qui hic tanquam Angelus in proscenio repræsentatur.

IX.

Primo hic occurrit *Titulus.* Dicitur enim *alius Angelus*, sc. ab *illis septem.* quorum v. 2. facta mentio, *quiq; astant in conspectu Dei, quibus* etiam *datæ sunt septem tubæ;* Ubi per *septem Angelos* quidam Dd. eruditi intelligunt universitatem Angelorum, qui tanquam Sp. ministratorii Deo semper *astant*, Dan. 7. 10. Luc. 1. 19. Nec enim septem præcise sunt Angeli, qui astent soli coram Deo, illique ministrent, sed *millia millium*, & *decies millies centena millia*, Dan 7. 10. eoque epitheto videntur distingui in scripturâ ab Angelis Sa-

tanæ, qui etiamsi sistere sese cogantur coram Dei throno, Job. 1. 6. non tamen astare dicuntur throno Dei, quia ad ministerium Deo debitum non sunt *promti* & expediti: Septenarium itaq; h.l. dicunt esse symbolum perfectionis & universitatis, ut septem significentur non præcisè & proprie, sed συνεκδοχικῶς, universi; Hoc admisso alius ille Angelus, qui à septem istis astantibus throno Dei, h.e. ab *universo* Angelorum creatorum choro distinguitur, non potest esse nisi Christus, Angelus ille Jehovæ, ut SS. aliquoties appellat, Angelus ille fœderis, & magni consilii, omnium Angelorum creatorum princeps & Dominus: Fateor tamen, nisi aliæ rationes solidiores essent, quæ persuaderent, Christum Mediatorem hîc intelligi, non posse me hac unicâ adduci, ut id crederem; Incertum enim est, quid significent septem isti Angeli: Sunt qui interpretantur de *ministris* & pastoribus verbi; sunt qui de *hæreticis*, quorum primus sit Arius, secundus Macedonius, tertius Pelagius, quartus Eutiches, quintus Valens Imperator, sextus Laurentius, qui improbo conatu Papatum affectavit, septimus Justinus junior. Sunt qui de *divinis judiciis* eorumque dispositione exponunt, quas in visione dicunt συμβολικῶς repræsentari per Angelos, quia & judicia ista sunt quidam q. Angeli & nuncii iræ divinæ, & meritarum pœnarum, Sunt denique qui de *Angelis* proprie dictis intelligunt, iisq; vel definite septem vel per synecdochē universis. Proinde ex incerta hypothesi quic quam concludere non annitor, & lubens missa facio, quæ quadā probabilitatis specie forte pro nostra opinione dici possent.

X.

Vanum tamen est operæ pretium, quod Ribera ex h. titulo affectat nostram sententiam convellere, & quidem duplici conatu; Primo, *Christus*, inquit, *nusquam absolute dicitur Angelus*; Falsum illud esse monstravi Puncto II. th. 13. 14. 15. & falsum esse agnovit in h.l. Viegas Riberæ in faciem contrarius, qui, *non recte quosdam è recentioribus* ait *dicere, Christum nunquam absolute dici Angelū*. Neq; in Apocal. novū est, Angelo Christum repræsentari, ut (juxta pl. expositionē) c. 7. 8. 10. 11. c. 20. 1. &c. Huc referri posset quod

mentio

mentio fit *Archangeli*, 1. Thess. 4.16. Jud. Ep. v. 9. quem Christum esse volunt viri haut ignobiles, de quo tamen *σὺν θεῷ* suo loco & tẽpore. Secundo; Illud, *Alius Angelus* hunc de quo sermo est *aliis septem Angelis similem fuisse ostendit sicut cap.7.1. vidi quatuor Angelos, & paulo post; Vidi alium Angelum ascendentem.* At non hoc est necesse; *Alius* enim semper diversitatem sive distinctionem notat, quæ quod interdum sit solius numeri, non speciei, aut essentiæ specificæ, non ex voce *alius*, sed aliunde cognoscitur. In Scripturis enim *alius* sæpe diversitatem, quæ specie, imo etiam toto genere est importat, ut v.g. Non est *in alio quoquam salus*, Act. 4.12. Exivit *alius Equus*, ubi sane non similis, sed prorsus diversa visio intelligitur: Sic Apoc.15.1. *vidi aliud signum in cœlo:* Ita dicitur *Deus alius*, Exod.34.14. *Ignis alius.* Num.3.3. Lev.10.1. *Suffimentum aliud*, Exod. 30.9. *Evangelium aliud*, Gal.1.6. &c. Verum hæc levicula sunt. Ejusmodi obsonia quærunt, quos fames vexat.

XI.

Secundo sequitur *Officium* hujus Angeli, quod sc. *venit & stetit ante altare habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum.* Hic quæ dicuntur omnia ad veteris Testamenti typos sunt accommodata, mystice tamen & pro more visionum intelligenda, Est scriptura in moralibus & *fidei articulis* satis quidem perspicua, vel si quandoq; sit obscura, *nihil* tamen dicente Augustino *de obscuritatibus illis eruitur, quod non planissimè dictum alibi reperiatur:* Unde à literâ non temerè in his est recedendum: Verum in *prophetiis* & visionibus est ænigmatica, & frequenter futura fata per obscura ænigmata, symbola, aut typos & visiones Imaginum corporearum adumbrat, Unde cortici exteriori literarum non est tenaciter inhærendum, (quippe qui absurditatem sæpe præ se fert) sed sensus Prophetiæ à Sp.S. intentus fideliter, quoad fieri potest est indagandus. *Etsi* enim *ea*, ut ait Andreas Cæsariensis in Cap. VIII. Apocal. *quæ Sanctis ostenduntur, non absque materiæ colorumq; Schemate ostendi soleant, sive id altare sit, sive thuribulum, sive aliud quippiam ejusmodi, sunt tamen ea omnia materiæ & colorum*

experti sint, neq; sub corporalium oculorum obtutum veniunt, quod præmonendum fuit.

XII.

Dicitur autem 1. hic Angelus *veniſſe & ſtetiſſe ante altare*, ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον, ad verbum *ſuper altare*, vel ut alii, *apud altare*, qua ſignificatione τὸ ἐπὶ etiam occurrit Apoc. 15. 2. Er hat ſich geſtellet an den Altar/ ut vertit Piſcator. Articulus autem additus in τὸ θυσιαστήριον aliquid certi denotat, nempe *altare* illud *thymiamatis*, factum ex lignis Setim, habens cubitum longitudinis & altetum latitudinis, & 2. cubitos altitudinis, & cornua ex ipſo prodeuntia, auroque veſtitum puriſſimo, in quo ſuaviſſimi odoris aromata, Deo incendebantur, Exod. 30. 1. ſeqq. Et videtur eſſe id, quod Hebr. 9. 4. Vocatur χρυσοῦν θυμιατήριον, *aureum ſuffumigatorium*, licet enim eſſet ex *lignis* ſetim, Exod. 30. 1. & ſaltim tectum auro mundiſſimo, *aureum* tamen dici potuit, prout etiam Moſes appellat, Ex. 39. 38. c. 40. 5. Numer. 4. 11. ſicut altare holocauſtorum dicebatur *æreum* quia æte tectum erat, præſertim quod craticulam habebat mere auream, in qua ignis imponebatur, quæque potiſſimum rationem altaris habebat: θυμιατήριον vero ſive *ſuffumigatorium* dicitur ab uſu, quo nomine etiam appellat Joſephus lib. 3. Antiquit. cap. 7. Syrus vocat בית בסמא *domum aromatum*, LXX. appellare ſolent θυσιαστήριον θυμιάματος, *aram ſuffitus*, Alibi 1. Reg. 6. 22. dicitur הַמִּזְבֵּחַ אֲשֶׁר לַדְּבִיר ad verbum, *altare quod ad oraculum*, Vulgat. *altare oraculi*, Et Levit. 16. 12. מִזְבַּח מִלִּפְנֵי יְהוָה *altare coram Iehova*, ſive ut alii *à conſpectu Iehovæ*; Et verſu 18. מִזְבַּח אֲשֶׁר לִפְנֵי יְהוָה *altare quod eſt coram Domino*, Non ideo, quod poſitum fuerit in ipſis penetralibus Sancti Sanctorum, uti falſo Origenes, Auguſtinus, & alii poſt illos cenſuerunt, *Fuit enim ante velum, quod erat ante arcam teſtimonii è regione propitiatorii operculi quod ſupra teſtimonium erat*, Exod. 30. 6. c. 40. 26. Levit. 16. 12, 13. prout etiam Joſephus deſcribit l. 3. Antiq. cap. 7. l. 8. c. 5. & indicatur inde, quod minoribus Sacerdotibus nefas fuit ingredi in Sancta S. qui tamen in hoc altari *quotidie* incenſum adolebant, Exod. 30. 19.

1. Par.

1.Par.6.49. exemplo Zachariæ, qui, etsi ex vice Abia, octava videlicet Sacerdotum sorte fuerat, atque idcirco summus Sacerdos non erat, tamen in altari suffitus incensum ponebat, Luc. 1.6.8.9. Inde igitur hanc denominationem habet & dicitur *altare quod coram Domino*, quia ita collocatum erat, ut quam vis esset extra velum tamen proximum esset propitiatorio, interposito velo, Junius in Parallelis l. 3. ita collocat, ut *Sacrarium foris quidem sed in ipso aditu ante conspectum Jehovæ habuerit thymiaterium id est aureum illud suffitus vel suffimenti altare, ante arcam testimonij è regione operculi propitiatorij quod erat supra arcam fœderis vel testimonij.* Sic etiam dicitur altare *ad oraculum*, tum quia oraculo proxime erat admotum, ut odorum fragrantia ad oraculum & propiciatorium perveniret, & sic quotidiano suffitu oraculum q. afflaret, tum quia peculiari quodam usu ad oraculum pertinebat, & singulis annis inde sumebatur incensum, quod summus sacerdos offerret in oraculo. Levit. 16. 12. Quo Epistola ad Hebreos videtur respexisse, cum dicit *Sancta Sanctorum habuisse aureum suffumigatorium*, suo sc. usui *peculiariter* destinatum, cap. 9. 4. Ad hoc ergo altare fit respectus, cum dicitur Angelus *ad altare constitisse cum thuribulo aureo*, (quamvis non desint qui putent indicari altare holocausti quod in SS. κατ' ἐξοχὴν ita absolutè sed cum articulo dici solet המזבח τὸ θυσιαστήριον) quod indicio est Angelum hunc *personam Sacerdotis* induisse, quæ enim hic dicuntur conformata plane sunt ad ea quæ in ministerio levitico fieri solebant: Sacerdos enim oblaturus & oraturus pro populo ad aureum suffitus altare prodibat, in quo ignis perpetuus fovebatur, sumtaque acerrâ thymiamata superimponebat, quibus accensis gratum Deo odorem suffumigabat, cumprimis summus Pontifex in festo expiationis *assumebat plenum thuribulum prunis ignitis de altari à conspectu Jehovæ & plenas volas suas de incenso aromatico comminuto, & inferebat intra velum, ponebatque incensum super ignem coram Jehova, & operiebat nubes incensi propiciatorium quod est super testimonium*, Levit, 16.12.13. Hue respicit nostra visio: Is ergo, quod primum est fundamentum nostræ opinionis, qui gerit personam & offi-

cium Sacerdotis in N. Test. quique per V. Test. Sacerdotes cum primis Pontificem M. (ad quem h. l. respectus est) est præfiguratus tanquam *Ecclesiæ* N. T. *Sacerdos*, h. l. per Angelum intelligendus est: Atqui nemini hoc competit præterquam soli Christo: Is enim est unicus & solus N. T. *Sacerdos*, Hebr. 5. 5. c. 7. 23. c. 9. 15. qui *semel semetipsum obtulit*, Ebr. 7. 29. c. 9. 28. & *unica oblatione consummavit Sanctificandos*, Hebr. 10. 14. Nuspiam vero Angeli proprie dicti leguntur functi sacerdotio, aut Sacerdotum personam officiumque in sese derivasse, sed solius Christi est in veritate, quod in typo fuit Sacerdotum V. T. *Omnis enim Pontifex ex hominibus assumtus pro hominibus constituitur*, Hebr. 5. 1. neque scriptura habet aut novit sacerdotes proprie tales nisi qui sunt vel secundum ordinem Aaronis, adeoque offerunt *sæpe* cruentas victimas, quod factum in V. T Hebr. 7. 27. vel secundum ordinem Melchisedech, quod sacerdotium solius Christi est, Ps. 110. 4. Ebr. 7. 1. 5. seqq. Et licet pii quandoque dicantur *Sacerdotes*, Ap. 1. 6. c. 5. 10. c. 20. 6. 1. Pet. 2. 5. 9. fit tamen illud improprie *propter mysticum chrisma, quia sunt membra unius Sacerdotis*, ut ait Augustinus l. 20. de C. D. c. 10. Solus Christus *proprie* est unicus & summus N. T. Sacerdos, quem etiam solum *non* vero *Sanctos* V. T. *Pontifex repræsentabat*, ut not. Cornelius à Lapide hîc, p. 168. Proinde omnium convenientissimum est, per Angelum Sacerdotem h. l. Christum intelligere, quod uberius etiam ex seqq. patefiet.

XIII.

Quid vero h. l. *Altare illud significat, ad quod hic Angelus v. g. Christus dicitur constitisse?* Videbitur forte cuipiam inconveniens hoc Angelo Christum denotari, quia Christus potius altare illud est, in quo offeruntur preces & vota fidelium ut Deo placeant, nam *nulla est grata Deo nisi Christus filius ara.* Resp. Primas. Beda, Ansbertus & si qui sunt alii per altare putant denotari Ecclesiam sive fideles in quibus hæc incensa offerantur, Rectius tamen Andreas Cæsariensis *Altare hoc*, inquit, est *Christus in quo omnis sancta & ministratoria vis posita est omniumque Martyrum victimæ & sacrificia immolantur & offeruntur*; quæ locutio etiam videtur ab Apostolo atten-

attendi, Hebr. 13. 10. *Habemus altare, de quo non fas est edere qui tabernaculo deserviunt;* Altare illud noster Salvator est, cujus beneficiis non fruuntur, qui ceremoniis Leviticis per Christum antiquatis tenaciter insistunt; Hunc vero simul & altare & sacrificium & sacerdotem diversos ob respectus dici posse nil repugnat; Est *Sacerdos per quem sumus reconciliati, sacrificium quo reconciliati, templum* (& altare) *in quo reconciliati, Deus cui reconciliati* sumus, ut bene Augustinus ait l. de Fide ad Petrum c. 20. Est *Sacerdos & Hostia, agnus & pastor, qui pro ovibus suis, & pastor pro pastoribus suis agnus occisus est, Ipse enim Dominus hostia omnium Sacerdotum est, qui semetipsum pro omnium reconciliatione patri lubens victima sacerdotii sui, & sacerdos suæ victimæ fuit, cujus nunc & uni omnium Domino omnis nova creatura sacrificium, ipsique sunt hostiæ sacerdotes,* prout Paulinus ad Sulpitium Severum scribit Epist. 5. Tom. 3. Biblioth. S. Patrum. Mirum ergo & novum esse non debet Christum hic Altare simul & Sacerdotem esse, ita enim in una & eadem *visione* sub variis imaginibus ad diversos actionum & perpessionum respectus insinuandos modo ut Agnus & victima, modo ut sacerdos modo ut altare pro rei convenientiâ introducitur & repræsentatur. Solent enim in ejusmodi visionibus *plura* quandoque rem *unam* repræsentare sub diversis respectibus, &c.

XIV.

II. Dicuntur huic Angelo *dati suffitus multi, ut daret de orationibus Sanctorum omnium;* Solebat Sacerdos singulis diebus mane & vesperi in altari thymiatis *Suffitus adolere,* Exod. 30. 7. 8. & uti in Misna Massecheth תמיד cap. 5. dicitur, is qui adolebat *suffitum capiebat vas ingens simile* לתרקב גדול, *aureum capiens tres cabos cum cochleari, pleno & exuberante suffitu;* Quo dubio procul huc respectus est, cum dicuntur θυμιάματα πολλὰ *suffitus multi,* ut tum copia, tum varietas aromatum significetur; fuere enim variæ species aromatum è quibus confectum est incensum, quarum *quatuor* numerat Moses, Exod. 30. 34. Josephus vero dicit τὸ θυμιατήριον διὰ τῶν τριςκαίδεκα θυμιαμάτων compositum fuisse l. 6. de Bello Jud. c. 6. Thymiamata autem illa precum piarum

rum imago & typus sunt, *Phialæ* enim *plenæ thymiamatis sunt orationes Sanctorum* Apoc. 5. 8. & ascendit oratio sursum instar thuris *& dirigitur sicut suffitus in conspectu Dei*, Ps. 141. 2. Et sicut thura una cum reliquis aromatis quæ ad thymiama adhibebantur erant fragrantissimi odoris, quibus fætor omnis abigebatur, & squallidus aër suis purgabatur inquinamentis; Ita orationes Sanctorum in Christo oblatæ Deum mirifice delectant, mentis fœtorem arcent, & naturam suis vitiis depurant. Sicut thymiamatis compositio arte pigmentarij confecta, *contusa*, & in pulverem redacta offerri debebat Domino; Ita contritum & humiliatum cor per preces necesse est Domino sisti; Illud enim est thus mundum ex quo Deus capit mirum suavitatis odorē; Sicut è regione propiciatorii in altari thymiamatis adoleri debebat incensū, Ita in virtute meriti Christi, qui solus est nostrum ἱλαστήριον illo veteri præfiguratum, Rom. 3. 25. & solus nostrum θυμιατήριον, cui precum suffitus imponi debet, solæ quoque preces nostræ valent & Deo placent. Sicut ara thymiamatis sanguine victimæ expiatoriæ erat aspersa; Ita nemo nisi sanguine Christi expiatus in oratione sua Deo placet, nullaque Deo grata est oratio nisi aspersa sanguine Christi, extra quem suffitus est *abominatio Jehovæ*, Es. 1. 13. Sicut thymiama illud Mosis res erat sacra, ad solius Dei cultum destinata, cujus abusus sub gravi pœna prohibebatur, *ne talem compositionem facerent in usus suos, quia Sanctum erat Domino, Homo enim*, inquit Jehovah, *quicunque fecerit simile, ut odore illius perfruatur, peribit de populo suo*, Exod. 30. 37. 38. Ita cultus religiosæ adorationis & invocationis non alteri quam soli Deo est deferendus, qui *suam gloriam alteri dari* haut permittit, Es. 42. 9. Sicut item Aaron *adolebat incensum super altari suave fragrans mane, & quando componebat lucernas, incendebat illud, & quando collocabat eas ad vesperam, urere debebat thymiama sempiternum coram Domino*, Exod. 30. 7. 8. Ita oratio nostra grata est si fidei lumen precedat, si item quotidiana sit, & *indesinens*, 1. Thess. 1. 17. Eph. 6. 18.

XV.

Sunt ergo *Suffitus multi* h. l. preces multæ, aut si mavis, (de

quo

quo tamen mox dicam) illa suavis precum εὐωδία, fragrantia & gratiositas, quibus perfusæ ad Deum transmeant, ut explicat Pareus. Dicuntur autem *dati* huic Angelo suffitus isti: Ex quo male colligit Brigthmannus, Christum h. l. significari non posse, qui *non aliunde accipiat suffitus, sed ipse ut refertissimus thesaurus omnium gratiarum largiatur singulis quantum opus est.* Est enim hoc ex V. T. recepta consuetudine dictum, sicut & reliqua, Nam uti ex Massecheth תמיד loco citato constat, odores *dabantur* ei qui incensum faciebat, & *qui sortitus erat munus adolendi suffitus, accipiebat cochlear de medio acerræ, dabatque illud proximo seu amico suo qui adstabat illi, & quod effundebatur ex eo,* (cochleari) *in medium ejus* (acerræ) *dabat illud in pugnum ejus,* qui incensum adolebat, Abulensis in Exod. cap. 13. quæst. 7. dicit, Sacerdotem primo ad altare holocaustorum iviisse ex cujus cornibus pendebant thuribula & ignium receptacula, indeque cæpisse unum thuribulum atq; in eo prunas ignis, quas ex altari holocaustorum accipiebat, reposuisse, Deinde intrasse sanctum ibique accepisse thymiama ex thuribulis quæ erant supra mensam panum propositionis, illudq; imposuisse suo thuribulo & igni, mox hoc suum thuribulum cum igne & thymiamate posuisse super altare thymiamatis, ubi adolebatur & combrebatur thymiama, quo consumto deinde tollebat Sacerdos suum thuribulum atque egrediens extra castra illud evacuabat, cineresque loco mundo effundebat, ac denique referebat thuribulum ad altare holicaustorum, suspendebatque rursum ex cornibus illius unde sustulerat. Hæc ex Abulensi, quæ suo loco relinquimus, putamus tamen id Veteris Test. more dictum, quod hoc loco dati dicuntur suffitus, qui etiam *dantur Christo, quando in Christi nomine,* quod Parei verbis contra Brigthmannum observo, *preces suspiria & gemitus piorum de terra sursum mittuntur ad Deum. Proinde verbum DANDI non arguit hunc Angelum Christum non esse. Ipse enim profitetur, omnia sibi data esse à patre suo, nempe ut homini & Mediatori, & est quidem ipse inexhaustus gratiarum thesaurus largiens singulis, quantum opus est, ut aliunde accipere suffitus necesse non habeat. Dati vero sunt ei suffitus, non quibus ipse egeret, sed quos ex officio Patri offerret.*

Quibus verbis licet suppresso nomine ex propositio tamen suum Brigtmannum refutavit Pareus.

XVI.

Porro, dati dicuntur Angelo isti suffitus, ἵνα δώσῃ ταῖς προσευχαῖς τῶν ἁγίων πάντων Vulgatus, Erasmus, Vatabl. *ut daret De orationibus Sanctorum omnium*, Beza, Piscator, Pareus, *Ut offerret* sive *poneret CUM orationibus Sanctorum omnium*; Videtur enim esse Ellipsis præpositi. *De* vel *Cū*, Vulgato & Erasmo placet illud, *De precibus*, ut sit idem quod Hebrei dicunt מִתְּפִלּוֹת quibus tamen illud מ aut ב aut aliud correspondens sæpe solet excidere & deficere, ut Exod. 37. 6. *fecit propiciatorium* זהב טהור auro mundo, h e. *de auro*, ut legit Vulgatus. v. 7 *fecit Cherubim* auro, h. e. *de auro*, Sic 1. Reg 6. 31. 32 *fecit valvas* lignis pineis, h. e. de lignis &c. Ut ita h.l. dicatur fumus suffituum precibus h.e. *de precibus* datus Angelo, qui illud thymiama ex variis orationibus confectum conjiceret in suum thuribulum & ita Deo offerret; Non enim aliud h.l. incensum vel thymiama est, quam istæ preces Sanctorum uti dictum. Beza tamen legit *Cum precibus*, Solet enim & quandoque עִם vel אֵת *Cum* deesse, ut Levit. 26. 42. *Recordator fœderis mei Jacob, & fœderis mei Isaac, & fœderis mei Abraham, h. e.* את *cum Jacob, cum Isaac, cum Abraham*, Deut. 32. 43. *Cantate gentes* עַמּוֹ *populo ejus*, pro אֶת־עַמּוֹ vel עם עמו *cum populo ejus*, μετὰ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ, ut Rom. 15. 10. Apostolus exponit. Ut ita h.l. fumus suffituum sit typus Satisfactionis & intercessionis Christi, Ephes. 5. 2. quæ *cum precibus* nostris ad DEum q. perveniat, easque ratas & gratas faciat; *Quorsum enim nostræ preces*, inquit Beza, *quorsum quicquid à nobis potest proficisci nisi adsit imprimis unicæ illius oblationis gratus odor? nisi inquam prius in filio per fidem justificati placeamus?* Pareus putat sine ellipsi posse intelligi, *quod Christo dati sunt suffitus, ἵνα δώσῃ, quos daret, h. e. adderet, conferret precibus Sanctorum, & sic per suffitum intelligenda erit gratiositas, qua preces Sanctorum perfusæ fiunt Deo acceptæ: Quæ vero gratiositas,*

sitas, inquit, *nisi pretiosum Christi meritum, propter quod & nos placemus, & preces nostræ placent Deo*, Eph. 1. 6. 1. Pet. 2. 5. Eph. 6. 2. Et hæc certe verissima sunt, preces nostras non aliter quam pretiosissimo Christi merito Deo gratiosas fieri; Simplicius tamen videtur, ut suffitu isto non tam Christi merita quam nostras preces h.l. significari dicamus, quamvis neutrum vel fidei analogiæ, vel circumstantiæ loci, vel nostræ opinioni repugnet. Castalio in Bibliis opinatur mendum esse hoc loco, & *pro* τῆς προσευχαῖς *legendum* τὰς προσευχὰς, h. m. *eiq; sunt data multa suffimenta ut Sanctorum omnium supplicationes ad auream aram ante solium positam obmoveret*, & hujus errati *causam fuisse* dicit, *quod mox sequitur*, τῆς προσευχαῖς, *arbitrato scriba idem utrobique legendum esse*. Verum non est necesse, ut sine causa cruces & sphalmata nobis fingamus ubi non sunt: Ex his vero omnibus quæ dicta sunt, evidens pro nostra sententia ratio deducitur, dicuntur enim huic Angelo *dati suffitus*, tanquam Sacerdoti, *ut daret de precibus Sanctorum omnium*; At vero *Cujus alterius est* omnium h. e. *universæ Ecclesiæ incensa & orationes in thuribulo aureo tanta majestatis specie offerre*, præterquam solus Christi? ut recte ait Bl. Viegas h.l. Sicut olim solius Sacerdotis erat suffitum adolere Deo, Exod. 30. 7 2. Chron. 26. 17. Ita & hodie in N. T. preces Sanctorum & eo magis Sanctorum *omnium* nemini offerre fas est nisi soli Christo.

XVII.

Tertio hic notari debet *Officii Successus*, quomodo sc. hæc precum ad Deum facta oblatio successerit: *Ascendit enim fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo*, ubi eadem in Græco Ellipsis quæ paullo ante, ἀνέβη ὁ καπνὸς τῶν θυμιαμάτων τῆς προσευχαῖς τῶν ἁγίων. Castalio arbitratur Hebraico more τῆς προσευχαῖς positum esse pro τῶν προσευχῶν, Dativum pro Genitivo, quæ ἀντίπτωσις in Scripturis haut infrequens, ut Coloss. 2. 14. ἐξαλείψας τὸ καθ' ἡμῶν χειρόγραφον τοῖς δόγμασι *obliterato placitorum chirographo*, ut legit Castalio,

Item 2. Cor. 12. 7. *Appositus est mihi stimulus carni*, pro *carnis*, Quo etiam referri putat illud in Psalmorum Titulis τῷ Δαβὶδ, pro τοῦ Δαβὶδ. Nobis est simplicius Ellipsin ante dictam h. l. retinere, Dicitur ergo *fumus incensorum de precibus* vel *ex precibus* ad Deum de manu Angeli ascendisse, quo oblationis successus & effectus indicatur, preces sc. illas Sanctorum mira fragrantia, quam non à se sed à Christi merito habent, perfusas in Dei conspectum venisse & beneficia postulata impetrasse: Ascendere enim in Dei conspectum ubi de precibus sermo est, significat Deo placere, exaudiri, ratum & acceptum esse, ut Exod. 3. 9. *Clamor Israelitarum venit ad me*, Act. 10. 4. *Preces tuæ ascenderunt in memoriam coram Deo*, h. e. *exauditæ* & acceptatæ sunt, ut exponitur v. 31. Is ergo, qui Deo ratas & gratas facit merito & intercessione sive oblatione suâ preces omnium Sanctorum, h. l. Angelus est; At vero solus Christus Mediator eo loco est, qui possit preces nostras sui meriti fragrantia perfundere, Deoque acceptas facere, Quia solus pro peccatis, quæ Deum aversum faciunt, satisfacere, solus Deo nos reconciliare, solus precum sordes abluere, solus earum imperfectionem suis meritis supplere, & tegere potest unde nuspiam *per alium* quam per Christum leguntur preces nostræ in Dei conspectum venire; Non per angelos sed Christum sacerdotem accedimus,, Ebr. 7. 25. Rom. 5. 2. Eph. 2. 18. & offerimus Deo sacrificia laudis & precũ, Ebr. 13. 15. de quo me vidi Punct. VII. p. 87. seq. Christus itaque & h. l. est Angelus per cujus manum fit oblatio precum, quę Deo rata & accepta habeatur. Et sane si visio hæc Johannitica attente consideretur, Angelus hic ingruente malorum agmine ut *Ecclesiæ militantis intercessor* introducitur, (more Apocalypsi consueto, quæ ejusmodi paraskeves consolatorias visionibus malorum præsagis solet præmittere) ne dum pii audiunt *Septem* malorum *Tubicines* instare, Apoc. 8. 2. nuncios malorum, pœnarum & afflictionum graviſſimos, animos prorsus desponderant, sed firmi potius maneant & πρόαγωνοι, ut qui de precum ad Deum per hujus Angeli manum oblatione, ejusque intercessio-

terceſſione, & conſequenti exauditione certi eſſe poſſint. Hanc vero ſpartam tam auguſtam quis deſignabit Angelo creato?

XVIII.

Denique Quarto ſequitur totius negocii *Eventus*, quid inde ſecutum ſit, quod Angelus hic Deo ſuffitus adolevit. *Angelus* enim *accepit thuribulum & implevit de Igne altaris & miſit in terram, & facta ſunt tonitrua, voces, & fulgura & terræ motus magnus.* Hæc verba in diverſas partes rapiunt Interpp. *Primo* Alcaſar *Ignem Charitatis*, & religionis intelligit, qui *miſſus* dicatur *in terram*, quia etſi pii in primitiva Eccleſia non potuerint impetrare Iudæorum infidelium converſionem, nec ab iis avertere ſupplicia ſeptem tubarum, tamen mitigarint iram & vindictam Dei, ac impetrarint ut multi ex Iudæis ad Chriſtum converterentur, atq; Deus ſupplicia ſeptem tubarum non pauca ad tertiam partem coarctaret; Per tonitrua vero fulgura & terræ motus dicit ſignificari admirabilem primitivæ Eccleſiæ prædicationem, cum ſanctimoniæ ſplendore & verbi efficacitate conjunctam & magnam vitæ mutationem (quam repræſentet terræ motus) in eorum animabus, qui cœleſti illi prædicationi ſe ſubjugabant. Hæc ille prorſus ἀποτόπως, quia non ad Iudæos ſed ad Eccleſiam hæc viſio ſeptem tubarum ſpectat de quo alibi dicitur. *Secunda*, Alii non pauci exponunt de *Igne Spiritus Sancti*, qui ſic vocetur ex Matth.3. 11. Act.2.3. & ex altari quaſi celeſti mittatur & abjiciatur ad Eccleſiam in terras, Ioh.14.26 cap.15. 26. unde fiat terræ motus per Evangelium in priorum cordibus ad ſalutem, & fulgura ac tonitrua in terrefactis & ex animatis hominum impiorum conſcientiis, *Tertio*, non pauci interpretantur πῦρ ἁμαρτηλικὸν *Ignem punitorium* ut vocat Andreas Cæſarienſis in Comment. ſive vindictæ divinæ, ita ut fumus ille aſcendens è thuribulo ad Deum ſit cauſa fulminum, tonitruum, &c. h.e. atrociſſimorum ſuppliciorum qualia deinceps ſeptem tubis enarrantur, & quæ è thuribulo & altari h.e. prædicatione Evangelii propter ſtuporem & pertinaciam in terram & homines terrenos projiciuntur. Et hoc arbitra-

mur convenientissimum, si de *Igne vindictæ* intelligatur, qui tamen missus sit *è thuribulo* in terram, quod piorum preces ad Deum per manum Angeli aureo thuribulo delatæ & exauditæ hostibus Ecclesiæ pœnas exitiales in capita projiciant, & impetrent fulgura, voces, tonitrua, signa sc. omnipotentiæ divinæ, argumenta majestatis ejus, & judiciorum in impios instrumenta, vide c. 4 5. c. 10. 3. c. 11. 13. 10. &c. Nostræ vero opinioni nihil roboris decrescit sive de charitatis, sive de vindictæ igne intelligas, Christus enim est qui *venit ignem mittere in terras*, Luc. 12. 49. Et *cujus est* inquit Blasius de Viegas, *præterquam Christi de igne quo thuribulum aureum erat impletum, partem in terras misisse, eosq; divini amoris igne, & ignitis Sp. S. donis inflammasse?* Cujus est præterquam Christi hostibus Ecclesiæ pœnas tanta specie majestatis *immittere?* Et hæc sufficere posse arbitror adversario non nimium præfracto, unde cognoscere facile potest, argumenta nobis non deesse, quibus persuasi in constantem veterum opinionem descendamus, quæ hunc Angelum de Salvatore Christo exposuit, de quo jam satis.

XIX.

Punctum XVIII. & ULT.

De Angelo qui Paulo astitit, Act. 27. 23.

Quis fuerit, & an Paulus illum invocarit?

Nono, Jesuita quidam Padebornensis in illo loco reperire sibi visus est, non quod in faba pueri; ubi Paulus dicit, Act. 27. 23. *Astitit mihi hac nocte Angelus Dei cujus sum ego, & cui deservio dicens: Ne timeas Paule, Cæsari te oportet sisti. Ergo*, inquit ille, *Apostolus serviit Angelo, eundem juxta Patriarchæ Iacobi exemplum invocando ut in angustiis auxilio suo ei præsto esset.* Brevissime & ὡς ἐν παρόδῳ pro coronide hunc locum attingam, quia non est objectio cujusdam momenti, Salmeroni *in Evangeliis & Epistolis nihil habetur expressū de Invocatione Sanctorum, sed demum in Apocalypsi*, uti fatetur disp. 7. in 1. Tim. 2. Lorinus item, Ferus, Hofmeisterus, Stapletonus, Lapideus Cornelius, Vasquez, Bellarminus, Becanus, & si qui sunt alii hunc locum

cum prorsus prætermittunt; Unde mirari aliquis posset, cur solus sapiat & unicus iste Jesuita, reliqui volitent sicut umbra.

XX.

Hic vero non nude dici sed insuper rationibus, muniri oportebat ea, quæ Iesuita in pium Paulum effutit; Non asserit Paulus sese Angelo isti servisse sed dicit saltim, *astitit mihi hac nocte Angelus Dei, cujus sum ego, & cui deservio*, ᾧ κὰγὼ λατρεύω, id est, *quem latria colo*, ut exponit Cornelius: Ubi illud ᾧ κὰγὼ & non ad Angelum, sed ad Deum ceu proximum antecedens merito refertur, h.m. *Astitit mihi hac nocte Angelus Dei, cujus* sc. Dei *sum ego* minister cultor & Apostolus, *& cui* Deo *deservio*; Nisi hoc admittat Iesuita, necesse est ut dicat Angelo latriæ cultum esse delatum à Paulo, quod esset gravissimum idololatriæ crimen Apostolo impingere, & Pontificias hypotheses evertere, quæ latriam duliæ contra distinguunt, & dicunt *scriptores sacros vocem illam* λατρεια *nunquam usurpare nisi pro cultu solius Dei*, ut est apud Bellarm. l. 1. de Invocat. Sanct. c. 12. Paulo vero in os contradicere, qui alibi testatur cui serviat religiosè, soli nempe Deo, Act. 20. 19. Rom. 1. 9. Phil. 3. 3. 2. Tim. 1. 3. & *cujus* sit, nempe Dei, ut ipsa passim Epistolarum frontispicia indicant. Neq; uspiam piorum aliquis in SS. dicitur esse Angeli alicujus, sed Dei, ut qui *sibi* acquisivit λαὸν περιούσιον, Tit. 2. 14. *sibi* creavit, redemit, reparavit &c. Sed nolo in re plana diutius hærere.

Finio hic Tractationem de Illegitimo & Idololatrico *Cultu Angelorum*, exhibiturus propediem, σὺν θεῷ, ea quæ de *Præsidiis Angelorum* dici poterant, peculiari *Opusculo* de Angelis. *Tibi vero Magne Deus & pater luminum gratias devotis gemitibus fundo pro omni à te mihi præstito auxilio & beneficio: Tu porro sicut scis & sicut vis nunc & in perpetuum mei miserere per Jesum crucifixum pro peccatis meis, Amen.*

Amen.

GLORIA SOLI DEO.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958736/phys_0439
DFG

INDEX TITULORUM.

Disputatio I. de Idololatria in genere — p. 1.

Puncta

1. De origine Angelolatriæ — p. 25.
2. De adoratione religiosa Angelorum. p. 40.
3. An Angelis sint templa ad cultum erigenda? p. 65.
4. An per Angelos iurare liceat? p. 75.
5. An Angeli sciant cordis secreta? p. 79.
6. An Angelus mirâ quâdam nâe celeritate sit ubiq; ut possit preces audire? p. 83.
7. An Angeli offerant Deo preces nostras? p. 85.
8. An Angeli religiosè sint invocandi? p. 89.
9. De apparitione trium virorum Abrahamo factâ Gen. 18. p. 155.
10. De lucta Jacobi cum Angelo Gen. 32. p. 211.
12. De angelo auxiliatore Gen. 48. p. 261.
13. De principe exercitus Jehovæ Jos. 5. p. 281.
14. De Angelo orante pro populo Zach. 1. p. 305.
15. De Angelo Tobiæ Comite Tob. 5. p. 321.
16. De Septem Spiritibus Apoc. 1, 4. p. 377.
17. De Angelo intercessore Apoc. 8. p. 413.
18. De Angelo qui Paulo astitit Act. 27. p. 434.

INDEX.
SCRIPTURÆ LOCORUM.

GENES.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	2	408
	26	334
	28	274
II.	1	289
	2	395
	3	275. 395
	18	408
IV.	4	334
	10	191
	19	23
	25	398
	26	66. 103. 22
V.	10	105
	22	23
VI.	1	23
	5	22
VII.	4	396
	19	396
IIX	10	396.
	12	396
	21	22
IX.	25	277
	26	276
XI.	7	390
XII.	4	274
	7	180
	8	104. 105
XIV.	13	158
	18	276
	19	276
	22	77
XVI.	2	219
	7	218. 42
	8	219
	9	219
	10	177
	13	174. 178
XVII.	5	219
	6	219
	12	5
XIIX.	1	156
	2	155. 156. 323. 186. 190. Integra Disput.
	22	158. 164
	25	177
XIX.	1	44. 186. 161. 164 162
	13	161. 162. 164
	19	192
	22	202

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958736/phys_0441
DFG

Cap.	Vers.	Pag.
XX.	18	219
XXI.	12	276
	23	77
XXII.	5	44
	11	42. 222.
	12	222
	15	ibid.
	16	219. 222
XXIII.	7	44
	12	44
	17	158
	19	ibid.
XXIV.	2	77
	26	44
	35	274
XXV.	9	158
XXVII.	17	318
	27	276
	29	44
	41	266
XXIX.	12	173
	13	265. 222. 219.
	15	265. 268.
	20	222. 265
XXIX.	31	219
XXX.	8	330
	22	219
	38	267.
	39	ibid.
	43	ibid.
XXXI.	11	265. 267. 268. 223.
	12	267
	13	265. 223

Cap.	Vers.	Pag.
	16	23
	19	5
	32	4
	53	77
XXXII.	2	265
	3	240
	4	227
	6	ibid.
	7	ibid.
	11	ibid.
	14	ibid.
	15	ibid.
	&c.	
	24	177. sed pag. 218. integra Disp.
	26	155. 177. 178. 180. 211.
	28	330
	30	174.
XXXIII.	3	398. 44.
	4	266.
	6	44
	7	ibid.
	11	274
XXXV.	1	180. 222. 265.
	2	5
	4	5
	27	158
XXVII.	7	44
	9	44
XXXIX.	5	274
XLI.	2	396

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958736/phys_0442
DFG

Cap.	Vers.	Pag.
XLII.	7	44
	15	57
	23	41
XLIII.	26	44
XLV.	22	318
XLVII.	31	44
XLVIII.	12	44
	15	277
	16	42. 160. 155. 265. 177. 178. 180. 250. sed pag. 261. integra Disp.
XLIX.	1	277
	8	44
	25	274
	29	158
	30	ibid.
L.	13	158

EXODUS.

Cap.	Vers.	Pag.
III.	2	42. 174. 293.
	3	218. 224.
	4	ibid.
	5	331. seq. 292. 304.
	6	232
	7	177 178.
	12	237. 2.
	13	175
	14	228. seqq. 238.
	15	304
	16	228
IV.	5	228
	23	2
	31	44
VI.	3	175
VII.	16	2
	25	396
IX.	1	2
	9	251
	14	2
X	3	2
XII.	12	4
	15	396
	16	58
	19	396
	27	44
	31	2
	41	292
	43	58
XII.	16	2
XIII.	6	396
	7	ibid.
	18	238
	21	234. 237
XIV.	19	42. 233. 234. 235. 236. 237. 293.
XV.	2	116
	3	175
XVI.	8	234
XIIX.	11	4
XIX.	6	316
	12	232
	16 seq.	183
XX.	1	183
	3	58. 109.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958736/phys_0443
DFG

Cap.	Vers.	Pag.
	4	10.9.5.23.
	5	2.23.
	20	397
	23	5
XXI.	2	396.397
	6	396
XXII.	20	110.237.4.
XXIII.	10	397
	13	76.4.23.
	15	396
	20	42.293
	21	233.234.235.
	24	44.2.6.
	25	2
	32	6
XXV.	9	66
	22	66
XXVII.	20	410
XXIX.	35	396
	37	ibid.
XXX.	1	424
	6	424
	7	87.121.427.
	9	423
	19	302 424.
	34	426
	37	428
XXXII.	1	4
	10	24
	18	173
	31	5.13.
	34	233.235
XXXIII.	6	293
	9	237
	14	234.236
	15	ibid.
	18	180
	20	247
XXXIV.	12	44.
	14	423.3.4.23.
	15	3.4.10.
	16	5
	18	396
	26	67
XXXVII.	6	430
XXXIIX.	8	287
XXXIX.	38	424
XL.	5	424
	26	424

LEVITICUS.

Cap.	Vers.	Pag.
IV.	6	396
	17	396
IIX.	33	396
IX.	4	425
X.	1	423.4.
XII.	2	396
XIII.	4	396
	5	ibid.
	26	ibid.
	30	ibid.
	50	ibid.
	54	ibid.
XIV.	8	396

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958736/phys_0444
DFG

Cap.	Vers.	Pag.
	16	396.
	38	ibid.
	51	ibid.
XV.	13	396
	24	ibid.
	28	ibid.
XVI.	2	304.
	12	424.425.
	19	396
	31	67
XIX.	2	5
	4	4
	16	9
XX.	5	3.4.
	6	3.4.
XXIII.	3	2
	15	395.396
	18	396
	23	395
	40	312
XXV.	2	395
	3	397
	8	397
	10	104
XXVI.	16	24
	18	398
	21	398
	24	ibid.
	28	ibid.
	30	10

NUMERI.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	2	288
III.	3	423.4.
IV.	3	288
	11	424
	23	287
	47	288
VI.	22	274
	23	175.276
VII.	89	66
IIX.	24	287.288.
IX.	15	66
XII.	5	234
	8	248.313.
	14	396
	15	ibid.
XIV.	14	234
XV.	14	403
	39	47.124.16.17.20.
XVI.	32	121
XIX.	2	58
	11	396
	14	ibid.
	16	ibid.
XX.	6	235
	16	233.234.293.
XXI.	21	41
	24	212
XXII.	5	41
	13	297
XXIII.	21	11
	2	6
XXV.	1	23
	2	4
XXIIX.	18	2

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958736/phys_0445
DFG

Cap.	Vers.	Pag.
XXIX.	1	2
	2	396
	4	ibid.
	8	ibid.
	10	ibid.
	22	ibid.
XXXI.	19	396
XXXIII.	52	6

DEUTERONOM.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	33	234 237.
	35	4
II.	26	41
	37	212
III.	16	212
IV.	2	47. 126.
	12	248
	15	ibid.
	16	5
	18	288
	19	2
	25	23
	28	5
	37	234. 236
V.	4	248
	7	58. 4.
	8	5
	9	2.
VI.	13	58. 76. 106 180. 272 2.
	14	4. 6. 23.
	15	24
VII.	4	2. 4
	6	316
	13	274
	25	3. 6.
IIX.	12	5
	14	24
	19	2. 4.
IX.	4	3
	5	3
X.	8	310. 407.
	12	2
	20	76. 180. 2.
	23	58
XI.	13	2
	16	4
XII.	2	2
	3	5.
	8	47. 17.
	11	66
	31	3
	32	47. 124
XIII.	2	2. 4
	3	62
	6	2. 4.
	13	2. 4.
	14	6
XV.	12	396. 397
XVI.	3	396
	9	395. 2.
XVII.	2	24
	3	47. 60. 124. 288 2. 47.
XIIX.	9	6
	20	4

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958736/phys_0446
DFG

Cap.	Vers.	Pag.
XXII.	17	22
	27	24
XXIII.	1	67
	18	ibid.
XXV.	9	301. 303
XXVI.	10	44
XXVII.	15	3. 5. 6.
XXIIX.	3	274
	7	398
	14	2.4.
	24	251.
	20	3
	25	398
XXIX.	17	4
	18	2
	26	4
XXX.	17	2.4.
XXXI.	3	234
	10	396
	16	5
	17	24
	18	4
	15	237
	16	3.4
	20	2
XXXII.	5	4
	9	316
	12	234. 237. 5.
	16	4.6
	20	4
	21	2.4.
	22	24
	29	23
	30	257
	37	6
	26	24
	2	183.
XXXIII.	16	232
	19	298
	29	298
XXXIV.	3	282.

JOSUA.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	6.	292
V.	13	281 seq. Tot. Disp.
	14	155
VI.	1	283
	20	397
	26	282
IIX.	34	104
X.	10	283
XII.	2	212
XIV.	15	158
XV.	13	158
	55	158
XXII.	5	2
XXIII.	7	76.2
	16	2.4
XXIV.	2	2.4
	20	24

JUDICUM.

Cap.	Vers	Pag.
I.	8	384
	10	158

Cap.

Cap.	Vers.	Pag.
	16	282
II.	7	62
	10	23
	11	2
	12	23.
	14	24
	17	3. 4.
	19	3
III.	6	2
	12	282
	13	ibid.
IIX.	33	3. 4.
	8	212
	17	212
X.	6	3
	7	24
	16	2. 5.
	13	3
XII.	13	24
XIII.	3	42
	16	110. 237.
XIV.	12	318
	13	318
	19	328
XVII.	3	1
	5	5. 9. 13.
XIIX.	14	5
	17	
	31	67
XIX.	18	67
XX.	2	67
	18	ibid.
XXI.	2	67

Cap.	Vers.	Pag.
XXIV.	20.	5.

Liber RUTH.

Cap.	Vers	Pag.
IV.	7	301. 303.
	15	398

Prior SAMUEL.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	5	229
	6	219
	26	75
II.	5	398
V.	21	5
VII.	3	62
IIX.	8	3
XII.	11	62
XV.	23	5
XVI.	7	81
	23	310
	24	336. 340. 353.
XVII.	24	67
XIIX.	9	336. 340. 353.
	12	6
	13	5
	16	11
XIX.	6	77
XX.	24	62
XXV.	27	274
XXIIX.	10	77
XXX.	15	77
XXXI.	9	5

Poste-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958736/phys_0448
DFG

Posterior SAMUEL.

Cap.	Vers.	Pag.
VI.	2	101
X.	5	282
XII.	20	67
	21	5
XV.	30	2
	30	301
XIX.	25	301
XXIII.	2	313

Prior REGUM.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	29	77
III.	1	67
VI.	1	67
	22	424
VII.	12	67
	40	67
IIX.	27	116
	38	121
	39	81. 178.
	41	67
	43	101
IX.	35	67
X.	5	310
	18	405
XI.	2	4
	5	3. 6.
	9	24
	10	3
	26	314
	33	4.
XII.	25	212
	28	77. 13
	29	77
XIV.	9	3. 5. 9. 23.
	24	3. 4.
XV.	12	3. 4
	13	11
XVI.	26	23
	31	62
	ult.	282
XVII.	1	77. 310. 407.
	15	77
	18	77
XIIX.	21	175
	24	102
XIX.	2	41
XX.	9	41
XXI.	26	4
XXII.	19	174. 289. 310. 407.
	47	3. 4.

Posterior REGUM.

Cap.	Vers.	Pag.
II.	4	282
	5	ibid.
	9	409
	15	282
	18	ibid.
IV.	16	201
V.	15	274
IX.	22	3. 24
	30	384
X.	23	14

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958736/phys_0449
DFG

Cap.	Vers.	Pag.
XI.	18	9
XVII.	11	23
	12	4
	15	2
	29	4
	33	60.109. 3
	36	23
	41	3
XVIII.	4	7
	33	6
XIX.	12	5.6
	18	4.
XXI.	3	288
	5	288 318.
	22	318
	23	ibid.
XXIII.	5	7
	24	5
XXV.	9	67
	10	67

Prior PARALIPO.

Cap.	Vers.	Pag.
VI.	49	425
X.	9	
XIII.	6	101
XVI.	26	1.23.
XXIII.	25	67
XXVII.	5	334.
XXIIX.	9	81

Posterior PARAL.

Cap.	Vers.	Pag.
VI.	30	81
	32	67.
	33	101
VII.	19	3.
	22	3.
XIII.	9	4
XIV.	11	392
XV.	8	6
	11	396
XIX.	8	405
XXI	13	3.
	15	24
XX.	20	272
XXIV.	17	5
	18	2.24
XXV.	15	24
XXVI.	17	87
XXIIX.	9	62
	15	282
XXIX.	41	396
XXX.	8	62
XXXI.	1	11
XXXII.	14	6
	17	6
XXXIII.	7	5
	15	5.12
	16	62
XXXIV.	4	11
	25	31
XXXVI.	20	67

Primus ESDRÆ.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	2.seq.	68
II.	68	68

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958736/phys_0450
DFG

Cap.	Verſ.	Pag.
III.	8	68
	11	68
IV.	3	68
	24	68
V.	2	68
VI.	3	68
	5	ibid.
	7	ibid.
	8	ibid.
	21	6
IX. & XII.	11	6 p. 200.

Secundus ESDRÆ ſive Nehem.

Cap.	Verſ.	Pag.
VI.	7	104
	10	68
IIX.	16	68. 312
IX.	6	175. 289
	25	62
	18	4
XIII.	30	200 5.

Quartus ESDRÆ.

Cap.	Verſ.	Pag.
VII.	31	397

Liber ESTHER.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	14	383
II.	7	311
IIX.	17	58
IX.	27	58

JOBUS.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	6	310. 407. 422.
IV.	16	334
V.	19	398
VII.	1	288
	39	409
XIV.	14	288
XVI.	20	41
XXI.	15	62
XXVII.	2	77
XXX.	12	317
XXXI.	21	314
	24	21
XXXIII.	4	394. 408
	23	41
	29	399
XXXIV.	13	192
XLII.	8	396

PSALMI.

Pſal.	Verſ.	Pag.
II.	11	62
VII.	6	75
	10	81
IX.	10	115
	11	ibid.
X.	4	408
XI.	1	115
	6	318
XII.	7	398

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958736/phys_0451
DFG

Psal.	Vers	Pag.
XIII.	6	115. 393
XIV.	6	115
XV.	1	67
XVI.	4	122
	8	317. 408
XIIX.	2	116
	30	298
XXII.	31	62
XXVII.	6	67
XXXI.	7	2. 3.
XXXIII.	6	408
	15	266
XXXIV.	8	83. 269. 294
	17	411
	20	399
XXXVI.	8	393
XXXVIII.	10	81. 116
	18	407
XLII.	8	89
XLIV.	21	4
XLV.	10	317
XLVIII.	11	392
L.	14	110
	15	105. 109 127. 116.
LI.	2	115
	6	192. 237
LII.	10	393
LIV.	4	408
LVII.	2	393
LXII.	6	116
LXVIII.	5	175
	12	319
	27	67

Psal.	Vers.	Pag.
LXIX.	6	406
LXXII.	11	105
LXXV.	11	411
LXXVIII.	14	334
	17	24
	58	23
LXXIX.	12	398
LXXX.	6	384
	19	104. 105
LXXXI.	10	23
LXXXIII.	19	175
LXXXVI.	8	180
	14	408
LXXXVII.	1	316
LXXXIX.	7	180
	37	405
XC.	15	127
XCI.	11	269. 294
	15	116
XCVI.	5	175. 407. 4
XCVII.	7	106. 3. 4
XCIX.	6	313
	7	237
C.	2	62
CIII.	1	274
	3	192. 318.
	4	224
	21	289. 294
CIV.	1	274
	4	294
CV.	39	234
CVI.	20	4. 11
	36	47 16. 17. 20

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958736/phys_0452
DFG

Psal.	Vers.	Pag.
	37	4. 6. 22
	38	5
CVII.	22	110
CVIII.	14	298
CIX.	6	317
	7	ibid.
	31	ibid.
CX.	4	87
	5	317
CXV.	3	116
	4	5
	5	6. 7
	18	274
CXIX.	164	398
CXXXII.	10	113
CXXXV.	15	5. 7
CXXXVII.	5	317
CXXXVIII.	3	127
CXXXIX.	7	314
	8	314
	9	ibid.
CXLI.	2	428
CXLIV.	8	316
	10	298
	11	316
CXLV.	18	116
CXLVI.	2	116

PROVERBIA.

Cap.	Vers.	Pag.
VI.	31	399
VII.	22	384
IIX.	30	406
IX.	1	399
XIII.	17	41
XVI.	13	41
XX.	8	405
XXI.	31	298
XXIV.	16	399
XXVI.	25	ibid.

ECCLESIASTES.

Cap.	Vers.	Pag.
II.	4	399

CANTICUM CANT.

Cap.	Vers	Pag.
III.	6	251
IV.	6	342
VI.	4	291

ESAI.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	4	4
	13	428
	16	3
II.	8	4
	18	4
	20	4. 12
IV.	1	101. 399.
V.	24	251
VI.	1	166. 173
	2	232. 407. 310
	9	24
IX.	6	42. 238
X.	10	11
	11	45

INDEX

Cap.	Vers.	Pag.
XI.	2	403. 404. 412.
	15	394
XIV.	32	41. 106.
XIX.	1	4. 11
	4	24
	18	76
	19	69
	17	104.
XX.	2	301
	4	24
XXIII.	15	396
	16	3
XXVIII.	6	403
XXIX.	13	47. 124. 16
	14	24
XXX.	26	399
XXXI.	7	4
XXXIII.	7	41
XXXIV.	12	102
XXXVII.	19	4
XL.	2	104. 288
	3	104
	12	289
	20	11
XLI.	22	379 6. 23.
	27	319
	29	5. 11
XLII.	8	58. 175.
	9	428
	23	62
XLIII.	11	23
	23	76
	25	192 318.

Cap.	Vers.	Pag.
	27	41
XLIV.	6	23
	7	ibid.
	8	5
	9	9. 10.
	13	9. 21.
	15	9
	20	116
XLV.	5	23
	12	116. 288
	23	106
	24	76
	16	4
XLVI.	1	5. 11
	7	6. 10
XLIIX.	1	76
	2	175
	8	180
	11	58
	12	314
	13	314
LIII.	12	313
LV.	6	109. 116
	16	336
LVI.	7	67
LVII.	3	3. 4.
	4	4
	16	407. 408
LX.	12	62
LXI.	1	104
	3	23.
	10	318.
LXII.	3	319

Cap. 63.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958736/phys_0454
DFG

Cap.	Vers.	Pag.
LXIII.	2	311
	9	42. 235
LXV.	2	4. 20
	16	76
LXVI.	1	405

JEREM.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	16	4
	27	3
II.	11	4
	20	62
III.	2	3. 4
	6	3
	8	4
	13	4
IV.	1	6
V.	7	76. 3. 4.
	19	4. 5
VII.	3	67
	6	3. 23
	7	67
	18	289. 4
IIX.	19	5. 24
IX.	2	3. 4
X.	3	6. 22
	5	116. 6. 10
	8	3
	11	6
	15	6
	16	175
XI.	10	3
	26	81
XII.	16	76
	17	24
XIII.	10	3
	14	24
	11	4
	15	319.
XIV.	9	101
	12	24
XV.	7	24
	9	398
	16	101
XVI.	11	4
	18	3 6
	19	2. 6. 10.
	20	4
	21	175
XVII.	4	24
	5	115
	7	ibid.
	10	81
XIX.	4	4
	13	4
XX.	6	411
XXI.	12	3
XXII.	9	3
	24	316
XXIII.	4	319
	10	3. 4.
	22	3
XXV.	5	3
	6	24
	11	396
XXVI.	3	3

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958736/phys_0455
DFG

Cap.	Vers.	Pag.
XXX.	21	313
XXXII.	18	175
	29	4
	34	6
XXXIII.	2	175
XXXIV.	15	101
XXXV.	15	323
XXXIX.	12	411
XL.	4	411
XLIV.	4	3
	5	4
	8	4
	15	4
	17	289. 7.
	18	289
	19	ibid.
	23	9
	26	175
	27	411
XLVIII	35	4
L.	3	4
LI.	18	6

EZECH.

Cap.	Vers.	Pag.
V.	13	315
VI.	11	3. 6
VII.	20	69. 11
VIII.	5	3. 5
	17	24
	18	ibid.
XI.	18	6
XIII.	22	8
	23	3
XIV.	4	24
	5	2
	7	2 21
	8	24
XVI.	16	3
	17	9
	35	3
	36	2. 4.
XX.	7	3
	8	Ibid.
	16	2
	19	47. 16
	24	2
	30	3. 4.
	31	2. 4.
	32	2
	40	62
	44	3
XXI.	3	319
	21	5
XXII.	3	2
	4	2
XXIII.	3	3
	7	2
	14	9
	30	2
	37	2. 3. 4.
XXIV.	17	301
XXVI.	10	25
	18	4
XXIX.	18	62
XXXIII.	11	3

Cap. 36.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958736/phys_0456
DFG

Cap.	Vers.	Pag.
XXXVI.	17	1
	31	3
XXXVII.	23	6
XLII.	26	396
XLIII.	8	4
XLIV.	10	2
	7	4
	9	ibid.

DANIEL.

Cap.	Vers.	Pag.
III.	5	6
	12	2. 15.
	19	15.
	29	15
IV.	2	16
	7	116
	13	396
V.	4	5
VI.	16	2
VII.	9	166. 174. 405
	10	310. 390. 407. 421.
	13	407
	14	62
	21	411
	27	62
IIX.	4	411
	10	291
	11	293
IX.	18	101
	21	415
	23	396
	25	ibid.

Cap.	Vers.	Pag.
X.	13	284. 294
XII.	1	284. 294
XIV.	4	5

HOSEA.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	2	313
II.	2	314.
	4	4
	10	3
	12	3
	15	76
III.	4	5
IV.	12	23
	20	22
V.	4	23.
VII.	4	3. 4
	7	4
	11	102.
	14	109
IIX.	6	4
IX.	1	8
	15	3
X.	1	11
	2	11
XII.	3	42. 245
	4	175. 254. 265
	5	214. seq.
XIII.	6	23
XIV.	8	110

JOEL.

Cap.	Vers.	Pag.
II.	23	319

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958736/phys_0457
DFG

Cap.	Vers.	Pag.
	32	102.104

AMOS.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	3	399
	6	ibid.
	9	ibid.
	10	ibid.
	13	399
V.	6	5
	8	175
	16	384
IIX.	14	77
IX.	6	175

JONAS.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	2	191
	5	102
	6	102
II.	9	2.6

MICHA.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	7	3
II.	7	394
III.	4	3
IV.	5	175
V.	5	399
VII.	18	318

NAHUM.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	3	251

HABAC.

Cap.	Vers.	Pag.
II.	18	9
III.	4	3

ZEPHAN.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	5	76
III.	9	62

HAGG.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	2	68
	9	68
	14	68
II.	16	68
IX.	4	409
XI.	18	48
	26	48
XIII.	16. seq.	116
	19	102
XVI.	8	268

ZACHARIAS.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	1	309
	2	309
	4	3
	8	309
	9	42
	11	309
	12	155. 396. sed pag. 305. tot. Disp.
	20	309

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958736/phys_0458
DFG

Cap.	Vers.	Pag.
II.	6	316
	9	62
	12	292
	13	314
	15	316
III.	1	310. 316. 407.
	4	ibid.
	3	317. 393
	4	ibid.
	5	ibid.
	6	392
	7	68
	9	318. 382. 411. 400.
IV.	2	410
	6	394
	10	382. 392. 400. 409. 411.
V.	6	400. 411.
	8	3
	9	200
VI.	2	311
	5	310. 315. 407.
	8	315
IIX.	9	68. 331.
X.	2	5. 11.
XII.	10	128

MALACHIAS.

Cap.	Vers.	Pag.
II.	7	41
	11	45. 5.
III.	1	41 42.
	14	62
	18	62

SAPIENTIÆ Liber.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	6	81.
IV.	15	23
VII.	22	412.
XIII.	10	5
	13	7
XIV.	11	6
	12	3. 23.
	15	9
XV.	8	6
	15	6
XVII.	13	6

TOBIAS.

Cap.	Vers.	Pag.
V.	5	321. tota Diss.
	7	327
	16	327
	18	ibid.
VI.	2	333
	5	339
	7	338
VII.	3	327
IX.	8	337 seq.
XII.	12	156. 321
	15	30. 392. 404. 382.

SYRACIDES.

Cap.	Vers	Pag.
X.	11	411

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958736/phys_0459
DFG

Cap.	Verſ.	Pag.
XLV.	21	319

BARUCH.

Cap.	Verſ.	Pag.
VI.	4 ſeq.	24
	14	4
	22	4
	49	4
	50	4
	62	ibid.
	71	ibid.

Prior MACCAB.

Cap.	Verſ.	Pag.
IX.	50	282
XVI.	11	282

Poſterior MACCAB.

Cap.	Verſ.	Pag.
II.	2	11
VI.	2	69
	11	58

MATTHÆUS.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	1	390
	5	302
II.	11	43
III.	11	410.411
	16	166.174.408.
	17	313
IV.	3	336
	10	59.110.272.313.14
	11	180
	24	352
V.	3	76
	4	76
	35	405
	37	331
	44	276
VI.	4	81
	12	336
	13	268
	16	116
	24	62. 28
VII.	7	27
IX.	18	44
X.	16	275
	20	408
XI.	10	41
XII.	44	336
	45	399
XIV.	19	275
XV.	9	16.47.124.125.127
XVII.	15	352
	21	334
XIIX.	10	186.311
	19	116.127
	22	398.
XIX.	13	273
	28	405
XXI.	11	318
	13	67
XXII.	31	233
	32	233
XXIII.	16 ſeq.	76

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958736/phys_0460
DFG

Cap.	Verſ.	Pag.
	21	76
	22	76. 405
XXV.	31	405
	33	317
	41	294
XXVI.	26	275
	28	336
XXIIX.	18.	411
	19	106

MARCUS.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	2	41
V.	22	44
VI.	5	202
	41	275
IIX.	7	375
X.	16	275
	24	21
XI.	17	67
XII.	26	233
XIII.	32	389

LUCAS.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	6	425.
	19	310. 407. 421.
	45	178
	74	3
II.	9	178
	13	289
	15	179
	25	58
	37	3
III.	16	302
IV.	5	14
	8	3
	13	336
	16	14
V.	21	192
	25	318
VI.	13	62
	28	276
IIX.	11	21
	41	44
IX.	16	275
XI.	1	117
	4	268
	24	336
XV.	10	79
XVII.	4	399
XIIX.	8	117
XIX.	1	282
	41	282
	46	67
XXII.	3	79. 22.
	30	405
	40	336
XXIV.	50	275

JOHANNES.

Cap.	Verſ.	Pag.
I.	12	106
	16	302
	18	240

Cap.	Vers.	Pag.
III.	16	106
	34	309
IV.	20	69
	23	109. 20.
V.	22	106
	39	47
IIX.	23	120
	44	22
	58	279
X.	30	120. 238
	38	238
XI.	42	313
XIII.	2	79
	27	22
XIV.	6	120. 121. 313
	10	120
	13	120. 127.
	14	120.
	26	408
XV.	26	408. 418
XVI.	2	2
	7	411
	14	409
	23	120. 127
	13	411
XX.	31	47

ACTA APOSTOLICA.

Cap.	Vers.	Pag.
II.	3	411
	8	58
	17	409
	33	409
III.	26	275
IV.	12	121. 428
V.	8	22
	32	409
VII.	7	3
	30	182. 183. 218. 224.
	41	2. 9. 13.
	42	288
	42	3
	46	69.
	51	4
IIX.	2	58
X.	2	58
	38	21
	43	106
XII.	7	179
	8	ibid.
	17	ibid.
XIII.	8	22
	9	22.
	43	58
	50	58
XIV.	4	6
	13	334
XV.	17	401
	20	6
XVII.	19	22
XIX.	12	340. 360
	13	368
	26	5
XX.	19	62
	27	124. 125

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958736/phys_0462
DFG

Cap.	Vers.	Pag.
XXII.	16	106
XXIV.	14	3
XXVI.	5	48. 58.
	7	3
	22	124
XXVII.	13	294
	23	156
	25	179

ROMAN.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	1	63
	9	3
	14	24
	18	3
	21	24
	23	9 14. 21
	25	60.3
	26	24
	28	24
III.	22	106
	25	428
V.	1	121
VII.	6	62
	18	22
	25	62
IIX.	2	22
	15	483
	17	81
	24	121
	27	116
	33	313
	34	121
IX.	4	2
X.	13	102. 105. 106.
	14	114 359
	17	124.17.
XI.	26	3
	36	385
XII.	1	2
	2	16
	11	62
XIV.	10	405
	11	106
	12	76
	18	62
	23	47. 126. 359
	25	16
XV.	12	106
XVI.	18	62.21.

Prior ad CORINTH.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	2	104. 106. 107.
III.	11	60
VI.	9	3. 24
VII.	23	63.232.
IIX.	4	2.7.
X.	7	13.23
	8	3
	9	234.238
	13	258
	14	23
XIII.	12	248
XV.	19	406

Posterior

Posterior ad CORINTH.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	23	104
	25	75
IV.	4	79.21
	13	403
	15	128
V.	5	41. 221.
	20	41. 221.
IX.	5	274
X.	4	287
XII.	9	258.291
XIII.	13	390

GALAT.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	1	390
	6	423. 4
	8	60.124.125.
III.	19	183
IV.	4	197
	6	408
	8	25.60.4.28.
V.	6	1
	13	62
	19	22

EPHES.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	3	386
	6	113
	12	106
	17	403
II.	2	21
	11	128
	12	16
	28	313
III.	12	121
IV.	7	409
	24	331
VI.	6	62
	11	335 360. 28
	12	256
	13	335
	18	428

COLLOSSEN.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	9	331
	15	236.238
	19	405
	27	106
II.	16	387
	17	106
	18	32. 124. 390.
	23	48. 124. 58.
III.	5	1.3.
	21	62
	24	62

PHILIPP.

Cap.	Vers.	Pag.
III.	3	3
	19	21
	21	314

Prior

COLOSS.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	15	236. 238.
	19	405
	20	87
	27	106
II.	14	431
	16	387
	18	58. 398
III.	5	1
	9	331
	17	106
	18	318
	21	62
	24	62

Prior ad THESSALON.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	3	106
	9	62
	17	428
IV.	16	423
V.	19	409

Posterior ad THESSAL.

Cap.	Vers.	Pag.
II.	8	408.

Prior ad TIMOTH.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	1	106
	17	23
	18	287
II.	5	87. 121.
III.	16	124. 243
IV.	5	359
V.	21	389
VI.	16	23
	17	21

Posterior ad TIMOTH.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	3	3. 435
	7	403
II.	26	79
III.	4	21
	16	47
IV.	1	22

Epist. ad TITUM.

Cap.	Vers.	Pag.
II.	14	316. 435
III.	5	409

Prior PETRI.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	11	408
	17	103
II.	5	110. 313. 426. 431.
	8	426 316
	9	316

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958736/phys_0465
DFG

Cap.	Vers.	Pag.
IV.	3	1. 3.
V.	8	21. 335.

Prior JOHANNIS.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	7	87
II.	1	313.
	2	121. 313
	13	336
IV.	13	409
V.	4	335
	14	127. 359
	15	127
	21	23

Epist. ad HEBRÆOS.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	1	240. 242
	3	87. 236. 238. 314.
	6	106
	7	106. 224
	13	405
	14	42. 85. 390.
II.	17	121
IV.	14	88
V.	1	426
	5	426
VI.	18	202
	20	88
VII.	1	426
	5	426
	7	276
	23	426
	24	313
	25	87. 88. 432
	27	121. 426
IIX.	5	3.
IX.	4	424. 425
	9	3
	10	2
	12	87
	14	3
	15	426
	24	88. 121 313
	28	426
X.	2	3.
	14	426.
XI.	6	16. 126. 359.
XII.	28	3
XIII.	2	164. 193. 199.
	10	2. 427
	14	110
	15	434

Epist. JUDÆ.

Vers.	Pag.
9	423.

Vers.

	Vers.	Pag.
	14	397
	18	3

Epist. JACOBI.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	5	116
	6	126
	7	126
	17	116. 409.
	26	3. 48. 58
	27	58
III.	14	331
IV.	12	16. 47.
V.	12	76

Apocalypsis JOHAN.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	1	420
	3	420
	4	156. 392. & 377. tota Disp.
	5	87
	6	426
	12	396
	13	400
	16	297
	19	396. 400 420.
	20	41. 396.
II.	1	41
	8	41
	9	22
	12	297
	14	3
	18	41.
	20	3
	21	3
	23	81
	26	405
III.	1	41. 382. 392. 400.
	5	387. 389. 396.
	9	22 44.
	21	405.
IV.	5	396. 400. 409. 410.
	19	420
V.	1	396.
	4	392
	6	392. 396. 400. 409 411.
	8	110.
	10	426
VI.	4 seq.	311
VII.	1	397
	2	422
	11	106
	12	ibid.
	15	3
IIX.	2	396. 404. 410. 432.
	3	88. 121. 156. 313. 413.
	4	413. tota Disp.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958736/phys_0467
DFG

Cap.	Vers.	Pag.
	5	413
	6	396
IX.	2	3
	3	3
	17	311
	20	22
	21	3
X.	1	422
	3	396
	4	396
XI.	15	396. 311
XII.	1	396
	2	311
	3	396. 397.
	7	284
	11	335
XIII.	1	396. 411.
XIV.	1	396
	7	272
	8	3
XV.	1	396. 423.
	7	396
XVI.	13	3
	17	397
XVII.	1	3
	2	3
	4	3
	5	3
	7	396
	9	ibid.
XIIX.	2	3. 22.
	3	3
	23	ibid.
XIX.	10	53. 117. 130. 387.
	11	311
	15	297
XX.	1	422
	4	405
	6	426
XXI.	27	3. 4
XXII.	1	409. 411
	6	54. 420.
	7	420
	8	53. 117. 130.
	9	53, 54. 117. 130. 387
	10	420.
	19	3. 420.

Index

INDEX RERUM ET VERBORUM MEMORABILIUM.

ABrahamo tres viri apparuerunt p.155
Abrahamo tres alloquitur in singulari 199
Abrahamo apparuit DEUS ἀνθρωπος 190
Abrahamo Filius DEi apparuit 193
Stipatus duobus Angelis 193
Abrahami dialogismus 202
Abrahamus quo cultu affecerit Angelos 205
An civili an religioso 206
An coluerit illos latriâ an vero hyperduliâ 208.210
Adonai 199
Adorare unde dicatur 42
Adoratio duplex 44
Adoratio religiosa est actus religionis 58
Adoratio religiosa soli Deo tribuitur 58
Adorare religiosè aliud præter DeumSeverè in sacris scr. prohibetur 60
Adorandus Cardiognosta sit oportet 81
Adorare & invocare an distinguantur? 105.106
Adoratio religiosa Angelorum est ἄγραφος 47
Est ἐθελοθρησκεία 48
Ab ipsis Angelis prohibetur 53
Angelis non est vendicanda 58
Est orthodoxæ antiquitati ignota 61
Agnus cereus 348
Alius semper distinctionem notat 423
Altare thymiamatis 424
Altare holocausti 425
Ambrosius quid de invocatione sanctorum 147
Amuleta 371
Angelolatriæ origo 25.seq
Angelolatria est antiquissima â platonicis orta 26
Angelici qui sint 32
Angelus fœderis 238
Angeli an religiosè adorandi 36.40.89
Angeli an invocandi 108 conf.115.39.
Angeli quomodo colendi 46.47
Angelis an templa erigenda ad cultum 36.65
negatur 71

An per Angelos juramenta præstanda 36, 75. 135
Quomodo fiat 75
Angeli an gemitus cordis sciant 37. 79
Angeli an ubique 38. 82. 83. 84
Angeli an preces Deo offerant 38. 85
Angeli originatio 41
Angelorum θρησκεία quid Paulo denotet 50. seq.
Angeli cur nolint adorari? causæ fictitiæ 57
Angeli cogitationes â posteriori cognoscere possunt 79
Angeli an habeant τὸ scire, posse, adesse, velle, 117
Angelis nota sunt quæ in his terris geruntur 79
Angelus an intuitivè per naturam cognoscat cognitiones 79. seq.
Angeli nostri curam gerunt 83
Angeli mirâ celeritate moventur 83, & 205
Angeli sunt pro nobis solliciti 85. 122. 306
Angeli pro nostra salute ingemiscunt 85. seq
nec tamen ideo invocandi 306. seq
Angeli non sunt objectum fidei 115
Angeli non sunt pater Noster in cœlis 119
Angelus est nomen officij 240
Angelorum cultus est neutrius tabulæ 124. 125
Angeli an sub specie mulierum apparuere 200
Angelus creatus non dicitur Deus in casu recto 329
Angeli sunt legati & quomodò 220 seq. 240. 179. 217
Angeli quomodò loquantur per assumpta corpora 203
Angeli quomodo comedere possint 204
Angelis in primit. Eccl. & puriore invocatio denegata 130
Angeli stant coram Deo quomodo intelligendum 310. conf. 421
Angeli cernunt faciem patris 311
Angelus qui Hagaræ in viâ apparuit 218
Angelus qui cum Jacobo luctatus 211
Angelus qui Abrahæ adfuit 222
Angelus in scalâ innixus Jacobo adfuit quis 222
Angelus Mosi apparuit in rubo quis 223
Angelus qui populum Israel eduxit 233
Angelus Auxiliator Jacobi quis 261
Angelus orans pro populo 305.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958736/phys_0470
DFG

Angelus cum Thuribulo 413
Angeli nuſpiam ſacerdotis officio functi 426
Angelus Tobiæ comes 321
Angelus Tobiæ eſt perſonatus & fictitius 327
Angeli non dicunt ſe homines ex certâ familia 327
Angeli in oratione cum Deo neque conjungi neque invocari debent 272
Angelorum multitudo dicitur exercitus cœlorum 189
Angeli dicuntur exercitus Jehovæ 292
Angelus creatus nõ eſt princeps Angelorum 294
Angelorum alij ſunt aſſiſtentes alij miniſtrantes 295
Angelus in SS. non vocatur Jehova 296
Angelus creatus non vult adorari 299
Anthropolatria 60
Anthropotheomachia 211
Apocalypſis eſt plena phraſibus V. T. 410
Eſt prophetia futurorũ 419. ſeq.
Eſt Canonica 379
Eſt rejecta ab hæreticis 378 ſeq
Apparitio trium virorum
Abrahæ facta 155. 161
Non fuit imaginatio 195
fuit una 162
ejusdem apparitionis locus 156
ejusdem modus 194
Eſt facta in formâ corporea 194
In formâ humana 197
In formâ virili 200
In abjectâ & juvenili ibid.
Apparitionis ſcopus 201
Aqua exorciſata 346
ejus vis mira 373
Ariani Idololatræ 15
Arnobius Rhetor in Africa 140
Aſmodeus dux Luxuriæ 383
Aſſare Deo Angelis bonis competit 421
Athanaſius 141
Attributa Dei non directè invocantur 392
Auguſtinus 150
Auri virtus 344
Azymus panis benedicitur 349.

B.

Be, Bet, Been, Cymbrorum voces 102
Bellarm. ſaltat diſcrimen fingens inter idolum & imaginem 8
Bellarmino Baronius contradicit 31
Bellarminus ex quovis ligno poteſt Mercurium facere 104
Benedictio duplex divina & Humana 273
Benedicere Dei eſt benefac. 277

Bene-

Benedictio humana vel 1. in Deum tendit vel in res DEO consecraneas 214
vel tendit ab hominibus in homines 275
Et hæc vel est 1. communis, 2. sacerdotalis 276.3
patriarchalis 276

C.

Calceamenta solvere quid in SS. 300.303
Callyonimi piscis fel cicatrices sanat 340
Campanis baptizatis tribuitur magna vis 345.365
Canon pro codice 326
Celsus contra Origenem 137.seq
Cerei 347
Christiani coacti Idololatræ 15
Christus solus offert Deo preces ἱλαστικῶς 87.seq.
Christus Angelus vocatur absolutè 218. conf. 422
Christus adoratur & invocatur quod contra socinũ 105.seq.114
Christus quare Angelus dictus in V.T. p.239 conf.278 286.422.
Christus solus est in cujus nomine oramus 120
Christus facies Jehovæ 236
Christus solus mediator noster 121. seq.313
Christus altare 426. seq.
Christi incarnatio 185
Christus est invocandus 279
Christus est princeps exercitus Jehovæ 286
Chrysostomus 149
Ciriath-Arba 158
Cidaris sive Galerus pontificialis 319
Clemens Alexandrinus 134
Cœmiteria 70
Colere & honorare quid 43
Color rufus quid notet 311
Coram me quid vide ἐνώπιον
Constantinus templa erexit 71
Cornu notat potentiam 411
Corporis assumtio fit tribus modis 195
Creatura est gratiæ indiga 385
Creatura sanctificatur per verbum 358
Crucis signum 350
Cultus secundum actus substantiam & circumstantiam 18
Cultus omnis aut est primæ aut secundæ tabulæ 112
Cyrillus Alexandrinus 152

D.

Dæmon Theuth. 27
Dæmones Platonici 26.seq
Dæmon sub Samuelis figura 329
Dæmones non fugat fumus 334
neq; res sensilis 340

Dæmo-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958736/phys_0472
DFG

Dæmoniorum genus non ejicitur nisi oratione pag. 334
Dæmon revertitur 335. seq.
Dæmones fugandi modus est
Ethnicus 363. seq
Judaicus 367
Hæreticus 369. seq.
Magicus 370
Deus est benedictus 274
Deus solus est cardiognosta 81. seq. 178.
Deus solus remittit peccata 317 seq. 150
Deo non offeruntur preces ἰσχυρῶς sed ἱλαστικῶς p. 86
Deus an licitè pingi queat 172
Deus ἀνθρωποπαθῶς se manifestavit 173. seq.
Dei operâ mediata & immediata 177. 185. seq.
Deus alteri gloriam & cultum sibi proprium non dat 180
Deus an potuerit corpus assumere 184
Deus quot modis appareat 194
Deum videre â facie ad faciem quid sit 248
Deus duplicitatis aspernator 332
Deus solo â malo liberat 265. 268
Dei dicere est facere 274. & 277
Descendere dicitur Deus 191
Dextrum in SS. quid 316
Dissimulare & negare differunt 329
Distinctionem inter latrian & dulian Johannes non didicit 56
Rejicitur 59, 62. 63. 131
Dom & Domherrn 71
Dona Sp. S. dicuntur lampades 410
Dux exercitus Jehovæ est Deus 192. 293

E.

Eccius Ennianus est 90
Ecclesiæ testimonium magni, fit â pontif. 321. seq.
Ecclesiæ testimonium est humanum test. 322
Ecclesia consideratur non mathematicè sed moraliter 322
Ecclesia primitiva est testis scripturæ 322
Ejus testificatio est necessaria 325
Ecclesia præsens non facit librum canonicum 322
Ecclesia dicitur exercitus 191
Ellipsis præposit. De vel cum 430. seq.
Elohim sumitur vel ἐπωδῶς vel ἰσχυρικῶς 278
Enjedinus photinianus contra Trinitatem 164. seq. 172. seqq.
ἐνώπιον quid? 407

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958736/phys_0473
DFG

Enos an monachatum instituerit 104. seq
Ἐπὶ super & apud 424
Epiphanius 147
Equus rufus 311
Equites 312
Ero qui Ero 228. seq
Esseni & Ossenì solem venerati sunt 30
Esther dicitur Myrtea 311
ἐθελοθρησκεία an sumatur in bonam & malam partem 48. seq.
Et ponitur pro ID EST 384
Evangelium Johannis 351
Euchitæ 362
Eusebius Cæsariensis 142
Excellentia in universum est duplex 44. 45
Exorcistæ 368
Exorcizatio 372
Exorcizantur virgæ, 349
Exorcizantur chartæ 351
Exercitus in SS significat multitudinem militantium 287
Aliquando tempus ordinatum & constitutum 288
Aliquando ordinem significat 288
Exercitus proprietas triplex in Angelis 189
Exercitus excelsi quis 190
Exercitus Jehovæ 191

F.

Fabarum vis 364
Fides vincit Diabolum 335
Fides prò objecto habet revelationem in verbo 359
Fidelium arma 335
Florentini paterculi ridendi 323
Fulgentius 154
Fumi efficacia 341

G.

Garizim mons Samariæ 68
Gemmæ ad dæmonum fugam 344
Gentiles Sapientes ad honorem invisibilis Dei imagines visibiles adorabant 14. 17.
Germani lucos Tuisco consecrarunt 66
Gladius est signum inimicitiarum & mortis 196
Gladio evaginato Deus Josuæ apparet 197
Gratia & pax â Deo optanda 385
Gretzerus Tobiam & Judith libros canonicos dixit 325
H.
Hebræi non habent nomẽ quo cultum religiosum propriè designent 44
Helena servatori suo piæ mentis indicia fundavit 71

Hendia-

Hendiadis 334
Herbarum virtus 343
Hieronymus 149
Hilarius Pictav. Episc. 146
Homo habet Angelum bonum & malum 336
Hypallage in SS. frequens 384

I.

Jabok 212
Jacobi lucta cum Angelo 211
ejus locus 212
Vir luctator quis 213
Modus luctationis. 251
Non imaginaria fuit 252
sed seria 253
Interna & externa 255
Symbolica 256
Jacob petit benedictionem ab Angelo 181. seq. 211. 258
Jacob Angelum increatum invocavit 279
Idololatria vox ἐγκαφῶ 1
Unde dicta ibid.
Idolum quid & quot modis dicatur 1. 4
Idololatria sumitur vel generaliter vel specialiter 3
Ejus synonyma 3
Idololatriam committere quid sit 3. & 4
Idololatræ quomodo vocentur p. 4.
Idololatriæ objectum 6. 7. 20
Idolum nomen concretum 7
Idoli & imaginis discrimen fingitur 8
Idolum nihil est 10
Idololatriæ formalis ratio 11. 13 seq.
Idololatria interior & exterior 15
Idololatriæ definitio Cacolica 19
Idololatriæ requisita 19
quot modis fiat 20
ejusdem divisiones 21
Causæ 21. 22.
Effectus 23
Ignis caritatis, 433
Ignis Spiritus S. ibid.
Ignis punitorius ibid.
Ignis infernalis 362
Jesuitæ non absimiles felibus 35
imitantur Periclem ibid.
rimarum pleni 111
Jericho urbs jucundissima 181
Ignatius 132
Imagines colendas esse cultu Analogico & reductivo dicit Bellarm. 209
Inter nudipedales & discalceatos est discrimen 303
Invocatio Angelorum vide Angeli & adoratio
Invocationis originatio 89
Invocationis vox πλύνημι ibid.

Invocationis religiosæ objectum est solus Deus 272. 109
Invocare nomen alicujus super aliquem 90. seq
Invocare connectitur cum fiducia 102.114
Invocare Deum est colere 203
Invocare nomen Domini Bellarmino, est Monachatum instituere 104
Invocatio religiosa triplex 107. seq.
Invocatio est sacrificium 110
Invocationis distinctio Jesuitica 111. & 112
Invocatio una est 112
Invocatio τὸ scire, adesse, posse, velle supponit 115. seq.
Invocari posse Angelos religiosè ut deprecatores est ἄχρηφον & ἀνηχρηφον 386
Invocatio religiosa cum invocationis norma & forma congruere debet 117. seq.
Invocatio sanctorum est Christo injuria 123
Invocatio religiosa debet habere mandatum 124
Promisfionem 127
Angelorum naturæ repugnat 128
Invocare Angelos non est necessarium neque utile neque pium 126
Invocatio Deo accepta non caret exemplis 128
Invocatio religiosa, pia, grata, primitivæ & purioris Ecclesiæ praxi non omninò destituitur 130
Johannes precatur pacem à 7. spiritibus 377
Johannis Encomia 379
Josua adorat Angelum increatum 298. seq.
Irenæus 133
Israelitæ obtulerunt hostiam Idolo 2
Judæi excalceati sacra hodie peragunt 302
Justitia Christi 318

L.

Lactantius Arnobij discipulus 141
Laodicena synodus prohibet angelorum invocationem 32. 143 seq.
an de hæreticis intelligendum 33
Latria unde dicta 1
Latria quid denotet 2
quid ap. pontif. 12.
Lex promulgata per Angelos 183
Loqui os ad os 248

Lucta Jacobi vnd Jacob.
Ludovicus ab Alcasar, sociis suis in aurem susurrat 386
Lunaticus fit dæmoniacus 352
Luna & sol regunt corpora 352
Luna est stella præcipua 289

M.

Maccabęorum libri sobriè legendi 326
Magiæ primus inventor 371
Magia quid 372
Maldonatus scribit cœlo & terræ deberi honorèm religiosum 78
Maledictio in SS. aliquando est prophetica mali futuri significatio 277.7
Mamre quercetum 33 156
Manus Dei 314
Manum agitare ibid.
Marius Lutherum sugillat sine causa 104
Martinis Bremensis papizat 111
Medicamenta consecrantur 349
Mendacium omne est peccatum 332
Messaliani sibi adoratoria fecerunt 361
Michael princeps magnus 284
Ministerii institutio & ordinatio solius Dei est 319
Monachi discalceati 303
Monachatum Bellarm. probat 104
Musicæ vis 353
Myrrha quid possit 344
Myrtus qualis arbor 311.seq.
Myrtus quid denotet 311

N.

Nomen Dei est ipse Deus 392

O.

Oblatiò precum ἱκετικὴ & ἱλαστικὴ 86.307
Oculus providentiam notat 411
Offerre & recipere preces 87
Oleum consecratum 347
Orandi modus à Christo præscriptus 118
Oratio Jacobi ad Angelum non fuit optio sed invocatio 273
Oratio sanctorum in his terris viventium 123.306
Ordo est arbitrarius 389
Origenes 135

P.

Pater sumitur ἀπλῶς in oratione Dominica 119
Patrum scripta 130. seq.
Patrum sententia de invocatione Sanctorum 131.seq.
προΐστημι præposit. 60
Peccatum clamat 202
Persæ non statuerunt simulacra Deorum 1
Persæ nulla templa erexerunt
pharisæi an statuerint 66
astra animata, 30

Photiniani Idololatræ 15
Photiniani statuunt in V. T. non in N. adorandos fuisse Angelos 35
statuunt etiam Luctatorem Jacobi fuisse Angelum 216
Pistoris Apostatæ effrenis audacia 60
Platonici Angelolatræ 26.137
Polycarpus 132
πνηκὸς quis? 336
Pontificij & photiniani μόψηφοι 218.220
Pontificij Angelolatræ 36
Pontificij suppeditant Arianis tela 114
Pontificij statuunt luctatorem Jacobi fuisse Angelum 216
Populus Israelis dicitur exercitus 190 & quidem Jehovæ 292
Præsentia Dei extraordinaria terra sanctificatur 304
Princeps exercitus Jehovæ quis 281
Princeps exercitus Jehovæ dicitur vir 285
Prophetiæ sensus est fideliter indagandus 423
προσκυνεῖν quid denotet 43
Preces juxta Dei voluntatem 359
Precum efficacia est â Christo 428. & 431
Preces ascendere quid sit 432

R.

Religio unde dicta 58
Religio quid sit ibid.
Remedia adversus Satanam oportet habere div. vocat. 358.
Remigius 154
Reliquiæ Sanctorum 380
Collo non sunt suspendendæ 349
Res naturalis suâ virtute indirectè Dæmonis operationes quandoque impedire potest 351
Res corporea virtute suâ naturali directè nihil agere potest in Dæmones 355
Revelationes non sunt expectandæ 323
Romani sine simulacris Deum quandoq; coluerunt n. & 7.
Romani templis caruere 170
annis p. 66

S.

Sacerdotes inferiores non ingressi sancta Sanctorum 424
Sal consecratum 347.374
Samuel personatus 329
Sancti in his terris viventes 123
Saræ risus 191
Satan à dextris stare dicitur 316
Saul Dæmoniacus 353
Saulis spiritus ibid.
Scortatio est Idololatria 17
Scriptura quævis Sacra non est canonica 326

Scriptura non dicit semper secundum rei veritatem 328
Scriptura est satis clara in fidei articulis 423
Seculum 1.2.3. &c. quid de invocatione Sanctorum 131. seq.
Sedulius 154
Septem Spiritus notant omnipotentiam 393. seq.
Septenarius numerus quid 395. seq. 422
Septiformis i.e. multiplex 403
Septem dona Spiritus Sancti 404
Serarius contra Thomæ commentatorem 333
Serarius contradicit Paulo in faciem 335
Serarius est calumniator 361
Signum crucis 350
Simon magus professus est sententiam platonis 30. 31
Sol dicitur stella præcipua 289
Sola particula exclusiva â Christo addita 59
Sola particula dicitur æquè de adoratione ac servitute 59. seq.
Solus exclusiv. partic. Uni Deitatis personæ addita non excludit reliquas 120
Socinus 7 Spiritus Apocal. creaturas esse dixit 404
Spiritus S. apparuit in specie columbæ 185
Spiritus septem Apoc. 1. qui? 377
Spiritui Sancto multa tribuuntur ratione donorum 409
Stare coram aliquo 310
Stellæ dicuntur exercitus cœli 288
Sudaria & semicinctia Pauli 360
Suffitus adolere 427
Summus Pontifex N. T. Christus Iesus 416. 426.

T.

Templa an Angelis erigenda 65
Templorum erectionis quatuor fines 65
Templa an fuerint ante diluvium 66
Templum primum quando erectum 66
quando secundum 67
quando tertium 67
Templum samaritanorum 68
Templum in Heliopolitana ægypti 69
Templa magnifica nulla fuere temporibus Apost. & primit. Eccles. 70
Templa quando magnificè extructa 70
Templa cuncta in honorem Dei & servatoris erexit Constantinus Imperator 71

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958736/phys_0479
DFG

Templa erigere est cultus latriæ 72
Templa â sanctis denominari cæpta tractu temporis 73
Templa erigendi mos quomodo in Ecclesiam irruperit 74. seq.
Teraphim quid 5. seq.
Theodoretum putat errasse Baronius 33
Theodoretus 153
Tertullianus 70. 134
Thraces mulieres colliridem proponebant in honorem Mariæ 113
Thronus Dei in script. quid 406
in Throno sedere 405
in conspectu Throni Dei esse 406
Thuris efficacia 344. 428
Timere pro Adorare 59
Tobiæ Angelus 321
Tobiæ liber non est in Canone 321. seq.
Trajectio Hebræa scripturæ exemplis probatur 383
Traditiones Apostol. quid Bell. 323
Tridentini paterculi sunt ridendi 323
Trinitas personarum 163. seq
Turrecremata asserit per omnem creaturam posse jurari 78

V.

Valentia affingit platonicis sententiam 28. 29
Venus myrtea 311
Verborum significatio 331
Verba ad collum suspensa 375
Veritatis lex 331
Vestes festivæ quænam 318
Symbolum justitiæ imputativæ 318
Vestis sordida symbolum peccati 317
Victoria ἀϋπαραπελικῶς â Deo est 298
Viri tres qui fuerint Gen. 18. 161
Visio quid sit 308
Visio equi cum sessore quid 311
Viventium pro nobis oratio, 123.

INDEX
Vocum Hebræarum, quarum Etymologiæ, Emphases ac propriæ significationes in hoc Tractatu de Angelolatria declarantur.

אַדוֹנָי *cum* י *est nomen DEI proprium* p.199
אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה *soli Deo competit* 228.229
אֶהְיֶה *Juxta Thalmud: 3. tempora includit* 229
Variæ de hac voce sententiæ Ib.p.230
אֹהֶל מוֹעֵד 66
אֵלוֹן *quid significet?* 156. 157
אֵלוֹנֵי מַמְרֵא *ibid.*
אֱלִילִים Götterchen 4.23
אֶת עִם ב & מ *sæpe deficiunt,* p. 430.
בְּקִרְבוֹ *esse nomen Dei, quid denotet Exod.23.v.21.* p.235
גְּלוּלִים Dreck-Götter *Disp.* 1. *th.3.p.2.& th.10.p.4.*
גְּרִיזִים *Nom: montis, in quo fuit Samaritanorum* בֵּית־הַמִּקְדָּשׁ 68
דָּבַר *Cum* ב *de persona dictum quid inferat?* p.313
ה *Duplicatum infert excellentiam* p.313
הוּחַל לִקְרֹא בְּשֵׁם י י *varie explicatur Disp.1. th.31 p.22.23.p.104.&c.*
שֵׁרֵת כִּדֵּשׁ הִשְׁתַּחֲוָה *Quemvis cultum denotant* p.44. 298
חֻקּוֹת *Dicuntur Idola.* p.22,
יְהוָה *est nomen soli Deo proprium* p.174.190. 219. 228.
יְרִיחוֹ *Unde dicatur* 281.

כִּיּוּן *Aptatio figuraram Disp.1. th. 10. p.5.*

מַלְאָךְ *de quibus dicatur? p. 41. 42.*

dicitur de Christo ratione officij p. 240

מֵלִיץ *p.41.*

מַחֲלָצוֹת *p. 318.*

נֶאֱבַק *p.251.252.253*

נַפְתָּלִי *à* פתל *non à* פָּתָה *p.330*

פְּנִיאֵל פְּנוּאֵל *p. 212*

פְּנֵי יְהוָה *Quomodo Ex. 16. 8. Cap.33. 14. 15. & alibi sit intelligendum? p. 234.*

צָבָא *à rad:* צָבָא *quæ significata habeat? p. 287. & seq.*

צִירִים Angst-Götter *disp.1.p.4 th. 10.*

צָנִיף מִצְנֶפֶת *p. 319.*

קָרָא *Interdum prædicare significat p.104.*

שֵׁדִים *Devastatores disp.1.th. 10.p.6*

תֹּהוּ Leere Götter *ib.p.5*

תְּרָפִים *variæ vocis interpretationes ibidem*

INDEX
Vocum Græcarum.

ἐθελοθρησκεία Arbitrarius cultus, semper in malam partem accipitur p. 49

εἰδώλου Derivatio disp. 1.th.1 p.1.

Homonymia th 23. p 12.

Synonyma & Epitheta th.10.p.4.& seq.

εἰδωλολατρείας Etymologia d.1.th 1.p.1.

Acceptio gen. & spec. th.6.p.3.

Epith. sive Syn. th. 7. p. 3.

ἐνώπιον sæpe intimam conjunctionem denotat p.407.

ἐπὶ Apud p.424

ἐπι-

ἐπικαλεῖν καὶ ἐπικαλεῖσθαι p.107.
ἑπτὰ quasi σεπτὰ p.402
θρησκεία unde deducatur p.48.
sumitur in bonam & malam partem p.49
differt ab ἐθελοθρησκεία ibid.
quid ad Col.2.v.8. significet p.50.51.
θυσιαστήριον Apoc.8. v.3. quale Altare denotet? p.424.
Quomodo aliàs appelletur? ibid.
ἱλαστικῶς non ἱερικῶς preces nostræ Deo offerun-
tur, idq; per solum Christum p.86.&seq.
καταξιοῦσθαι p.48
καρδιογνωσία soli Deo competit p.81
λάτρον λάτρις d.1.th.1.p.1
λατρεία unde derivetur ib.
variè accipitur th.4.p.2
quomodo ab εἰδωλολατρεία differat p.49
προσκυνεῖν Quam Etymol. & & signif. habeat p.43
παλαίω p.252
πονηρὸς de persona potius quàm de re dicitur 336
φῶς p.226.

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958736/phys_0483
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn729958736/phys_0484
DFG

Jacob.
caſar ſociis ſuis
ſurrat 386
moniacus 352
nt corpora 352
ræcipua 289
ori ſobriè legen 326
nventor 371 372
oit cœlo & ter- norèm religio- 78
. aliquando eſt mali futuri ſi 277. 7
m 33 156 314
ibid.
m ſugillat ſine 104
nſis papizat 111
nſecrantur 349
e eſt peccatum 332
doratoria fece 361
s magnus 284
tio & ordinatio
eſt 319
eati 303
llarm. probat 104

Muſicæ vis 353
Myrrha quid poſſit 344
Myrtus qualis arbor 311. ſeq.
Myrtus quid denotet 311

N.

Nomen Dei eſt ipſe Deus 392

O.

Oblatiò precum ἱκετικὴ & ἱλαστικὴ 86. 307
Oculus providentiam notat 411
Offerre & recipere preces 87
Oleum conſecratum 347
Orandi modus à Chriſto præſcriptus 118
Oratio Jacobi ad Angelum non fuit optio ſed invocatio 273
Oratio ſanctorum in his terris viventium 123. 306
Ordo eſt arbitrarius 389
Origenes 135

P.

Pater ſumitur ἀπαθῶς in oratione Dominica 119
Patrum ſcripta 130. ſeq.
Patrum ſententia de invocatione Sanctorum 131. ſeq.
πρόεδρος præpoſit. 60
Peccatum clamat 202
Perſæ non ſtatuerunt ſimulacra Deorum 1
Perſæ nulla templa erexerunt phariſæi an ſtatuerint 66
aſtra animata 30